201
3 F
16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SPICILEGIUM ROMANUM.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SPICILEGIUM

ROMANUM.

TOMUS VIII.

SEDULII SCOTI, AUG. CARD. VALERII, ANT. M. GRATIANI, CARD. IOH. COMMENDONI ET P. BEMBI, A. S. SANNAZARII, IUL. VALERII, ANT. GALATEI, IUL. CAESARIS CAPACII, ONUPHRII PANVINII, PROCLI LYCII, SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS OPUSCULA.

ROMAE,
TYPIS COLLEGII URBANI
M.DCCC.XLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

EDITORIS PRAEFATIO.

DE SEDULII OPUSCULO POLITICO.

I. Utrum Sedulii scoti opus *de rectoribus christianis* prelo committerem, parumper dubitavi, quia nec deerat qui semel editum diceret, et tamen eruditis plerisque omnibus ignotum erat, neque in publicis bibliothecis, quod sciam, extabat. De hoc ita scribit Faustinus Arevalus in prolegomenis ad Sedulium seniorem cap. II. num. 61. « Goldastus, ut ex Labbeo num. 45. liquet, » possidebat ms. opus Sedulii inscriptum *de regimine* » *principum*. Schoettgenius, qui bibliothecae fabriciа- » nae medii et infimi aevi volumen sextum edidit, re- » fert, Sedulium *de rectoribus christianis, et convenien-* » *tibus regulis, quibus est res publica rite gubernanda,* » Lipsiae an. 1619. editum in 8. memorari a Fabricio; » fortasse in paucis schedis mss. quas ad sextum vo- » lumem paratas reliquit. Addit Schoettgenius, Frehe- » rum ad Petrum de Andlo *de imperio rom.* II. 16. scri- » bere, se anno 1612. hunc librum anecdotum ad pre- » lum parare, ex eodem libello octo disticha adducere » Nicolaum Cusanum de concordantia cathol. praef. » lib. 3. Non invenio quisnam alius librum viderit, » aut de eo locutus fuerit: neque indignum opus certe » est, quod ad huius temporis novitates convellendas » recudatur. Extat in codice vat. palat. 591. etc. Is. cap. » 9. laudat pietatem Caroli magni, et Ludovici (filii) qui » regnare coepit (post patrem) anno 814; adeoque Se- » dulius huius operis auctor ante saeculum IX. non flo- » ruit, et videtur esse ille ipse quem laudat Hepidam- » nus, et fortasse Sedulius scotus, cuius manu psalte-

Digitized by Google

» rium graecum scriptum recenset Montfauconius pa- » laeogr. gr. III. 7. p. 236. » Hactenus Arevalus. Unus ergo Schoettgenius scoti Sedulii hoc editum opus dixit, et quidem alieno testimonio fretus. Iam vero etiamsi id forte dictum sit vere (de quo dubitare licet) nihil tamen impedit, quominus liber ex hominum conspectu usuque ereptus, ineditorum instar haberi possit. Nunc ad meas quoque manus palatinus codex venit, qui non est alius, ut suspicor, quam ille ipse a Goldasto olim in Germania visus: etenim id exemplar anno 1619. in Palatinatu apud Heidelbergam adhuc erat, neque Romam nisi anno 1622. cum palatina bibliotheca migravit. Quum vero hunc codicem et tantulae molis et summae raritatis esse viderem, veritus sum ne quo casu aliquando periret, atque ita opus priscum, et pro illa aetate non contemnendum, sempiterno exitio intercideret. Haec potior, inquam, graviorque libri imprimendi mihi causa fuit.

II. Etsi autem vocabulum *scotus* ad Sedulium in codice non adiungitur, attamen de re dubitare prorsus non licet. Etenim Hepidamnus in suis annalibus ad annum Christi ·D·CCC·XVIII· scribit: *Sedulius scotus clarus habetur*. Item Trithemius (quamquam Sedulios varios confundit) postremum inter Sedulii opera librum epistolarum recenset, quem ait incipere *Sedulius scotigena*. Est autem notissimum quot docti viri religiosi sub Carolo eiusque posteris ex Anglia atque Hibernia (quae tunc erat Scotia) in Gallias ad florentissimam Carolingiorum aulam venerint, praesertim post Alcuini magnam apud eos regnatores gloriam. Annum quoque scripti libri praecise mihi videor deprehendisse. Etenim Sedulius cap. IX. p. 28. Carolum magnum postremum in romanis imperatoribus nominat, et mox addit, a Deo fuisse *adordinatum* Ludovicum imperatorem. Illud, inquam, vocabulum *adordi-*

Digitized by Google

natum, videtur prorsus significare imperii cum patre societatem, quae coepit anno ·D·CCC·XIII·, Caroli ultimo; sequente enim excessit e vivis, solum post se reliquens Ludovicum imperatorem. Libri igitur ortus extra annum ·D·CCC·XIII· statui vix potest. Hinc etiam factum puto, ut titulus non singulariter *de rectore christiano* sit positus, sed pluraliter, quia duo christiani rectores illo anno erant. Atque hoc opere per imperii provincias vulgato, Sedulii nomen celebre evasit, ita ut auctoris claritatem quinto post editionem anno Hepidamnus adnotaverit. Neque inutilis Ludovico Caesari liber fuit; etenim his quoque Sedulii praeceptis ad regias virtutes informatus, clementissimus et iustissimus princeps evasit, et religioni ac praelatis eius summe addictus. Certe post illos veteres Constantinum ac Theodosium nulli principes religiosiores fuere, quam Caroli magni maiores ac posteri, quorum illustrem memoriam et annales retinent, et alia innumera monumenta testantur. Est autem hic ipse Sedulius scotus, cuius in divi Pauli epistolas extant Collectanea, in Matthaeum autem conservabantur Parisiis mss. apud Iesuitas, teste Labbeo. Nobis quidem non iniucundum accidit ut tria Sedulii opuscula lectoribus offerremus I. Expositiones in argumenta evangeliorum Matthaei, Marci, et Lucae, quas tomo IX. Script. vet. p. 159-181. exhibuimus. II. Praesens opusculum *de rectoribus christianis*. III. Explanationes in praefationes S. Hieronymi ad evangelia, quae in sequente volumine demum parebunt. (1)

(1) Latinae eruditionis studiosos nolo hac obiter notitia fraudare, nempe me scholia quaedam in prisco codice vidisse ad Mart. Capellam, cuius in calce litteris quadratis legitur haec inscriptio: *Explicunt glossae secundi libri de nuptiis Philologiae et Mercurii, Mynei Martiani Felicis Capellae afri carthaginiensis, quas fertur composuisse* SERENUS *scholasticus urbis Romae*.

DE TRIBUS TRACTATIBUS AUGUSTINI VALERII CARDINALIS.

III. Transeo iam ad Augustinum Valerium Veronae episcopum et S. R. E. Cardinalem. Hic nobili loco Venetiis anno Christi ·M·D·XXX· natus, optimis a pueritia studiis innutritus, et senatoriis honoribus ingenii ac prudentiae merito destinatus, ecclesiasticum vitae genus praeoptavit. Anno postea ·M·D·LXV. factus episcopus, anno autem ·M·D·LXXXIII· creatus Cardinalis, anno demum ·M·DC·VI· vitam hanc mortalem beato fine complevit. Quantis vir hic sanctimoniae et doctrinae ornamentis cumulatus fuerit, non tam eius vita diligenter conscripta ostendit (apud Calogerum T. XXV.) quam illa confectorum ab eo librorum mira congeries, ubi castissimus eius animus, eruditio omnimoda, et perfectum civilis atque ecclesiasticae vitae magisterium elucet. Latina illius scripta Ponzettus (in editione commentarii *de consolatione ecclesiae*) nonaginta et unum supra centum enumerat, quorum ·LXXXVI· typis iam impressa, reliqua ·CV· lucem adhuc desiderantia: italico quoque sermone scripta ·XLVI· in publicis libris extantia, octodecim vero nondum impressa. Ex latinis ineditis, quatuor nos ipsi invenimus, quorum primum *de occupationibus Cardinale diacono dignis* ante hos annos edidimus; nunc alia tria, quorum tituli infra leguntur, quod bonum faustumque civili scientiae et christianae pietati sit, libentissime typis committimus. Primum quippe opusculum *de bona Principis fama*, seu de bene regnandi arte, ad Franciscum Mariam II. Roboreum, Urbini postremum ducem, mittitur; quem quia p. 85. carentem liberis dicit, sequitur ut Augustinus inter annos 1570. et 1598. libellum hunc composuerit: tantum enim adamussim temporis Franciscus dux cum priore coniuge Lucretia libe-

rorum expers transegit. Neque enim de Francisci orbitate, qui susceptum ex secunda uxore Livia filium virili iam aetate auctum amisit, sermo esse potest, quandoquidem Augustinus cum ea calamitas Urbini accidit, multo ante ex hac vita excesserat. Immo vero, quia regnandi praecepta, non veteranis principibus sed tironibus plerumque dantur, valde arbitror, missum hunc libellum ad Franciscum sub regni primordiis, id est paulo post annum ·M·D·LXXIV· Haec de historia operis; nam de merito eius, quod mihi non paenitendum videtur, lectores iudicabunt. Inventus fuit hic tractatus in urbinensi codice, nunc vaticano; est enim ipsum fortasse exemplar, quod Duci bibliothecae domino ab auctore fuit oblatum.

IV. Secundum opusculum ab Augustino Valerio scriptum fuisse anno Domini ·M·D·XCV· demonstravi p. 89. in adnotatione; qui erat annus aetatis eius ·LXV·, post episcopatum autem susceptum trigesimus, ante Cardinalatum denique undevigesimus, ut ex ante a me dictis colligitur. Senili igitur iam aetate, et in pastorali ministerio tractando diu exercitus, ad electum nuper magnae ecclesiae archiepiscopum, hominem quidem virtutibus ornatissimum, sed adhuc adolescentem, qui magno Carolo post alterum succedebat, tempestivi sane argumenti scriptum vigilanti consilio misit *de cauta imitatione sanctorum episcoporum*. Meminerat quippe prudentissimus vir Augustinus, quam severo et heroico pastoralis regiminis genere Carolus fuisset usus; reputabat secum immanes eius labores, vitam omni asperitate plenissimam, quam in medio cursu mors spontaneis cruciatibus accita abrupit; satis noverat qualem quantamque morum disciplinaeque reformationem non in suo clero ac populo solum fecisset, sed in universa provincia cui munere metropolitani advigilabat; denique decertationes etiam eius

acerrimas cum magistratibus episcopalis officii causa cogitabat, et summa vitae per nefarios homines intentata pericula, de quibus late Glussianus, ab Oltrocchio auctus, in vita sanctissimi viri scribit (1). Haec, inquam, Augustinus cogitans, admonendum censuit Federicum, ut in imitandis Caroli patruelis illustrissimis ac fortissimis gestis cautelam quandam modumque adhiberet, neque hunc in cunctis exaequandum sibi praesumeret; cuius consilii varias et aequas rationes subdit, deque re tota, non sine perpetua ac plurima beati Caroli laude, diu multumque cum Federico loquitur, eumque hac captata occasione episcopalia officia copiosissime docet; ita ut hic Augustini tractatus in utilioribus de tam gravi argumento scriptis habendus sit, dignusque omnino quem pastores animarum diurna sibi nocturnaque manu versandum arbitrentur.

V. Prisca et nobilis quaestio est, utrum sapienti honores sint capessendi, seu quod idem est, utrum ad rem publicam sit accedendum, nec ne: quam quaestionem toto prohoemio ad suos de re publica libros Cicero ventilat, simulque illorum argumentis respondet, qui honorum cursum vitabant. Quum autem ego in copiosis scholiis, quae illi operi attexui, tot aliorum veterum de hac re disputationes iam memoraverim, earumque fontes et loca indicaverim, nulla in praesentiarum est causa cur actum agam. Recte tamen Augustinus Valerius non tam ex libris doctrinaque ethnicorum, quam ex christiana sapientia et modestia, honorum fugam novo hoc ad Federicum Borromaeum libro suadet: qui liber, superiore ad eundem Federicum, tempore anterior est; hic enim scribitur ad Cardinalem nondum factum archiepiscopum, intra annos scilicet 1587 et 1595. Re-

(1) Lib. II. capp 12. 20. 22. ad 26. Lib. III. capp. 2. et 3. Lib. V. capp. 1 et 7. Lib. VI. cap. et 9

conditas in hoc libello, christianae philosophiae, vitae praesertim aulicae, exemplorum ac sententiarum opes, cur ego enumerem, cum in ipso fonte a lectoribus cognoscendae sint? Sed audio susurrantem aliquem: cur Cardinalis apud Cardinalem post adeptum honorem *de de fugiendis honoribus disputat*? Hanc animadversionem sane praesensit ipse Augustinus p. 146, futuros nempe qui dicerent "Cardinali non esse difficile ad Cardinalem de fugiendis honoribus scribere,,. Verumtamen hanc exceptionem non illo sensu is intellexit, quasi hi dicerent, facile esse homini saturo ieiunium praedicare; sed pie vereque dictum existimavit, facilem esse fugae illius laudationem homini experto molestias varias et sollicitudines quas honorum insignia coniunctas habent. Tum de suo ac Federici modesto et honestissimo honorum cursu talia narrat, quae si quis imitetur, eum dignitatis susceptae vix paenitebit.

DE ANTONII M. GRATIANI OPERE HISTORICO ET EPISTOLIS.

VI. Non mediocri fortunae dono acceptum refero, quod Antonii Mariae Gratiani celeberrimi episcopi amerini in vaticanis codicibus reperi historicos libros quatuor, et epistolarum latinarum libros undecim: quod utrumque opus habuit in ms. codice Hieronymus quoque Lagomarsinius, ut ipse in adnotationibus dicit ad Gratiani vitam, nec non ad eiusdem libros de scriptis invita Minerva, denique etiam in adn. ad Iulii Pogiani epistolas T. IV. p. 177. 199. 376; et sine dubio editurus erat, nisi nescio quis casus aut certe mors intervenisset. Libri quidem historici, id est tres de Despota Valachorum principe, et unus de fratre eius, iam addendi erunt praeclaro Gratiani commentario de casibus virorum illustrium qui iamdiu magno cum historiae fructu

legebatur: libri autem epistolarum cum illis sane Iulii Pogiani certabunt, quos utpote amici sui, prelo olim Gratianus ipse parabat, et denique paulo ante aetatem nostram Lagomarsiniius vulgavit. Historicum opus composuisse se in Asulano rure feriantem ait Gratianus epist. lib. X. 4. anno Domini ·M·D·LXVII·, qui Gratiani erat trigesimus, quia Christi anno ·M·D·XXXVII· natum scimus: quod scriptum a Cardinale Commendono Cardinali warmiensi Hosio olim ostensum, mirifice hunc delectavit; neque is tamen ab auctore impetravit ut sineret divulgari. Id sive modestia animi Gratianus fecerit, sive recentium rerum et hominum respectu aliquo, equidem nescio. Nam Despota principatu Valachorum potitus est anno ·M·D·LX·, neque ultra biennium tenuit (lib. I. 12. lib. III. 18.) Itaque vix quinquennio a rebus gestis elapso, historiam hanc scripsit Gratianus, cum plerique eorum quos nominaverat viverent. Iustus ergo suberat metus, nequem forte offenderet, vel nequid sibi incauto ac longinquo forte excidisset, quod illi redarguerent, vel quod, etiamsi apprime verum, falso negarent. Profecto in aliis quoque historicis scriptis valde liberum gratiamque hominum minime aucupantem Gratianum videmus. Sed utcumque se ista habent, nunc his demum remotis causis, praeclarum politicae historiae incrementum, castissima latinitate et eximia arte conscriptum, diutius in tenebris non fuit continendum.

VII. Decem modicae molis libros latinarum epistolarum sumpsi ex alio codice vaticano, librarii quidem opera scripto, sed ipsius passim Gratiani manu non emendato solum verum etiam refecto. Porro scriptae fuerunt hae cunctae epistolae a mense octobri anni ·M·D·LXVI· usque ad aprilem mensem anni ·M·D·LXX· ideoque triennium occupant cum dimidio, in divi Pii ·V· pontificatu. Tantus autem litterarum numerus ad unum

(paucis exceptis) scribitur adolescentem polonum Nicolaum Thomicium, cuius uberem notitiam a Lagomarsinio in adnot. ad Pogiani epistolas T. IV. p. 367. et p. 375. seq. scriptam, in pauca equidem verba conferam. Nempe hic Nicolaus Iohannis poloni praenobilis et Varsaviae praefecti filius, anno ·M·D·LXII· Patavium studiorum causa venit, ubi lutheranos seu calvinianos errores, quibus exemplo patris afflatus fuerat, suadente in primis Cardinale Commendono eiuravit; tantamque mox honestatem morum, ingenii elegantiam, iucunditatem convictûs prae se tulit, ut plurimorum animos sibi devinxerit, atque in primis Gratiani nostri, qui cum in comitatu Cardinalis esset, Nicolai etiam quotidiana consuetudine utebatur; absens vero nullum fere tabellarium dimittebat sine suis ad hunc iuvenem litteris: qui octo demum post annos a patre in Poloniam revocatus, id est anno ·M·D·LXX., ibidem ecclesiasticae vitae se addixisse videtur. Paulo post tamen, adeo ab se ipso descivisse dicitur, ut omnem Gratiani et Cardinalis conceptam de se spem fefellerit: neque aliud postea de eo traditum est, nisi quod virente adhuc aetate anno ·M·D·LXXXV· supremum diem obierit. Manet ergo Poloni huius memoria in Gratiani epistolis, nec non in historia Despotae, quam pariter illi inscripsit, et denique in Augustini Card. Valerii libello quodam, quem p. 408. appellavi.

VIII. Profecto humanissimus Gratiani animus nusquam adeo se prodit, quam his epistolis, quibus amorem summum erga Thomicium, catholicae religionis gratia susceptum, expromit; quam ob causam nulli incommodo parcit, nullam propriae valetudinis rationem habet, nullis denique occupationibus retardatur, quominus ei adolescenti omni ope et officiorum genere consulat. Iam harum epistolarum latinitatem cur ego com-

mendem, cum eam Gratianus aliis quoque libris iampridem talem tantamque demonstraverit, ut is nemini sit inferior, plerosque superet? Testis locuples Iulius Pogianus, summus et ipse latinitatis artifex, qui in cunctis suis ad Gratianum epistolis hanc eiusdem peritiam depraedicat (1). Neque sola latinitatis praestantia has commendat epistolas, sed etiam historiae utilitas; nam quicquid eo tempore, in civili praesertim Galliae bello, in Belgicis motibus, in Germania, et apud Polonos idemtidem, Moscos, Svecos, Scotos gestum est, curiosa narratione auctor persequitur. Duae sunt praesertim de catholica religione magnae epistolae lib. III. 9. VII. 10; una de Carolo Philippi hispani filio VI. 1; alia de Erico Svecorum rege V. 13; alia de Velini fluminis catarrhactis IV. 4; nonnullae in libro VII. de suo germanico cum Card. Commendono itinere; duae denique luctuosissimae de Pogiani obitu VII. 10. 11. quae singulari cum sensu legentur; quamquam et aliae multae eodem colore sunt. Quid quod integrum Caroli IX. Galliae regis contra Hugonotios edictum sua nobis latinitate vestitum exhibet lib. V. 4? Ceteroqui temporum suorum historiam multo is uberius exsequitur in secundo praesertim scriptorum invita Minerva tomo. Porro haec sive historica sive familiaria Gratiani scripta lautam nobis scholiorum appingendorum materiam suppeditabant; veluti fecit Lagomarsinius ad Pogiani epistolas, qui docte quidem sed redundantius fortasse in scholiis semet dilatavit. Sed praeter quam quod ad alia nos properamus, illa etiam simplici et pura paginarum specie delectamur, qua parisiaci editores libros Gratiani de vita Card. Commendoni, et de casibus virorum illustrium, lectoribus obtulerunt. Ac ne sedulo quidem adnumerandum putavi quae

(1) Tom. I. epp. 233. 234. 235. T. II. epp. 1. 39. T. III. epp. 31. 36. T. IV. ep. 3.

vel quot litterarum harum fragmenta (inter quae Clementis ·VIII· epistolium) Lagomarsinius obiter adnotationibus suis sive ad Pogiani epistolas sive ad Gratiani libros de scriptis invita Minerva admiscuerit; id enim cum parum interesset, tum certe pars minima rei erat.

IX. Atque heic ego edendorum Gratiani scriptorum finem feci; etenim nec historia primi anni Sixti ·V· pontificis, quam Lagomarsinius autographam apud se habuit, et cuius exemplar Casimiro Tempesto largitus est (1), neque quicquid huius Pontificis nomine Gratianus scripsit, cui fuit ab epistolis, neque volumina duo litterarum ab eodem partim suo partim Commendoni nomine scriptarum (Lagom. ad Pogian. T. III. p. 63.) in manus meas inciderunt. Et quidem ex his, ut puto voluminibus avulsa fuerunt duo ad Thomicium epistolarum fragmenta, quae idem Lagomarsinius ad Pogian. T. IV. p. 199. recitat, quaeque a codice vaticano prorsus absunt. Mitto cetera Gratiani scripta, quae in additis ad eius vitam commentariis laudantur. Legi tamen in codd. vatt. tria magna italicarum epistolarum volumina annis 1596. 1597. et 1598. Venetiis scriptarum, quum ibi legatione pro Clemente ·VIII· pontifice fungeretur: magnum hercle politicae ac negotiosae sapientiae penu, quod satis denotat litteratissimos quoque homines e suo doctrinae fastigio ad gerendam rem publicam bene naviterque, si res ferat, descendere. Multa ibi de bello ferrariensi contra Caesarem Estensem, cui secreto multi favebant; de maris hadriatici dominatu, quem Veneti affectabant; de ratione fungendi apud eam rem publicam legatione sacra et consulatu; de subortis saepe ob spirituale regimen controversiis, quae iam tum adeo calebant, ut malis iis, quae sub Paulo ·V· demum eve-

(1) Lagomarsinius in adnot. ad vitam Gratiani, insertam operi eiusdem de script. inv. Min. Item Tempestus in vita Sixti V. P. M. p. 24.

nerunt, via tunc muniretur. Sed haec et huiusmodi alia Gratiani multa, quae sive in his sive in aliis vidi codicibus, expilanda potius pro re nata sunt, quam sine delectu effundenda. Denique de Cardinalium Ioh. Commendoni et Petri Bembi, atque A. S. Sannazarii novis carminibus, nec non de Petrarchae et Iul. Valerii supplementis, propriis in locis pp. 479. 488. 512. 513. dictum fuit.

DE ANTONII GALATEI EPISTOLIS.

X. Antonii Galatei ex gente italo-graeca anno ·M·CCCC·XLIV· in Iapygia nati, anno autem ·M·D·XVII. extincti, notitiam plenissimam tradiderunt plurimi historici, praesertim vero De-Angelis script. salent., Tafurius script. regn. Neap., Polydorus vit. Galat., Fabricius B. L. med. aevi, Buccanerius et Papadias script. neap. et salent. Quin adeo nemo fere est vel illius aetatis eruditus auctor, vel posteriorum temporum bibliographiae studiosus, qui Galateum honoris causa non appellet; atque haec ipsa plurimorum testimonia apud praedictos historicos passim extant. Hinc otium mihi iam factum est, quominus plura de hoc celebri homine, philosopho insigni, academiae pontanianae sodali, vix cuiquam litterarum gloria tunc secundo, verba connectam. Quia tamen post veterem nonnullorum Galatei scriptorum editionem basileensem, tum etiam singularium aliquot deinde vulgatorum, multa adhuc in vaticano codice iacere conspexi, dolui fortunam praeclari ingenii, cuius repositi in umbra fructus trecentis iam ac triginta annis mitescunt. Vaticanus igitur codex persimilis illi est, quem (ut narrat Fabricius loc. cit.) Bern. Bonifacius neapolitanus Hauriae marchio, is qui basileensem librum curaverat, (eodemque anno natus est quo Galateus decessit) Gedanensi rei publicae, apud quam profugus exula-

bat, dono attribuit: vaticani autem notitiam et indiculum communicatum sibi vulgarunt praedicti biographi Buccanerius et Papadias, quorum postremus apologeticam etiam Galatei epistolam pro Leoniceno medico scriptam impressit. Nemo tamen novit autographum ipsius Galatei videri vaticanum codicem, quod ego inde colligo, quia bis in extimo tegumento scribitur EPISTOLAE NOSTRAE. Utique scripturae forma, Galatei saeculo apprime conformis est, quod palaeographiae gnari inspecto codice statim concedent. Equidem haud omnia, quae codex continet, sum daturus; tum quia de editis cogitandum non putabam, tum quia delectui magis quam acervo soleo studere. Quae tamen proferam, ea vel cuncta latuerant hactenus, vel certe pleraque, nec nisi fere in mss. codicibus a Galatei biographis lecta fuere. Ceteroquin ad unum omnes, qui Galatei aliquid continent, impressos libros videre mihi ut credo non licuit, veluti librum illum in quo Tafurius Galatei alterutram ex epistolis ad Belisarium Aquaevivum vulgasse se dicit. Galatei autem apud nos epistolae duplicem veluti classem constituunt; quarum priorem implent historicae vel quasi historicae undecim, alteram philosophicae et variae novem. Historicas appello, quae ad reges principesve scribuntur, vel ad viros bello aut doctrina claros: reliquae illae sunt, in quibus auctor philosophice vel multifariam disputat. Utra utri classis praestet, non definio; sed mihi quidem utraque valde placet propter elocutionis facilitatem, veritatis studium, sensuum altitudinem ac sanitatem, vividam denique morum ac temporum et ipsius scribentis picturam. Dignum igitur Galateum iudicavi, quem cum Antonii Gratiani historico opere epistolisque, et cum Petri Bembi ac Sannazarii carminibus, in hoc meo volumine copularem.

DE VITIS PROREGUM ALIQUOT NEAP.

XI. Ludovicum Muratorium, italicarum rerum scriptores magno ausu colligentem, scripta multa necessario fugerunt; quod ii qui mss. codicum bibliothecas administrant, quotidie comperiunt. In his, ut scimus, praecipua Vaticana est, cuius uberrimas italicae historiae divitias magnus ille vir Mutinae sedens et lucubrans non conspexit. Atqui tot tantaeque sunt, ut ipsarum vel solus indiculus, si paulo accuratior fiat, ad mediocrem libri molem consurgere queat. Ecce enim Assemanus a Christi anno ·D· usque ad ·MCC·, id est intra septem annorum centurias, ex regni neapolitani scriptoribus Muratorio incognitis quinque gravia volumina effecit. Quid vero si posteriores subiungantur? Equidem ut spartam aliquam in hac quoque eruditionis parte ornarem, Julii Caesaris Capacii cuidam operi mentem intendi de vitis Proregum aliquot regni et urbis Neapoleos, quod manu scriptum inter urbinensium Principum codices, pontificiis iamdiu additos, dudum observaveram. Quippe Capacius, postquam diu ab actis neapolitanae urbi fuerat, multisque editis scriptis orbi inclaruerat, a Francisco Maria Roborco ·II·, postremo Urbini principe, instituendo suo in litteris et politica scientia filio unico praepositus fuit: qua in aula et officio dum versaretur, has Gubernatorum neap. vitas scripsit, teste etiam in elogiis Laurentio Crasso his verbis: "denique vitas Proregum Neapoleos aggressus est, quas „ pro voto editas non vidit, morte occupatus anno ·M·DC·XXXI· Tredecim autem Proregum vitae in urbinensi codice leguntur, nempe a Consalvo magno, qui primus regnum neap. catholico regi Ferdinando adseruit, usque ad Petrum de Castro, qui anno ·M·DC·X·

factus est prorex. Sunt autem hi. I. Consalvus magnus cod. p. 2. II. Raimundus de Cardona p. 17. III. Philibertus Aurantius p. 27. IV. Pompeius Cardinalis Columna p. 35. V. Petrus de Toleto p. 45. VI. Ferdinandus de Toleto Albae dux p. 67. VII. Antonius Perenotus Cardinalis Granvellanus p. 86. VIII. Petrus Gironus senior p. 94. IX. Henricus Guzmanus Olivarensium comes p. 106. X. Ferdinandus Ruiz de Castro p. 122. XI. Franciscus de Castro p. 144. XII. Ioh. Alphonsus Pimentellus Beneventanorum comes p. 148. XIII. Petrus de Castro p. 162. Capacii latinitas hoc certe in opere lutulenta et pedestris mihi videbatur, soloecismis etiam inquinata, nec venustate solum verum etiam perspicuitate quandoque carens. Itaque ne exosam nimis barbariem aliquoties exscriberem, stilum idemtidem verti, ita tamen ut mutatis variis hac illac vocabulis, orationem incolumem nativamque servarim. Quam ob rem, tum etiam quia totum codicem evulgare non libebat, trium tantummodo Proregum vitas delegi, duorum quidem in re militari clarorum, tertii autem propter concitatum sub eo popularem annonae causa tumultum in urbe Neapoli; ut ea narratio civilibus magistratibus salutari exemplo sit, ne famelicam plebis rabiem illiciant; et si ea forte ingruat, idoneo tempore, ac forti manu, providoque consilio praecaveant.

DE ONUPHRII PANVINII SCRIPTO.

XII. Magnum augustiniani ordinis lumen Onuphrius Panvinius romanas antiquitates centum libris describere orsus erat. Tam vasti operis tela, quam acerba mors interrupit, in vaticanis codicibus a me fuit observata: sed praefationem tantummodo eruditissimam nunc divulgare praestat, cuius nonnisi aliqua pars legebatur ha-

ctenus edita ante ipsius Panvinii commentarios de rep. romana, Venetiis anno M.D.LVIII, et alibi impressos. Profecto tanti est haec praefatio, ut etiamsi integra fuisset edita, nihilominus studiosorum in gratiam recudenda saepius videretur.

DE PROCLI COMMENTARIO.

XIII. Ex elegante, et adhuc inedito Procli commentario ad Platonis de rep. librum decimum, fragmenta nonnulla intuli in adnotationes meas ad Ciceronis de rep. librum sextum. Prolixiora vero segmenta duo scripsi sub eiusdem voluminis (ed. sec.) initio ac fine de platonica fabula Eris resurgentis, et de animarum inter se colloquio. Utinam vero mihi liceret Procli hoc scriptum eruditissimum cum ipso pulvisculo totum efferre! Sed codex et misere truncatus est, et in superiore singulorum foliorum parte madore ac situ corruptus, ita ut nulla pagina integra sit, hiante oratione. Quin et ipsi quaterniones sus deque perturbati fuerunt, qui abrupto toties, ut dixi, sermonis filo, aegre ordinantur. Sequar igitur institutum meum ut in huius quoque voluminis calce, tamquam aliquod emblema, nova excerpta collocem procliani commentarii, postremam scilicet operis disputationem, in qua multa philosophiae priscae theologiaeque paganae capita evolvuntur.

De sancti Augustini sermonibus dicam p. 713.

DE ADDITAMENTIS FACIENDIS AD VESPASIANUM FLORENTINUM.

XIV. Scriptas a Vespasiano florentino illustrium sua aetate virorum vitas edidi in primo Spicilegii volumine, deque his multa in praefatione disserui. Ecce autem in quodam vat. codice aliarum insuper eodem auctore vitarum titulos offendi, quamquam ubinam eae lateant in-

compertum mihi sit; codex tantummodo dicitur fuisse viri ecclesiastici cuiusdam Magii qui certe codex ab eo differt, unde vita Philelphi olim prodiit, qui fuit sacerdotis Lancellotti: nisi forte idem exemplar ab uno ad alterum, ut fit, dominum migravit. Notitia igitur, quam invidere lectoribus nolo, ita se habet in codice.

Di Vespasiano fiorentino vite d'alcuni uomini illustri, che si conservano in codice dell'illustrissimo e reverendissimo Maggi, vioè: I. *Vita di frate Girolamo da Matelica p.* 312. II. *Di Ferrando di Catelano p.* 313. III. *Di Maestro Evangelista de' Pisci dell'ordine di S. Agostino p.* 316. IV. *Di maestro Girolamo da Napoli dell'ordine suddetto.* V. *Di Marcello Strozzi p.* 316. VI. *Di Domenico di Leonardo Boninsegna* (1) *p.* 317. VII. *Di Bartolomeo di Benedetto Fortini* (2) *p.* 319. VIII. *Di Maestro Nicolò Spinegli francescano p.* 321. IX. *Di fra Giuliano Lapaccini fiorentino domenicano.* X. *Di fra S. Fiorentino domenicano p.* 322. XI. *Di Lemno fiorentino* (3) *p.* 323. XII. *Di Alessandra de' Bardi figliuola di Alessandro p.* 327. Rebus autem quae ad Vespasiani vitas adnotari poterant, sequentia addenda videntur. I. Ad Eugenii ·IV· vel Nicolai ·V· PP. MM. vitas. – In cod. vat. 3709. prolixus extat latinus dialogus *de recte regendo pontificatu* ad Clementem ·VII· PP., auctore Callisto placentino, qui eidem Pontifici a concionibus sacris fuit. Lectitavi opus; sed cum generalia plerumque praecepta tradat, nihilque adferat quod in iamdiu cognitis libris non legatur, nihil ex eo

(1) Huius extat historia florentina.

(2) Extat haec in florentinis codicibus, ut dixi T. I. in praef. p. XVII.

(1) Lemni nosocomium Florentiae, memorat Vespasianus p. 364. Obiter heic adtexo aliquot eius voluminis emendationes, nempe. pag. XXVII. et p. 360. vera lectio habeatur *Lamola*, cuius reperi in vat. cod. etiam orationem et quoddam diploma. P. 305. magnam codicis corruptelam iudico *privato suggello* pro *protosincello*. Pag. 365. corr. *Uzano*. Pag. 567. v. 18. scribe *Piccino*, et v. 22. *cammino*.

excerpendum iudicavi. Meliora sane dicuntur in duobus eodem titulo sed italica lingua scriptis sermonibus ad Sixtum ·V· PM. codd. vatt. 5476. et 5917. Puto tamen, magnum hunc Pontificem suis potius animi et ingenii vivibus, quam his anonymi hominis monitis et consiliis, principatum sacrum rexisse. II. Nicolai legati (id est B. Nic. Albergati) ad Galliae principes oratio de dissidiis inter apost. sedem et illius regni praelatos cod. vat. 3878. Montf. B. Mss. p. 110. Deest haec in collectaneis de B. Nicolao apud Ben. XIV. de Can. SS. tomo sexto III. Callisti PP. III. bibliothecae extat syllabus vaticanus, (Montf. p. 114.) propter dicta apud Vespasianum p. 284. IV. Scriptae a Iacobo Zeno episcopo patavino vitae rom. Pontificum extant in crasso codice vaticano 5942. de quo opere Vespas. p. 261. V. Lauri Quirini oratio de pace Italiae cod. vat. 536. VI. S. Bernardini senensis tractatus de usuris cod. vat. 7667. VII. Gregorii Corrarii liber de fugiendo saeculo ad Caeciliam virginem fuit in codd. Card. Dominici Capranicae, ut in indiculo legi. Ceteroqui iam edidit Martenius. VIII. Laurentii Ridulphi tractatus de usuris cod. vat. ottob. 3335. IX. Scriptam Pallantis Strotii nomine elegantem italicam cantilenam a poëta nobili, quem Itali dicunt *Saviozzo* (pleniore autem nomine *Simone di Ser Dino Forestani*) memini me videre in quodam codice vat. cum aliis multis poëtae eiusdem italicis aeque carminibus. X. Marasii (Vesp. *Malraso*) carmina latina complura sunt in cod. vat. Reginae svecae 1555, cum illa ad ipsum poëtam Leonardi aretini epistola, quae prima est sexti libri in editione Mehusii. De Marrasio Mongitorius in bibl. sicul. T. I. p. 352. XI. Epigramma italicum *di Ciano del Borgo* a me editum in postrema voluminis I. pagina, quod incipit *Alessandro lasciò la signoria*, vidi postea vulgatum inter poëmata minora Dantis Aligerii T. I. part. 2. p. 153, non tamen sine va-

rietatibus. Iam utri auctori tribuendum sit, iudicabunt eruditi. Denique hoc loco admonendum censeo lectorem, opus illud inscriptum *consuetudines Cluniacensium*, cuius dedi specimen in praef. ad T. VI. p. XXXIX. seq., habere reapse priscum auctorem Bernardum monachum cluniacensem, quem Trithemius n. 347. ait floruisse medio saeculo XI.

DE SIMONE SENENSI EIUSQUE CARMINE.

XV. Simonis Forestani, seu Saviotii, senensis, qui aureo linguae italicae saeculo poëtica facultate claruit, nuper feci mentionem; sed multo uberiorem eius notitiam scripsit Marius Crescimbenius in commentariis suis de vulgari Italorum poësi T. II. part. 2. p. 119-120, ad quos lectorem a me ablegari aequum est, ne dicta recinam. Carminum autem ab eo scriptorum non exiguus numerus in codicibus superest plerumque adhuc ineditorum, veluti etiam in nobili codice vaticano, unde mihi hymnum in B. Mariam virginem, sive quandam eiusdem invocationem, sumere placuit, a Simone compositam, pestilentia per Italiam grassante, quam anno ·M·CCC·LXXXIII· civitatem quoque Senensem invasisse, tradit Muratorius in annalibus. En igitur scripti huius annus natalis, quod tempus in ipsius auctoris aetatem aliunde satis exploratam prorsus incidit. Hunc nostri poëtae hymnum, eius metri quod Itali dicunt *Capitolo*, apud Magliabecchium quoque extitisse, narrat loc. cit. Crescimbenius; idemque legitur in codice quoque gaddiano seu mediceo, ut ait Bandinius Catalog. codd. latt. T. V. p. 447, qui et ciusdem versiculos primum et ultimum indicii causa recitat. Habeant igitur a me lectores hoc Simonis senensis poëtae carmen, quod neuter certe e praedictis editum dicit.

Madre di Cristo gloriosa e pura,
Vergine benedetta immaculata,
Donna del ciel colonna alta e sicura,
Sacratissima ancilla incoronata
Da quella sapienza eterno amore,
Per cui dall' angel fusti annunziata;
Tu se' colei, in cui l' alto Signore
Assumpse carne nella tua virtute,
Per tor del primo padre il nostro errore.
Tu fosti nave e porto di salute
De' santi padri, e nostra vera guida
Di quelle grazie ch' hai dal cielo avute
Tu se' colei a cui tanto si grida
Misericordia, e dove ogni uom ricorre.
O felice colui che in te si fida!
Jo non saprei già mai tanto disporre,
Quant' una favilluzza del tuo lume
Porìa più digna loda e gloria torre.
Ma tu, Madonna, unde il beato fiume
Di vene di clemenza e caritade
Esce di grazia sempre per costume,
Ascolta me, se nella tua pietade
Tu exaudisti mai un cor contrito,
E guarda al pianto mio pien d' umiltade.
Vedi tu il detestabile partito
Non dico pur di me, ma di tua terra
Che sempre il nome tuo ha riverito.
L' ira di Dio che ora l' arco afferra,
Misericordia o madre! or tu sostiene,
Che remedio non' c' è, se lui disserra,
Vedi la città tua che a te ne viene
Siena, che è sempre stata ancilla e serva.
Deh, madre mia, or non te ne sovviene?
Clementissima donna or tu reserva
L' ira del tuo figliuol, che sopra noi
Vedi quanto è pestifera ed acerba!

Rincuora i santi e casti prieghi tuoi,
E spunta quella orribile saetta
Per tua pietà, che sai che far lo puoi.
O santissima madre alma perfetta,
O santa avvocatrice onesta e pia,
Misericordia e grazia, e non vendetta!
Quì si udirà tua dolce melodia,
D' innanzi al tuo figliuolo l' orazione,
Quì fioriranno i prieghi di Maria.
Ecco la città tua che inginocchione
D' innanzi a' piedi tuoi non può parlare,
Tant' è il suo pianto della contrizione!
Tu sola se' che lei puoi consolare;
E ben conosci quanto l' è mestiero,
Tu la puoi ben soccorrere e aiutare.
Non fu mai re sì dispietato e fiero
Che non volgesse gli occhi a qualche grazia;
Qual sarà dunque il tuo clemente impero?
Vedi la cruda morte or che la strazia,
Togliendo a poco a poco i suo' bei membra,
Di divorarla non si vede sazia.
O regina del cielo, or ti rimembra
Che sempre l' hai difesa in ogni stremo
Per la pietà che del tuo cor consembra.
O santissima madre, or che faremo?
Non c' è rimasa in terra altra speranza,
Se non nel gremio tuo, a chi giremo?
Tu se' lo scudo nostro e la baldanza,
Che ci difendi dall' eternal spada,
E perchè c' è rimasa ogni fallanza.
Vergin, se amor dell' umiltà t' aggrada
Quando dicesti: padre, ecco l' ancilla,
Fa che la voce mia giusta non cada.
Io te n' obsècro per quella favilla
Del superno splendor, la cui gran lampa
La nostra morte in croce dipartilla,
Madre, tu ci difendi, tu ci scampa,

Tu ci ricopri sotto il ricco manto,
Dove nullo perisce e nullo inciampa.
Ed io quel salmo benedetto e santo
Dirò con teco o preziosa Dia
Con l' armonia del tuo pïatoso canto.
Magnifica il Signor l' anima mia,
E lo spirito mio exulterà
Nel salutare Iddio come desia.
Perchè conspesse tanta umilità
Di me sua vera ancilla. E tutta gente
Però ognor benedetta mi dirà.
Donde mi fece lui quale possente
Le magne cose scritte, e nome eterno,
Signor del cielo padre onnipotente
La tua misericordia in sempiterno
Di progenie in progenie a tutti noi,
Che seguiremo il santo tuo governo
Fece potenza nel suo braccio, poi
Disperse voi superbi (e ancor si vede)
Dal regno del suo core; e guai a' voi!
Poi depose i potenti dalla sede,
E gli umili exaltò quanto conviene,
Come si mostra per esemplo e crede.
Gli esurienti tutti empiè di bene,
I ricchi del tesor vani ha lasciato
Ch' hanno nel mondo posta la lor spene.
Suscepit Israèl suo dolce nato,
Si ricordò di sua misericordia,
E come a' padri nostri avea parlato.
O regina inimica di discordia,
Tu di' nel salmo tuo, io ben lo intendo,
Amica è d' umiltà pace e concordia.
Madre, più oltre non troppo mi stendo,
Perocchè io penso ci abbi exauditi,
Se tanta grazia nel mio cor comprendo.
Pregoti ancor che tutti siamo uniti
Tuoi cittadini senza odiarci insieme.

D' altronde siamo assai bene puniti.
Amor mi stringe pur ch' io dica e preme
Della mia terra che inferma si giace,
Ch' io ne vegga divelto ogni mal seme,
Sì ch' ella possa omai viver in pace.

DE ALIO CARMINE ITALICO.

XVI. In hoc Spicilegio T. I. p. 567. locutus sum de codice quodam mediolanensi, in quo cum aliis multis carminibus inerat quoque lamentatio scripta nomine Francisci comitis Guidi de Battifolle, postremi Pupiensium in Etruria reguli, qui anno ·M·CD·XL· a Florentinis principatu exutus fuit. Codex quidem mediolanensis nunc a me abest, sed vaticanus adest nobilior, quo res eadem commode continetur. Iam Pupiensis reguli luctuosam catastrophem narrat Scipio Ammiratus hist. florent. lib. XXI, qui orationem quoque Principis ponit, huic cantilenae consonam, victores suos misericordiam frustra rogantis. Longe vero accuratius de Francisco eiusque liberis Carolo, Ruperto, et Lucchino, item de filiabus Ludovica saltem et Gualdrada scribit idem Ammiratus in singulari tractatu de gente comitum Guidorum p. 48. et seqq. Gamurrinus autem hist. famil. nob. tusc et umbr. T. I. p. 157-158. tantum numerum recenset oppidorum ab his Guidis comitibus possessorum, quantum iusti ac magni principatus dignitas postulat. Cantilenae quidem auctor incognitus, aetas tamen eadem quae rei narratae est. Huic respondit Florentinorum nomine Peregrinus quidam, cuius item poëtae particulam postea recitabo. Vidit utrumque carmen in florentino codice etiam Bandinius, qui et initium finemque, sed non satis emendate, adscripsit Biblioth. Leopold. T. ·III· p. 331.

LAMENTO

DI FRANCESCO DA BATTIFOLLE CONTE DI POPPI.

O me, o me, o me, o me dolente!
O mille volte, o me, o cento milia!
O dolente vigilia
Di mala festa! o mal pensiero e folle!
Oimè sangue gentil da Battifolle!
Come ho condutto me e mia familia
A sì trista quisquilia,
Che fui signor già sì alto e possente!
O Perusin fallace e fraudulente
Non piccino (1) ma grande in mia ruina!
O venenosa spina
Che m' hai trafitto il core ond' ei mi scoppia
. . . . (2)
Angoscioso dolor che il cor mi preme,
Pensando il gentil seme
Che ha maculato mia dura cervice.
Io era alto e felice,
O lasso me! ed ora son cacciato
Per mia follia di sì felice stato.
Quell' alta Signoria ch' è tanto prona
E generosa a perdonar le offese
Mi fu tanto cortese
Che aveva indulta mia vecchia follia,
Datomi onore e possente balìa
Di commessione (3) in quel vago paese,
Ove prima discese
Quel cristallin ruscel di Faltarona.
Ivi si riposava mia persona

(1) Il codice ha: *non picciara mai grande* etc. Ho corretto, come il lettore vede, stimando doversi quì intendere Nicolò Piccinino perugino, col quale collegatosi il Conte di Poppi, perdè la battaglia di Anghiari, e pol lo stato. (2) Manca un verso. (3) Ammirato famil. Guidi p. 48.

Con sì bella famiglia e tanto onore
Dell' antico valore
Del generoso sangue ond' io son nato.
Ma io solo da me mal consigliato
Non curando l' onor ruppi la fede
A quel bel fior che vede
Il presente e futuro; ond' io rimango
O lasso me nel fango
Cacciato con vergogna e con disdagio
Abbandonando il mio alto palagio.
Sotto l' ombra possente di marzocco,
E sotto l' ale di fiero artiglione,
Che trafigge il dragone,
Giocondo stava e dormiva sicuro:
Firenze bella m' era scudo e muro,
Come agli Ebrei il possente Sansone,
Sì che nulla offensione
Temea di cavalier pedone o rocco.
Ma io dolente o me deliro e sciocco,
Io dico sciocco e debbo dire stolto
Percotendomi il volto
Sì che di sangue sia tutto vermiglio,
Ostar credetti a quel possente giglio
A cui non manca mai vivace umore,
Nè mai cangia colore
Per ispirar di venti o di tempesta.
Ma la mia dura testa
O me, o me, mal volontier' il dico,
Cacciato m' ha fuor del mio albergo antico.
O Carlo mio, o Ruberto, o Lucchino,
O Anna, o Ludovica, e tu Gualstrada!
Misero me, o qual sia nostro ostello?
Ove ritroveremo il bel castello,
Lasso dolente! e la bella contrada?
O aspra o cruda spada
Trafiggi il core a me lasso tapino!
O sale imperiali, o bel giardino!

O camere leggiadre e compassate
Di fino oro adornate!
O scala trionfante a beccatelli!
O bei corsieri, o bracchetti, o ucelli!
O tanta riverenza di vassalli,
Che per monti e per valli
Tenea lo scettro e bella signoria!
Ma mia trista follia
M' ha traboccato d' alto in basso loco,
Onde ho perduto festa e riso e gioco.
O folle padre di noi tristi figli
Che n' avea fatti sì leggiadri e belli!
Or ci ha fatti ribelli
Senza nostro peccato, e fatti tristi.
Maledetto sia il dì che tu assentisti
Al folle tradimento, e i tuoi drappelli
Drizzasti e i pensier felli
A osteggiar con quei possenti artigli
Del gran leone e dei possenti gigli
Che abbatte ogni animal che li fa guerra,
Ognun batte ed atterra
Che contra al suo valor alza la testa.
Ello ha la branca sì possente e presta,
Che non teme l' assalto d' altra belva
O di monte e di selva;
Sì che costar li fa il folle ardire.
Ma chi li vuol servire
Con lieto volto e con serena fronte,
Ei fa star franco e per piano e per monte.
O dolci nati e di mio gentil sangue,
Io vel confesso, onde il mio cor si squatra,
E siccome can latra,
Ovver come leon ch' ha febre rugghia,
Come toro ferito grida e mugghia,
E l' alma trista per gran pena è atra,
Sospira grida e latra,
Come percosso da colubro o d' angue

Il cor dolente mio si duole e langue.
Ch' io son cagion del mio e vostro male,
Ch' io non aveva equale
Nel mio dolce paese nè pareggio.
Ora dolente e misero m' avveggio
Ch' io ho disfatto voi e me in un punto,
Ond' è il mio core emunto,
E consumar mi sento ogni valore.
Io son pien di dolore,
O dolci nati miei, e tanto lasso
Ch' io bramo morte e quel dolente passo.
O gentil flor che in tutto il mondo spiri
Tanto dell' odor tuo che ognun ne sente,
Glorioso e possente,
Contro del quale io ho tanto fallato,
Mercè mercè mercè del mio peccato,
Mercè domando a tua piatosa gente
Con lagrime sovente
Con doglia e con angoscia e con sospiri;
E prego il tuo valor che non rimiri
Al mio fallir, ma li miei dolci nati
Ti sien raccomandati,
Che innocenti sono e senza colpe.
Io diedi loro oimè l' ossa e le polpe.
E del mio fallo lor dispiacque tanto
Che con sospiri e pianto
Contradiceano e con piatosa voce (1).
Ma il mio core feroce
Non speculando il fin, fece il gran fallo
Che car mi costa, e tutto il mondo sallo.
Canzon dolente mettiti in viaggio,
E narra a quei Signori il mio lamento
Che hanno il reggimento
Di quell' alma città ch' è sì piatosa.
Con umil voce e non con orgogliosa
Fa manifesto il mio gran pentimento,

(1) Ciò conferma l' Ammirato pag. cit.

E ch' io son mal contento,
Se inverso lei cercai alcuno oltraggio.
Dì ch' un poco di raggio
Della lor gran pietade in me rifulga,
Se non a me, a' miei figliuoli indulga.

Huic, ut dixi, lamentationi responderunt alio carmine Florentini, qui post diu celebratam iustisque laudibus exaltatam suam rempublicam, miseri Principis postulata prorsus repulerunt. Sic enim apud dictum Ammiratum hist. loc. cit. loquitur Nereus Capponius florentini exercitus ductor, cuius verba quodammodo exprimit poëta in penultima cantilenae stropha, quam solam heic recitabo.

Adunque qual follia o qual mattezza
Ti fece, o quale orgoglio o pensier folle,
Conte da Battifolle,
Che contra al mio valor alzasti il dito?
Questo che io ho narrato avevi udito
Aperto e chiaro e per piano e per colle,
Che ciascun che mi volle
Oltraggio fare, io l' ho messo in bassezza.
Il lamento che fai, quì non s' apprezza,
E perdonanza quì non ha più loco.
Sì che pregarmi, poco
Utile fia a te o a' tuoi nati.
A quello, a cui tu hai largiti e dati
Tutti li sensi tuoi, ti raccomanda;
Che di nostra vivanda
Più non se' digno, e non ne puoi gustare.
Da te puote imparare
Ciascun che dar mi vuole affanno o briga,
Che la mia mazza arguta il reo castiga.

SEDULII SCOTI

LIBER

DE RECTORIBUS CHRISTIANIS

AD CAROLUM MAGNUM IMPERATOREM VEL LUDOVICUM PIUM. (1)

INCIPIT OPERIS

PRAEFATIO SUBSEQUENTIS.

Omne ministerium trifido quod praeminet orbe,
Arte gubernandum. Sunt artis plurima dona.
Omnicreans dominus terras, mare, sidera, caelos
Arte creat, totum pulchrum regit arteque mundum.
Artibus egregiis sapientia celsa tonantis
Praeposuit hominem cunctis animalibus orbis.
Ars currum regitat, naves ars rite gubernat,
Atque triumphalis res artem bellica spectat.
Indiget artis apes. Sic ut res publica felix
Esse queat, rectore bono populoque beato.
Ob hoc caelestum transcurrens prata librorum
Florida congessi vobis, Rex, inclyta serta,
Quae capitis vestrae mentis diadema perornent,
Sceptraque glorificent Christi dominantia nutu.
Atque salutiferas divini dogmatis herbas
Pollice decerpsi nardo redolente calâthis.

(1) Videsis capitulum IX.

Sumite de liquidis Israhel fontibus undas
Quae satient bibulum praedulci rore palatum.
Gloria nam regum, nitidis et stemmata sceptris
Dogmata sunt Domini, nec non exempla priorum,
Gestaque nobilium procerum famosa per orbem.
Artibus his vigeat vestri res publica victrix,
Atque gubernetur multis feliciter annis,
Donec sideream vos ascendatis in aulam,
Iuste regnantum qua perpes gloria pollet.

EXPLICIT PRAEFATIO.

Tecum principium, finis, rex Christeque, tecum.
Alpha operis famuli sis, Deus, ωque tui.

INCIPIUNT CAPITULA EIUSDEM LIBRI.

I. De eo quod pium rectorem, accepta potestate regali, primum dignos Deo et sanctis ecclesiis honores dicare oportet.
II. Qualiter rex orthodoxus semet ipsum regere debet.
III. Qua arte et industria momentaneum regnum stabiliri potest.
IIII. De regia potestate non tam opibus et fiducia fortitudinis, quam sapientia cultuque pietatis peror-nanda.
V. Quanta sacri moderaminis sollicitudo erga uxorem et liberos propriosque domesticos ab eodem est exhibenda.
VI. Quales consiliarios et amicos bonum principem habere decet.
VII. Quae res malos principes faciat.
VIII. De avaris vel impiis regibus, et quanta per cos-

dem populum mala, vel ipsos ultio divina consequitur.

IX. De rege pacifico atque clementi. Vel quibus danda sunt beneficia.

X. Quot columnis regnum iusti regis sustentatur.

XI. De eo quod bonus princeps ecclesiasticis causis benivola intentaque sollicitudine favere debeat et synodalibus conventibus.

XII. De eo quod saluberrimis antistitum admonitionibus et correptionibus pio rectori obtemperare sit gloriosum.

XIII. De zelo boni rectoris rationabili ac pietati permixto.

XIV. De duce christiano, ut non in sua et suorum fortitudine sed in Domino confidat.

XV. De eo quod imminentibus hostilium bellorum fragoribus divinum sit implorandum auxilium.

XVI. De adversis si forte contigerint.

XVII. De non superbiendo post oblatam etiam ab hostibus pacem, seu prostratos hostes.

XVIII. Gratiarum ac benivola vota post pacem seu victoriam Deo reddenda.

XIX. De privilegiis sanctae matris ecclesiae a pio rectore conservandis, ac dignis ecclesiarum praepositis atque ministris.

XX. Quanta ignominia superbos, qualisque vel quanta gloria hic et in futuro principes orthodoxos comitatur.

INCIPIT LIBER SEDULII

DE RECTORIBUS CHRISTIANIS ET CONVENIENTIBUS REGULIS QUIBUS EST RES PUBBLICA RITE GUBERNANDA.

CAPITULUM I.

Postquam regale sceptrum regnique gubernacula rector christianus susceperit, primum quidem gratiarum actiones atque condignos omnipotenti sanctaeque ecclesiae honores oportet ut rependat. Res etenim publica tunc suo initio pulcherrime consecratur, cum regia sollicitudo et sacra devotio sancto superni regis timore simul et amore accenditur; cumque de gloriosa ecclesiae utilitate provido consilio procuratur; ut quem regalis purpura ceteraque regni insignia exterius condecorant, eundem laudabilia vota erga Deum et sanctam ecclesiam interius perornent; quia nimirum ad temporalis regni fastigium tunc insigniter ascenditur, cum omnipotentis regis gloria vel honor pio studio pertractatur. Pius itaque princeps summi donatoris omnium voluntati et sanctis praeceptis obedire magnopere studeat, cuius superna voluntate atque ordinatione se ad culmen regiminis ascendisse non dubitat, testante apostolo qui ait: non est potestas nisi a Deo; quae autem a Deo sunt, ordinata sunt. Quantum se bonus rector a Deo ordinatum esse cognoscit, tantum pia sollicitudine invigilat, quatenus omnia coram Deo et hominibus secundum trutinam rectitudinis ordinabiliter disponat atque perpenset. Quid enim sunt christiani populi rectores, nisi ministri omnipotentis? Porro idoneus et fidelis quisque est minister, si sincera devotio-

ne fecerit quae ei iusserit suus dominus atque magister. Hinc piissimi et gloriosi principes plus se ministros ac servos excelsi, quam dominos aut reges hominum nuncupari et esse exultant. Unde beatus David rex et propheta eximius saepe servum Domini se nominat. Nec non et inclytus Salomon eiusdem filius omnipotentem deprecans, inter cetera sic ait: respice ad orationem servi tui, et ad preces eius, domine Deus meus; audi hymnum et orationem quam servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum de qua dixisti, erit nomen meum ibi.

Unde et celeberrimae memoriae magnus Constantinus imperator, credito atque perfecto salutaris crucis et catholicae fidei mysterio, cum laetanti eius imperio etiam religio valde florebat, non sibimet arrogans, gratias omnipotenti Deo referebat, quia ministrum opportunum eum habere dignatus fuerat Deus sui consilii. Ecce imperator eminentissimus plus gratulabatur se Dei fuisse ministrum, quam terrenum habuisse imperium. Hinc ipse, quia minister supernae voluntatis fuerat, a britannico mari usque ad loca orientis regnum dilatavit pacificum; et quoniam omnipotenti semet ipsum subdiderat, cuncta hostilia bella, quae sub eodem sunt gesta, potentialiter atque fideliter superavit. Construebat et amplis opibus Christi dotabat ecclesias. Hinc ei superna gratia triumphales concessit habere victorias. Quia procul dubio sacri rectores quanto plus se regi regum humiliter subiciunt, tanto magis ad gloriosae dignitatis eminentiam sublimiter ascendunt. Quis autem non miretur quantos honores Domino praefatus Salomon rependerit, postquam regni sceptrum Deo auctore suscepit? quam sapientissima devotione templum Domini construxerit atque mirifice or-

naverit? quantas denique pacificas hostias Deo optulerit? Hinc fructum suae devotionis atque orationis percepit, sicut apparens ei Dominus locutus est dicens: audivi orationem tuam et deprecationem quam deprecatus es coram me; sanctificavi domum hanc quam aedificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum; et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoque, si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus in simplicitate cordis et in aequitate, et feceris omnia quae praecepi tibi, et legitima mea et iudicia mea servaveris, ponam thronum regni tui super Israhel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo dicens; non auferetur de genere tuo vir de solio Israhel. Itaque si ille rex Salomon pro sacra devotione proque construenda domo terrestri Domini, tantam remunerationis gloriam habere promeruit, quam inaestimabilem habebit gloriae palmam si quis Deo amabilis rector sanctam perornaverit ecclesiam, quae est Dei vivi spirituale tabernaculum? Sed haec quae breviter stilo prosali diximus, aliqua versuum dulcedine concludamus.

Quisquis florigeri sceptrum fert nobile regni,
  Primum celsithrono vota precesque ferat.
In cuius sacro sunt omnia numine sceptra,
  Et pax nobilium, vita salusque ducum.
Nam regale decus radians diademaque regni
  Est timor altithroni sanctus amorque Dei.
Lilia florigerum comunt ceu lactea campum,
  Ut rosa punicei schematis ore rubet,
Sic iustus rector virtutum flore viresci,
  Germinet ut fructus mentis in arce sacros.
Pulchra Salomonem decoravit purpura regem,
  Nec non Davidis fulgida sceptra patris,

Sed magis interius prudens devotio cordis
Ornavit iuvenem glorificando Deum.
Instar luciferi niteat res publica vestri,
Exortuque novo splendida vota gerat.

CAP. II.

Qui apicem regiae dignitatis, Domino praestante, ascenderit, oportet ut se ipsum primum regat, quem divina dispositio alios regere ordinavit. Rex enim a regendo vocatur. Tunc autem hoc nomine se veraciter appellari intelligat, qui semet rationabiliter gubernare non ignorat. Rex itaque orthodoxus summopere studeat, ut qui subditis bene concupiscit imperare, aliorumque errata disponit corrigere, ipse mala non admittat, quae stricte malus corrigit, et bona quae imperat, ante omnes implere contendat. Sex autem modis bonus rector sese laudabiliter regit; primo quidem dum illicitas cogitationes animi severitate reprimit; secundo dum salubria consilia tam ad suam quam ad populi utilitatem pertinentia pertractat; tertio cum otiosa et inutilia seu noxia inanium verborum folia profluere devitet; quarto cum gloriosorum principum prudentiam simul et verba, nec non divinae scripturae eloquia super mel et favum mentis faucibus sapificet; quinto cum perniciosae actionis omne dedecus perpetrare expavescat; sexto vero cum siqua sunt laudabilia, siqua sunt gloriosae dispositionis opera magnifica insigniter ostendat, ut qui interius coram Domino devota fulgescit voluntate, exterius coram populo sermone clarescat et opere. Quem decet trinam observare regulam, terrorem scilicet et ordinationem atque amorem. Nisi enim ametur pariter et metuatur,

ordinatio illius constare minime poterit. Ergo per affabilitatem et beneficia procuret ut diligatur, et per iustas vindictas non propriae victoriae sed legi Dei studeat ut metuatur.

Hunc ergo oportet esse humilem in suis oculis sicut scriptum est: rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis. Nec solum iuste hominibus, sed sui corporis et animae dominari passionibus, quatenus rector iure queat nuncupari, sicut quidam sapiens ait: rex erit, qui recte faciet; qui non faciet, non erit. Sit ergo consilio prudentissimus in sermone, nunc ut possit terribilis; saepius vero gratia dulcedinis affabilis, victor libidinis, superbiae, atque vesanae ferocitatis, amicus bonorum et inimicus tyrannorum, hostis criminum, hostis vitiorum, in bello cautissimus, in pace constantissimus, fidelibus promissionibus probatissimus, divina humanis praeponens, subiectos deterrens a malo, invitans ad bona, remunerans copia, indulgentia liberans, ex malis bonos, ex bonis faciens optimos. Sit sanctus et utilis rei publicae, clementia commendabilis, in bonitate conspicuus, pietate, fortitudine, castitate, iustitia praeclarus, vir optimus et apice principali dignissimus, Dei timorem semper prae oculis habens, et secundum omnipotentis decreta, iusta perpensans iudicia, qui dat salutem regibus, et omnia quaecumque vult facit in caelo et in terra et in omni creatura; quia ipse est dominus omnium, cui omne genu flectitur caelestium terrestrium et infernorum, in cuius manu omnis potestas in caelo et in terra, qui est rex regum, et spes gloriae iuste et pie dominantium.

Qui regit affectus animi, rex iure vocatur,
Et fluxas carnis qui domat illecebras.

Quamvis qui fulvum superat virtute leonem
Rex teneat clarum laudis honore locum;
Sed plus est laudum fastos calcare superbos,
Iram ceu rabidam mitificare feram.
Magnus et ille cluit saevos qui triverit hostes,
Lauriger ac victor clara trophaea refert.
Gloria sed maior comptum caelestibus armis
Hostes aëreos vincere posse ducem.
Est magis imperium mentem frenare per artem,
Quam si quis habeat triplicis orbis opes.
Nam templum Domini iusti mens regia fulget,
Fit thronus excelsi iudicis ipsa Dei.
Comitur illa domus flavo speciosior auro,
Iustitiae solem gaudet habere suum.

CAP. III.

Regnum huius saeculi momentaneum volubilis rotae vertigini sapientes esse consimile iudicaverunt. Nam sicut omnis rotae vertigo, quae superiora habet modo deicit, et quae deiecta sunt modo superiùs extollit, ita subito erectiones, subito elisiones terrestris gloria regni sustinet; unde nec veros, sed imaginarios et citius fugitivos honores habet. Illud enim verum regnum est, quod in sempiternum perdurat; hoc autem quod transitorium est et caducum, non veritatem sed quamdam mediocriter similitudinem veri et permanentis semper regni ostendit. Sicut enim arcus caeli varios pingens ornatus arcuato curvamine celeriter refugit, ita nimirum saecularis gloriae dignitas, quamvis ad praesens ornata, tamen est citius fugitiva. Qua itaque arte et quali industria quantaque sollicitudine haec instabilitas ad aliquam stabilitatis effigiem refre-

natur? Forte vero aut armorum violenta fortitudine, aut pacifica tranquillitatis concordia terrestre regnum stabilitatur? Sed rursus in ipsis armis bellorumque fragoribus grandis instabilitas inesse cernitur. Quid enim incertius est magisque instabile bellicis eventibus, ubi nullus est certus laboriosi certaminis exitus, nulla certa victoria, et saepe ab inferioribus sublimiores superantur, nonnumquam vero in alterutros vergentia mala eveniunt coaequalia; et qui se praesumebant habituros esse victoriam, utrique in fine non habent nisi calamitosam miseriam. Quanta quoque mala sub ficto nomine pacis proveniunt, quis explicare potest? cum etiam illa pax, quae stabilis ac firma inter bonos esse credebatur, interdum per prava malorum consilia in exitiosas discordiarum tempestates transfertur. Unde in armis instabilitas, in pace transitorium videtur.

Quid ergo aliud restat, nisi ut cor regis et tota spei fiducia non in armorum hominumque fortitudine, neque in pacis transitoriae fallacia, sed in omnipotentis clementia figatur? qui regnum quod donavit, sive in adversis sive in prosperis stabilire novit. Cor itaque principis, et fidelis in ministerii regimine devotio, ipsum non deserat, a quo tantum beneficium et gloriosum ministerium donatum fuit; ne forte ille summus rector indignatus ab eo abstrahat beneficium quod dederat, si infidelem esse senserit, quem tamquam fidelem ministrum ordinavit. Nam si rex terrenus a quolibet sibi homine infideli datam auferre valet potestatem, aliique tribuit quem fideliorem comperit esse, quanto magis supernus universorum donator, quem nullius perfidiae nubila fallere possunt, potens est a reprobis sua abstrahere beneficia, aliisque prae-

stare quos idoneos suae voluntatis ministros noverit esse ? Unde et impius ille Saul rex Israhel privatus fuit regno et vita , quoniam neque fidelis minister extitit coram Domino. At vero David virum electum secundum cor suum omnipotens invenit , quem ob hoc in apicem regiae potestatis sublimavit, quia illum fidelem fore ministrum elegit praesciendo. Itaque prudens rector cor suum in excelsi gratia stabilire studeat, si transitorium regnum quod est ei commissum , aliquam stabilitatis habere similitudinem desiderat. Et quoniam iustus et misericors est Dominus , cui cordis affectu debet inhaerere , opera multipliciter exhibeat misericordiae , ut multam mercedis gloriam metat. Iustitiam diligat simul atque custodiat ; iniusta vero atque maligna opera in subiectis repudiet , ac laudabili zelo , qui est secundum scientiam, corrigat. Qui dum sit in divinis praeceptis stabilis , illius regnum magis magisque in hoc saeculo stabilitur, et ad aeterna stabilitatis gaudia superno iuvamine perducitur.

Ceu rotae cyclus celeri recursu
Volvitur , summas reprimitque ad ima
Quas rotat partes rapidum per axem
Mobilitate ;
Regna sic mundi trifidum per orbem
Gloriae celsum stabilire culmen
Nesciunt , lapsum sed habere norunt
Aurea sceptra.
Inclytae plebis fuit Israhelis
Floridum regni decus adlevatum
Quando servabant sacrosancta legis
Mystica iura.
Unde pollebat Domini triumphis ,
Atque crudeles superabat hostes ,

Dum suam plebem pietas tonantis
Glorificabat.
Rursus heu quantis premitur ruinis
Abrahae sanctum speciale patris,
Dum creatori sua prona tempsit
Subdere colla!
Una sed tantae medicina gentis
Iam fuit votis rogitare celsum,
Qui potens noscit stabilire regna
Perpete nutu.
Principes terrae domino potenti
Ferte gaudentes thymiama voti,
Quem tremunt caeli proceres superni
Magnificate.

CAP. IV.

Omnis autem regia potestas, quae ad utilitatem rei publicae divinitus est constituta, non tam caducis operibus ac terrestri fortitudine, quam sapientia cultuque divino est exornanda; quoniam procul dubio tunc populus providi arte consilii gubernabitur, adversarii Domino propitiante profligabuntur, provinciae regnumque conservabuntur, si regia sublimitas religione et sapientia perornetur. Namque hominis naturam Deus hanc esse voluit, ut duarum rerum ipse homo cupidus et appetens esset, religionis et sapientiae. Est autem religiosa sapientia saluberrimum decus, devotarum lumen animarum, caeleste donum et gaudium sine fine mansurum. Qui ergo vult gloriose regere, ac sapienter populum gubernare, et vehemens in consiliis esse, a Domino postulet sapientiam qui dat omnibus affluenter, et non improperat, ipsamque sapientiam

studiose, labore simul et amore perquirat; quatenus ei congruat illud quod scriptum est: beatus est qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia, ceteraque quae in laudibus sapientiae describuntur. Ille itaque rector vere beatus est celebrandus, qui splendore illuminatur sapientiae, quae est fons consiliorum, fons sacrae religionis, corona principum, origo virtutum, in cuius comparatione omnes pretiosarum claritates gemmarum vilescunt. Haec cautissima est in consiliis, mirabilis in eloquiis, magnifica in operibus, fortis in adversis, temperans in prosperis, oculosa in iudiciis. Haec suos amatores caelesti gratia venustat, et tamquam siderum firmamentum eosdem clarificat, sicut scriptum est: iusti fulgebunt quasi stellae, et intelligentes quasi firmamentum.

Haec Salomonem prae cunctis terrae regibus sublimavit, quia illam amavit ab adolescentia sua, et amator factus est decoris eius. Unde sicut in regnorum libris legitur, ipsi apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: postula quod vis ut dem tibi. A quo cum Salomon cum esset puer, cor docibile postularet, ut iudicare posset populum Domini, et discernere inter malum et bonum, tale responsum a Domino recepit: quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tibi fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed et haec quae non postulasti dedi tibi, divitias scilicet et gloriam, ut nemo fuerit similis tibi in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris praecepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit David pa-

ter tuus, longos faciam dies tuos. O quam ineffabile est divinae largimentum gratiae! quae si recto corde et pia intentione poscitur, plus donat quam quod rogatur. Ecce rex Salomon non argentum non aurum non alias opes terrenas, sed sapientiae gazas poposcit a Domino. At qui simplum recte postulaverat, duplum accepit. Nam non solum ditatus est sapientia, sed et sublimatus est indita regni gloria. Unde regibus terrae egregium datur exemplum, quatenus spiritualia dona plus quam carnalia pio desiderio ab omnipotenti exposcant, si diu et feliciter in hoc saeculo regnare desiderant. Decet igitur amabilem Deo principem discendi habere voluntatem desideriumque caelestium. Sic enim vere et cor habet in manu Dei, et regnum cum pace multis annorum curriculis favente Domino gubernabit.

Qui cupit rector probus esse iudex,
Lance qui iusti trutinaque gaudet,
Inhians pulchri terebrare falsa.
Cuspide veri,
Luminum patrem rutili creantem
Solis ac lunae nitidique cosmi
Poscat, ut sensis niteat coruscis
Luce sophiae.
Vota cognoscat Salomonis aequi
Quae volaverunt subito per aethram,
Ac penetrarunt Dominii sabâoth
Aurea tecta.
Ipse percepit docilemque sensum
Mente lustratus, sapiensque factus.
Insuper regni columen gubernat
Gentis hebraeae.
Quid valet flavi nitor omnis auri?

Ostra quid prosunt rosei decoris ?
Gloriae quid sunt scythicaeque gemmae ?
Quid diadema ?
Orba si mentis acies hebescat,
Lumen ut verum nequeat tueri,
Unde discernat bona, prava, iusta
Fasque nefasque.
Ergo rectori decus est amare
Te patris verbum sapiensque lumen,
Christe, qui sceptris dominaris orbem
Celsaque regna.
Cuius in dextra requies beata
Constat, in laeva locuplesque gaza.
Gloriae princeps humiles coronans
Tollis opimos.

CAP. V.

Rex pius et sapiens tribus modis regendi ministerium gerit. Nam primo se ipsum, quomodo in superioribus ostendimus; secundo uxorem propriam et liberos suosque domesticos; tertio populum sibi commissum rationabili et glorioso moderamine regere debet. Bonum itaque principem non solum sibimet dominari oportet, dum a malis declinet, et quae bona sunt eligat et firmiter teneat; sed etiam alios sibi coniunctiores, uxorem videlicet, liberos, atque domesticos provida sollicitudine ac familiari caritate gubernet. Hoc autem faciens duplicem thesaurizat sibi gloriae palmam, ut dum in se bonus et sanctus sit, alios sibi coniunctos, bonos faciat et sanctos, iuxta psalmistam qui ait: cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et reliqua. Non enim sufficit propriam habere

honestatem, nisi pudicae et castae coniugis, nec non etiam filiorum et comitum ac ministrorum pudore decoretur, dicente David : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Nam sicut lilium agri aliorum olerum ac violarum multiplici pulchritudine venustatur, et sicut luna stellarum splendore circumstantium gratius emicat, ita nimirum rex iustus, ac sapiens, aliorum societate bonorum perornetur. Is ergo perspicaciter procuret, ut non solum nobilem pulchram ac divitem, sed et castam, prudentem quoque atque in sanctis virtutibus morigeram habeat coniugem. Nam quantum coniux iure est coniunctior, tantum aut felle malitiae noxia fit, aut morum dulcedine mellea. Etenim mulier inepta, domus est ruina, divitiarum defectio, iniquorum saturatio, omnium malorum et vitiorum commoratio; quae diversis superstitionibus multum se exterius ornans, interiora animae suae nescit decorare. Quem diligit hodie, odit in crastino. Et sicut quidam ait : naufragium rerum est mulier male fida marito. Ita e contrario casta et prudens mulier utilibus rebus disciplinabiliter intendens, humili facie hilarique sermone pacifice liberos et familiam regit, proque viri salute, si necesse fuerit, suam animam opponit morti, ac divitias quae sunt mariti sui cum bona fama custodit. Qui est amicus eius heri, idem amicus eius hodie. Fit ergo ipsa divitiarum deductio, et domus confirmatio, viri iocunditas, familiae pulchritudo, omniumque virtutum connexio. Talem autem decet non solum viro suo casta copula esse connexam et subditam, sed pietatis et sanctae conversationis semper ostendere formam, ac prudentium consiliorum esse repertricem. Sicut enim persuasione malae coniugis damnosa nascuntur pericula, ita prudentis uxoris con-

silio multa proveniunt utilia quae sunt omnipotenti beneplacita. Unde et apostolus ait: quoniam vir infidelis salvabitur per mulierem fidelem.

Nec solum infideles sed etiam sancti et orthodoxi principes mirabilem saepe in uxoribus perpendunt et auscultant prudentiam, non sexum fragilem considerantes, sed fructus bonorum consiliorum carpentes. Unde et de gloriosi imperatoris Theodosii venerabili coniuge nomine Placilla refertur, quod ipse princeps dum in se bonus et iustus et sapiens erat, habebat et aliam utilitatis occasionem per quam de bonis operibus triumpharet. Coniux enim eius divinas leges eum saepius admonebat, se ipsam tamen perfecte prius erudiens. Non enim regni fastigiis elevata est, sed potius divino amore succensa. Beneficii namque magnitudo maius ei desiderium benefactoris adhibebat. Repente namque venit ad purpuram. Claudorum atque debilium maximam habebat curam, non servis non aliis ministris utens, sed per semet ipsam agens, et ad eorum habitacula veniens, et unicuique quod opus haberet praebens. Sic etiam per ecclesiarum xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustans, offerens cochlearia, panem frangens, cibosque ministrans, calicem deluens, et alia cuncta faciens, quae servis et ministris mos est sollemniter operari. Iis autem qui eam talibus de rebus nitebantur prohibere dicebat: aurum distribuere, opus imperii est; ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam viro suo saepe dicebat: oportet te semper, marite, cogitare quid dudum fuisti, quid modo sis. Haec si semper cogitaveris, ingratus benefactori non eris, sed imperium quod suscepisti, legaliter gubernabis, et harum rerum

placabis auctorem. Iis ergo sermonibus velut optimam quamdam utilitatem virtutisque habundantiam coniugi suo offerebat.

Rex pius et sapiens terno moderamine regnat
Semet suosque subditos.
Gloria regnantis proba moribus eminet uxor,
Sicut honesta vinea.
Illam nobilitas triplici virtute venustet
Rosis pudici pectoris.
Lactea formoso niteant si colla decore,
Magis nitescat castitas.
Christus ut ecclesiam sibi casto iunxit amore,
Uxor viro sic haereat.
Mitis simplicitas in cuius mente redundet
Velut columbae gratia.
Quam decoret pietas, prudentia, sacra potestas,
Esther ut alma floruit.
Vincula pacis ament rex et regina, duobus
Sit foedus et concordia.
Invida non dirimat geminos discordia pacis
Quos lex superna iunxerat.
Disciplina regat quorum praenobile germen
Rami decori floreant.
Aridus ut viridi bene crescat in arbore palmes,
Cultor bonus hoc providet.
Princeps et rectrix populum si rite gubernant,
Suam regant prosapiam.
Abrâhae veluti generosa stirpe creatis
Ornent polos nepotibus.

CAP. VI.

In humanis rebus nulla quidem ars, ut dicunt, difficilior est quam inter turbulentissimas huius saecu-

li procellas bene imperare, et provide rem publicam gubernare. Sed haec ars tunc ad finem perfectionis pervenit, cum ipsa res publica prudentes et optimos consiliarios habet. Trina autem regula in consiliis est observanda; prima quidem ut divina praeponantur humanis, cum obedire *oporteat Deo* magis quam hominibus. Si quis ergo navim rei publicae tamquam bonus gubernator regere feliciter disponit et exoptat, optima Domini consilia, quae in sacris eloquiis sunt propalata, non negligenter custodiat. Secunda vero consiliorum est regula, quatenus providus rector non tam in suo quam in suorum prudentissimorum innitatur consilio. Unde illa Antonini imperatoris praecipua semper in consiliis fuit sententia: aequius est ut ego tot et talium amicorum consilium sequar, quam ut tot et tales amici meam unius voluntatem sequantur. Salomone quoque hoc ipsum attestante, qui ait: dissipantur cogitationes ubi non est consilium; ubi vero plurimi sunt consiliarii, confirmantur, et erit salus ubi multa consilia sunt. Nam prudens prudentes in consilium vocat, et sine eorum consilio nihil facit. Stultus vero in semet ipso cogitat, et quod sine consilio aliorum cito vult facit. Porro tertia norma in consiliis est optinenda, ne bonus rector dolosos et perniciosos habeat. Quis enim debet in consiliis malignantium confidere? Nam sicut vallis per campos, et laquei in plateis, et pedicae ubi non putantur, pedes aliorum retinent, ita impiorum consilia felle nequitiae permixta iustos et sanctos in itineribus male impediunt. Sicut enim boni consiliarii sursum rem erigunt publicam, sic mali ruinosa calamitate praecipitant. Tales ergo repudiandi sunt consiliarii atque omnimodis detestandi; quia numquam erga principem terrenum devoti erunt, qui Dei

praecepta male vivendo contempnunt. Quî enim possunt esse boni, qui sibi sunt mali?

Sed sicut omnipotentis Dei saluberrima devulganda sunt consilia atque praecepta, ita nonnumquam prudentium rectorum hostibus sunt occultanda consilia. Siquidem in re publica nulla sunt meliora consilia, quam illa quae ignoraverit adversarius. Etenim securum iter agitur, quod agendum hostes minime suspicantur. Duo vero maxime contraria sunt consilio, festinatio et ira. Nam ira obcaecat animum ne utile videat consilium, et quomodo longa consilia plerumque *non* labuntur. Tunc autem praecipue consilium ad prosperitatis eventum perducitur, cum regia fiducia in omnipotentis auxilio figitur. Unde vero post Deum bona prodeunt consilia nisi a fidelibus et optimis amicis, qui promerentur superna illustrari gratia, ut non errent in consilio? Quorum provida deliberatione, divina inspirante clementia, saepe salubris consilii botrus carpitur. Absit vero ut crudeles tyrannos tamquam infestos dracones bonus habeat princeps amicos, quod pantheris exemplo animalis adstruitur. Siquidem panther genus quadrupedis, est ut physici perhibent omnium animalium amicus, excepto dracone. Illorum itaque amicitiam habeat, quos probos esse cognoscit. Qui sunt autem boni amici? nisi illi qui sunt sancti ac venerabiles, non malitiosi, non furaces, non factiosi, non callidi, non ad malum consentientes, non bonorum inimici, non libidinosi neque crudeles, non circumventores sui principis, sed sancti, continentes, religiosi, amatores principis sui, et qui de illo nec ipsi rident, nec risui esse volunt, qui neque mentiuntur, neque fingunt, et numquam decipiunt; sed veraces, sobrii, prudentes, atque in omnibus suo principi fi-

deles. Talibus itaque personis salva efficitur res publica, piique regnatoris fama crescit et gloria.

Absque gubernaculo navis ceu nutat in alto
Fluctibus, ac tumidis tunditur illa notis,
Gloria sic regni praeclaraque sceptra labascunt,
In pessumque cadunt heu sine consilio.
Nam sunt nonnulli quorum fit mellea lingua,
Aspidis at subtus tetra venena latent.
Qui delenificiis persuadent omnia verbis,
Quorum sermo strepit subdola ceu fovea.
Horum consilio res publica fulta videtur
. . . . . .
Ob hoc consilii praedulcem carpere botrum
Cum submersa ruat o miseranda nimis!
. . . . . .
Iam decet excelsum qui tenet imperium.
Dorcades ut vigili montis de vertice visu
Quo cito transfugiant cuncta pericla notant,
Sic adversa cavet speculari lumine mentis
Dux bonus arte bona consiliisque probis.
Ceu margaritum bibulis praenobile conchis,
Quomodo dulcifluo mel legiturque favo,
Sic et amicorum puro de fonte legendum
Et decet et prodest utile consilium.
Verus amicitiae custos sine felle probatur,
Cui placet omne bonum, displicet omne malum.
Est est qui vere, seu non non dicere norit,
Cui cor secretum consonat atque pium.
Olli firma fides vita fit carior ipsa,
Nescit harundineas texere mente strophas.
Non illum nutare facit clangorque tubarum,
Anchora nam stabili corde manet fidei.
Talem non gazae non auri pondera norunt
Fallere, ne laesa sit pretiosa fides.

CAP. VII.

Nunc autem ordo exposcit, ut de malis etiam principibus aliqua nos breviter perstringamus, quoniam de bonis quaedam utilia sceptris, quae rei publicae necessaria diximus. Ubi primo quaeritur, quae causa etiam ex bonis malos principes faciat? Ad quod dicendum: iam primum regalis licentia, deinde rerum copia, cum ipsa habundantia rerum causa malorum fiat. Amici praeterea improbi, satellites detestandi, eunuchi avarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, per quos omnes etiam in illo dominatore, qui videbatur bonus esse, nascitur oblivio mandatorum Dei. Postremo quod negari non potest, rerum publicarum ignorantia. Hinc colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum imperatorem seu regem capiunt. Dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non novit; cogitur hoc tantum quod illi loquuntur, facit iudices quos fieri non oportet, amovet a re publica quos debeat optinere. Unde etiam venditur bonus et cautus et optimus imperator, qui eo ipso miser efficitur cum apud ipsum vera reticeantur. Hinc saepe tumultuosa indisciplinatione et Dei cultrix pietas et veritas opprimitur, cum multum derogatio praevaleat quando derogatores creduntur fide digni, quos gemina pestis corrumpit acerbissima, amor videlicet falsitatis et odium veritatis.

Quam praecipitans turbo regentes
Subvertit nimium copia rerum!
Qui primumque boni regimine clarent,
Fiunt saepe mali fine profano.
Sacris qui fuerant moribus aurum,

Mox plumbo similes viliter horrent.
Et qui vitis erant ubere laeti,
Agrescunt veluti spreta labrusca.
Incautum dominum mente strophosa
Fallunt praecupidi sic et amici.
Multis inde dolis optimus ille
Anceps fit titubans sicut harundo,
Ignoratque miser figmina falsi,
Nec lucent domino lumina veri.
Nam caecant oculos regis honores,
Aurum, divitiae, nubila, mendae,
Vultus fœminei blanda voluptas,
Cari falsidici, pompa, potestas.

CAP. VIII.

Modo consequens esse videtur quatenus de impiis rectoribus nos disseramus, ut agnita illorum malitia et pessimo in hoc saeculo fine, perpetua quadam ratione, qui prudens est rector a malis operibus se abstinendo cautior et melior fiat, atque summo benefactori placere magnopere procuret. Quid sunt autem impii reges, nisi maiores terrarum latrones, feroces ut leones, rabidi ut ursi? sicut scriptum est de illo: leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Rex siquidem impius tamquam leonis personam habens ad omne responsum acriter verbum nequam sine prudentium consilio cum omni malitia profert, bonos humilians, malosque exaltans; cuius dies abbreviantur, et eius memoria cum sonitu peribit. Peccavit enim plus quam potuit. Tales itaque sunt amici malorum, inimici bonorum, servi libidinis et avaritiae, servi totius nequitiae, ministri diaboli,

semper laborantes ac nihil facientes, gurgites humani generis, miseriae, pabula aeternae gehennae, ut cedrus subito exaltati, sed in profunda tartari praecipitati. Hinc psalmista dicit: vidi impium superexaltatum et elevatum ut cedros Libani, et transivi et ecce non erat, et quaesivi eum et non est inventus locus eius. Florent enim sicut olera et foenum agri, quod hodie cum speciositate oritur, et in crastino arescens non reperitur. De quibus per prophetam dicitur: ipsi reguaverunt, et non ex me; principes extiterunt, et ego ignoravi; qui neque recte et regia via sciunt seu volunt incedere, sed ad dexteram sinistramque norunt declinare. Quibus competit illud quod per Esaiam Dominus loquitur dicens: dereliquerunt Dominum sabaoth, et ambulaverunt per vias distortas. Dolosi in consiliis, atroces et mendosi in verbis, maligni in operibus, quorum finis erit secundum opera eorum. De quibus per eundem prophetam dicitur: Dominus exercituum cogitavit, ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret inclytos terrae. Sed et beatus Iob: laus, inquit, impiorum brevis est, et gloria hypocritae est instar puncti. Haec etenim vita temporalis in comparatione aeternitatis minimo puncto comparatur. Veh autem illis qui pro parvo puncto praesentis felicitatis vendunt gloriam aeternae beatitudinis!

Quanta vero vel eosdem subditos mala vel ipsos rectores ultio divina consequatur, non est nostrae facultatis enarrare; sed pauca de multis placet in manifestum propalare. Regis Pharaonis impietas, quae ex cordis duritia inoleverat, sibi suisque aegyptiis decem plagas intulit, atque insuper rubro mari tartareique Acheruntis imo ipsum suosque submersit. Antio-

chum et Herodem ac Pontium Pilatum, quis nescit quanta districti iudicis ultio perculit? Quid dicam de Nerone, Aegea, et impiissimo Iuliano, aliisque eorum in nequitia consimilibus? Nonne omnes cum suis sequacibus post mortem pessimam os inferni devoravit? Sed ut innumeros praetercam, Theodorici crudelissimi regis de hoc saeculo exitum infelicem explicabo, qui cum esset arrianae sectator invidiae, ac bonorum insecutor christianorum, postremo sicuti cuidam viro revelatum fuerat, inter Iohannem papam et Symmachum patricium discinctus atque discalciatus et vinctis manibus deductus, in Vulcani ollam iactatus est. Nam quia Iohannem papam affligendo in custodia occidit, Symmacum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis in ignem inmissus apparuit, quos in hac vita iniuste iudicavit. O qnam districta et iusta sunt omnipotentis iudicia! cuius disponente nutu digna ultio inmitem secuta est tyrannum. Nam qui servis Domini iniuste transitoriam mortem intulit, duplici morte corporis et animae iuste deperit. Qui alios praesenti vita spoliaverat, ipse tam momentanea quam aeterna vita spoliatus fuit. Idem itaque geminum peregit ministerium; nam sibi gehennae supplicium ubi cruciabitur in saecula saeculorum, sanctis vero supernae gloriae palmam administravit. Iniuste iudicati, fiunt repente coronati, atque iudices a Domino in crudelem tyrannum transmissi. At vero iniuste iudicans, fit subito iudicatus, atque aeternae dampnationis flammis addictus. Qua in re nimis terribile exemplum proponitur, ne terrae potentes servos Domini persequantur, quos valido virtutis suae brachio Deus omnipoteus ulciscitur. Sed haec de reprobis dicta sint rectoribus. Nunc ad potiora stilo consequenti transeamus.

Reges terrae quos male gesta
Dedecorant, similes ne videntur
Apris ursis tigridibusque?
Hi maiores sunt ne latrones
Terrigenûm, rabidive leones,
Unguibus accipitresque rapaces.
Contigit Antiocho et Pharaoni,
Herodi miseroque Pilato
Momentanea perdere regna,
Cum sociis Acheronta subire.
Sic semper reprobos mala damna
Affligunt nimis hic et in aevum.
Quid floretis tempora proles
Ardentes ostroque decori,
Quos expectat clibanum ignis,
Quem nec laedet roscidus imber?
Qui dominum lucis nec amatis,
In tenebras vos exteriores
Ibitis; illic gloria vestra
Arens marcebit sine fine.
Iustos vero celsa corona
Glorificabit luxque beata.

CAP. IX.

Septem speciosiora sunt aliis creaturis Dei, ut sapientes ferunt, caelum innubiale quando argenteo colori mirabili similitudine comparatur; sol in virtute sua quando reciprocis cursibus in splendore gloriae suae habitatores mundi inluminat; luna in integritate nudataque facie nubibus recedentibus, quando proprio cursu solis vestigia investigat; ager fructuosus quando diversis floribus nodisque crispantibus depingitur;

varietas maris quando serenitas caeli nubiumque placidis fluctibus in littoribus pulcherrime ostenditur; chorus iustorum in una fide habitantium; rex pacificus in gloria regni sui, quando in aula regia ostensis muneribus donisque traditis multa beneficia praestat. Rex etenim iustus et pacificus laeta facie bona dividit, et uniuscuiusque causam diligenter meditatur, et infirmos et pauperes populi non despiciens, cum seniorum et prudentiorum consilio et iudicio vera iudicia loquitur, malos humilians, bonosque exaltans. Dies eius cum gloria extendentur, et eius memoria in aeternum manebit. Princeps pacificus tamquam floridus et fertilis est in proximo paradisus, et quasi vinea honesta copioso habundans fructu, omnem a splendore conspectus sui conturbans discordiam, qui dum pacem in aula suae mentis amplectitur, procul dubio mansionem praeparat Christo, quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit. Porro ubi pax est, in disputationibus veritas, et in operibus iustitia invenitur. Sicut ergo providus gubernator procellosi maris pericula arridente temporis serenitate evadere nititur, sic rector pacificus serena mentis tranquillitate ac pacis concordia impetus discordiarum sedula deliberatione compescere meditatur. Quem trinam pacis regulam conservare oportet, hoc est supra se, in se, iuxta se; quia erga Deum, et in se ipso, et circa proximos debet esse pacificus. Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo melius inveniri. Fructus autem pacificae mentis est, erga subiectos et amicos benignam ostendere misericordiam simul et clementiam, quibus virtutibus tam pius regnator quam eius regnum gloriose conser-

vatur; testante Salomone qui ait: misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus eius. Non enim quicquam est quod bonum rectorem melius populo favorabilem atque amabilem commendet, quam clementia et pacifica serenitas.

Haec, ut alios causa brevitatis omittam, Augustum Caesarem fecit celeberrimum; haec Antoninos, magnum quoque Constantinum, Theodosios, ceterosque magnificos principes sublimiter beatificavit. Eadem quoque magnum Karolum inter cetera virtutum insignia in sacratissimum prae ceteris terrarum principibus augustum dedicavit. Haec Ludovicum piissimum adordinavit imperatorem. Et quid plura referam? Certe serenissima pietatis clementia gloriosos principes et glorificavit in terra, et consortes sanctorum collocavit in caelo. Quippe qui non solum sua, sed et totos semet ipsos omnipotenti dederunt. Nihil autem ab iusto et pio rege donandum est, nisi quod sit beneficium. Beneficium autem si ad aliquam mercedis remunerationem in hoc saeculo refertur, interit atque finitur. Nec enim possumus id habere integrum, cuius pretium nobis persolutum est. Unde non tam beneficium sed potius commercium dicenda est talis largitio. Danda sunt vero beneficia, quae data boni principis famam pietatemque et iustitiam non laedunt, iuxta dignitates personarum et utilitates rerum, non secundum cupiditates accipientium, qui facile sibimet denegant; quia quod difficile aut impossibile est, improbe atque atrociter exposcunt. Unde Nerva imperator dicebat: amici cum se mereri omnia praesumunt, si quicquam non extorserint, atrociores fiunt. In omnibus itaque largitionibus temporalibus servanda est mensura rectaque in donatione intentio, ut pro salute rei publicae et

sanctae utilitate ecclesiae proque caelestis indeptione gloriae bonis melioribus optimis cuncta per sereni principis munificentiam distribuantur.

Conditor supernus orbis imperator omnium
Ipse cuncta quae creavit pulchra fecit artifex.
Inter haec creata, septem pulchriora praeminent,
Picta caeli sphaera lucis emicante gratia,
Alma solis inter astra candidansque gloria,
Ac referta post bicorne luna stemma lumine,
Fructuosus et virescens hortus flore germinum,
Thetyos serenitas quae visa mulcet omnium,
Sanctus et chorus piorum te Deum colentium,
Gloriosus atque rector optimus per omnia,
Liberalis et serenus sanctitate praeditus,
Aequitate puritate cordis ille praeminet,
Quem tremit superbaque reprobûm celsitas,
Qui bonos honorat sponte largitate regia.
Pacifer et beatus ille fit sicuti vinea,
Trinitatis est imago digna sorte caelitum.

CAP. X.

Sed inter haec aliud quod est sciendum, quoniam ut sapientes perhibent, sunt octo columnae, quae fortiter regnum, iusti regis sustentant. Prima columna veritas est in omnibus rebus regalibus. Secunda columna patientia in omni negotio. Tertia largitas in muneribus. Quarta persuasibilitas seu affabilitas in verbis. Quinta malorum correctio atque contritio. Sexta bonorum amicitia atque exaltatio. Septima columna levitas tributi in populos. Octava aequitas iudicii inter divites et pauperes. Hae sunt itaque octo columnae, quae regnum iusti principis et in hoc saeculo stabilitant, atque ad aeternae stabilitatem gloriae perducunt.

Fabrica nulla tenet stabilem per tempora formam,
Si non fulturis nixa sit illa suis.
Nec stabilire queunt splendentia lumine templa,
Aula nec et regum his sine firma potest.
Iusti rectoris propriis sic stare columnis
Publica res poscit propitiante Deo.
Prima columna micat veri speciosa decore.
At patiens regimen rite secunda tenet.
Tertia largiflua meritis dat munera dextra.
Quartaque blandiloquax dulcia verba sonat.
Quinta malos reprimit, miro zeloque coruscat.
Gaudet sexta potens magnificare bonos.
Septima clementer populi levigatque tributum.
Ast octava regit iustitiae trutinam.
Nititur his solidis res publica fulta columnis,
Sicuti mons Sion his stabilisque manet.

CAP. XI.

Cum itaque his octo columnis regiae potestatis eminentia fulciatur, decet amabilem Deo rectorem causam sui personalem utilitatibus postponere ecclesiasticis, ut in quantum memor est beneficiorum Dei, quae illi superna gratia concessit, in tantum beneficii largitorem honoret. Tunc vero honorare altissimum bonus princeps cognoscitur, cum illorum qui laborant in agro dominico, tamquam magni regis dispensator, adiutor et protector efficitur. Certum namque est quod tanto propitius causas terreni principis omnipotens sua pietate disponet, quanto de sua, sanctae videlicet ecclesiae, causa illum sollicitum esse viderit. Itaque providus rector studeat facere quae Deo sunt beneplacita, si ipse desiderat, ut Deus faciat quae sunt illi pro-

spera et gloriosa. Isque diligenti cura sollerter provideat quatenus synodales conventus per singulos annos bis vel ter fieri iubeat, ut quod ad verum Dei cultum pertinet, quod ad ecclesiarum ipsius reverentiam, et ad honorem pertinere cognoscitur sacerdotum, vel quid contra mandata Domini gestum sit, in ipso reverendo atque unanimo discutiatur conventu, ut quicquid bene actum sit, corroboretur; siqua vero sunt male gesta, in melius corrigantur. Ubi et ipsi praepositi oportet ut investigentur qualiter suis ministeriis fungantur, vel quomodo plebem sibi commissam tam caelesti informent doctrina, quam sanctae conversationis imbuant exemplo. Quae omnia si cum pacis unanimitate et canonica iustitia subtiliter pertractentur, fructuosa utilitas sanctae ecclesiae gignitur, ac reverendi rectoris, cuius benivola deliberatione scilicet et auctoritate haec aguntur, magni seminarium propagatur meriti.

Nam pretiosa religiosi principis est corona sanctum episcoporum concilium, in quo famosissimus magnus videlicet Constantinus imperator exultans in Domino gloriabatur, qui collectos ex omnibus fere gentibus quae sub caelo sunt, quibus Christi praedicatum erat evangelium, viros sacratissimos plus quam trecentos episcopos tam doctrina quam miraculis coruscantes, propter catholicae discussionem fidei in unum, hoc est nicaenum, congregavit concilium. Unde et hic huc usque mos christianus inolevit, ut apud omnes orthodoxos ecclesiarum principes synodales fieri conventus decernatur, propter necessarias sanctae ecclesiae utilitates, quae non nisi synodalibus investigari conciliis atque canonicis definiri sanctionibus debent. Unde cautum et humilem et valde circumspectum opor-

tet esse regem; nec quicquam de negotiis ecclesiasticis iudicare praesumat, ante quam synodalia statuta cognoscat. Siquidem ecclesiastica iudicia valde sunt coram Deo periculosa, nisi cum maxima proferantur iustitia; praecipue si per calumpniosos accusatores et mendosos testes, qui innocentes sunt examinentur absentes, quod est christianitatis alienum. Unde et illud in evangelio legitur: numquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat? Pius itaque rector tamquam luminosa pupilla primo quod iustum et legitimum est secundum canonicas sanctorum episcoporum sanctiones perspicaciter adtendat; dehinc consensum atque auctoritatis adminiculum his quae sunt vera et iusta adhibeat. Per se vero nullatenus de talibus praeiudicium faciat, ne forte errando ante conspectum Domini culpam aliquam detestabilem incurrat.

Unde venerabilis memoriae Valentinianus imperator cum a sanctis episcopis rogaretur quatenus dignaretur ad emendationem sacri dogmatis interesse, mihi, inquit, cum minimus de populo sim, fas non est talia perscrutari; verum sacerdotes, quibus haec cura est, apud semet ipsos congregentur ubi voluerint. Et haec quidem dicebat imperator tam virtute humilitatis praeditus, quam Dei timore munitus, ne forte offenderet altissimum si sua propriam praetulisset potioribus sententiam. Hoc ipsum fecit, ut praedixi, magnificus et sapientissimus imperator Constantinus, non in sua sed in sanctorum prudentia sapientiaque episcoporum confidens. Hoc beatus Iovinianus Deo amabilis princeps fide inconcussa servavit; qui dum hostis esset arrianae perfidiae atque sectator nicaeni decretorum concilii, ex momentaneo terrestris imperii

fastigio aeterni sibi gloriam regni comparavit. Quid referam de duobus sacratissimis divina praestante gratia imperatoribus Theodosiis? qui in tantum omnipotenti placuerunt, ut regias purpuras, sceptra quoque et apicem imperatoriae dignitatis divinis praeceptis et canonicis institutis Domino inspirante subderent, ac pium zelum erga Dei ecclesias indefessa caritate semper haberent. Unde illos universorum dominus sublimavit in terris, et post praesentis gloriam felicitatis tamquam dilectos sibi ministros in aeternum beatificat in caelis. Sed si quis est tantorum aemulus gloriae principum, si quis christianus rector feliciter et gloriose in hoc saeculo regnare desiderat, et ad palmam sempiternae beatitudinis pervenire contendit, illorum fidelissimam erga cultum omnipotentis imitetur devotionem, seque benivolum, clementem, in iudiciis districtum, in cordis humilitate mansuetum, in visceribus misericordiae compatientem, in largitate munificum, in zelo qui secundum Deum est fulmineum circa Dei ecclesiam sollerter exhibeat, si consortio supernorum civium cum sanctis et iustis rectoribus regnare perenniter procurat.

Princeps magnificus quem Deus extulit
Ut praesit populo sceptriger inclytus,
Debet celsithrono se bene subdere,
Cedros qui Libani conditor edidit,
Montes qui superos vertice sublevat,
Qui gemmare facit ruraque floribus,
Pinxit quique polos sideribus pater,
Qui caeli Cherubim rex supereminet.
Reges terrigenas malignos is ordinat.
Ob hoc provideat rector honoribus
Excellens superis quos Deus attulit,

Olli quo placeat qui regit omnia,
Regnum qui tribuit maximus arbiter.
Hlum magnificat quisquis eum colit,
Verbo corde pio regimine moribus.
Christi quique volens ecclesiae favet,
Servator canonum, ductor et optimus
Claret iustitiae stemmate fulgidus.
Rex est iure sacer qui sacra dogmata
Ac decreta patrum servat in omnibus.
Illum clarificat pontificum chorus,
Ceu gemmae radiant in diademate,
Ut campum decorant violae ac lilia,
Illustrantque polum fulgida sidera.

CAP. XII.

Oportet autem modestum dominatorem pondere humilitatis et obedientiae virtute fieri praeditum, ut virtutes humilitatem videlicet atque obedientiam, quam ipse in subiectis diligit, in se ipso recognocat. Itaque si contigerit ut a prudentibus reprehendatur, se quidem reprehensibilem esse acriter doleat, ac protinus ad paenitentiae medicamenta currere festinet; et qui libenter peccaverat, virgam correctionis libenter atque gratanter accipiat; et prius quam creator manum suam ad feriendum excutiat, de correctione commissi sceleris summopere studeat, ne tam postmodum acrius districtus iudex feriat, quantum diutius et clementer expectat. Praeoccupet faciem Domini in confessione, si quis regni gubernator in abscondito peccavit vel publico. Quomodo de sancto rege et propheta David legitur, qui cum post stuprum Bersabee et homicidium commissum in Uriam hethaeum per Nathan reprehen-

deretur prophetam, non erat reprehensori indignatus, sed sibimet, recognoscens suum peccatum, iam fuerat iratus; et qui post culpam hilarescebat perpetratam, se ipsum per amaram deflevit paenitentiam. Hinc lacrimis veniam promeruit qui coram Domino gravia scelera commisit, et ex fonte lacrimarum venit ad manipulum gaudiorum, sicut ipse alibi dicit: qui seminant in lacrimis, in exultatione metent; et reliqua.

Sed et illud quod de gloriosi principis Theodosii admiranda humilitate atque paenitentia traditur, nec praetereundum esse videtur, qui cum post iniustam multorum milium necem Mediolanum venisset, et sollemniter in sacrum voluisset intrare templum, ei sanctus Ambrosius huiusmodi cladem, plenam valde gemitibus, audiens occurrit foris ad ianuas, et ingredientem his sermonibus a sacri liminis ingressu prohibuit. Nescis, imperator, perpetratae a te necis quanta sit magnitudo? Neque post causam tanti furoris mens tua molem praesumptionis agnoscit? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperii. Quibus igitur oculis aspicies communis domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavimentum? Quomodo manus extendes de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Dei corpus? Qua praesumptione ore tuo poculum pretiosi sanguinis percipies, dum furore sermonum tantus iniuste sit sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe vinculum quo te omnium dominus nunc ligavit. Est enim medicina maxima sanitatis.

His sermonibus obediens (erat enim divinis eruditionibus enutritus, et aperte sciens quae sunt propria sacerdotum, quae regum) gemens et deflens ad

regalia remeavit. Cumque octo mensium continuo transissent tempora, propinquavit nativitatis Salvatoris nostri festivitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lacrimas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus tunc magister, et singularem apud principem fiduciam habens, et videns principem in lamentatione prostratum, accessit ut lacrimarum causas inquireret. At ille amarissime ingemiscens et vehementius lacrimas fundens, tu, inquit, Rufine, ludis et mala mea non sentis; ego autem lamentor et gemo calamitatem meam, quia quidem servis et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum libenter exorant, mihi vero ingressus non est ad eum. Insuper etiam clausi sunt caeli. Haec dicens, verba singula singultibus irrumpebat. Quem cum idem Rufinus beato reconciliare Ambrosio persuaderet, neque tamen potuisset, haec imperator in media iam platea cognoscens, pergo inquit et iustas in facie suscipio contumelias.

Cumque ad sacra limina pervenisset, in sanctam quidem basilicam non praesumpsit intrare, sed veniens ad antistitem, et inveniens eum in salutatorio residentem, supplicabat ut eius vincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat eius praesentiam, et contra Deum vesanire Theodosium, eiusque calcare leges. Verum imperator non, inquit, insurgo adversus ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra contendo, sed te solvere vincula mea deposco, et communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi ianuam claudi, quam cunctis paenitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes quam, inquit, paenitentiam ostendisti post tantas iniquitates? quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagasque

curasti? At imperator tuum, inquit, opus est et docere et medicamina temperare, meum vero oblata suscipere. Quibus verbis imperatoris auditis, quae illius humilitatem, atque ipsum spontaneam paenitentiae suscipere afflictionem monstrabant, sanctus Ambrosius salutarem ei medicinam tantorum vulnerum apposuit, qua percepta imperator magnas gratias referebat. Tali ergo tantaque et praesul et imperator virtute clarescebant, quorum opus valde fuit admirabile, illius fiducia, huius obedientia, illius zeli fervor, huius autem fidei puritas. Porro regulas pietatis quas a magno sacerdote percepit, etiam reversus in Constantinopolitanam urbem servavit. Nam dum festivitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altari muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius praesul ecclesiae, mandasset cur intus stare noluisset, mandavit princeps: vix, inquit, potui discere quae differentia sit imperatoris et sacerdotis; vix enim veritatis inveni magistrum; Ambrosium namque solum novi vocari digne pontificem. Tantum itaque prodest increpatio a viro virtutis prolata!

Unde perspicuum est quod decet bonos et pios rectores salubres antistitum, quasi spiritualium medicorum, humiliter et libenter auscultare correctiones, testante Salomone qui ait: inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem. Melius est enim a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Nam si nostrorum vulnera corporum a medicis sanari vehementer desideramus, et in praesentia medicorum eadem ostendere non erubescimus, et in dolore medicinae spe salutis oblectamur, quanto magis de vulneribus et plagis animarum nostrarum nos maiorem habere curam oportet, quousque

spiritualis medicus, quamvis acerrimam medelam adhibeat, per quam spes certa nostrae sanationis fiat? Sicut enim scalpellus medici non ob hoc malus est quod resecet vulnera, et putridas amputet carnes, sic et correctio salubris.

Quam lux rutilo nova caelo
Fit grata habitantibus orbem
Post nubila noctis opacae
Phoebi radiante corona;
Quam ros sitientibus arvis
Post torrida caumata cancri,
Boreae post frigora saeva
Ver florigerumque serenum;
Sic praeveniente piaclo
Animae fit cara medela.
Morbis medicantur anhelis
Iam quisque salubribus herbis
Tulerint quo corporis aegra.
Cura vigilante sagaci
Famulae si tanta rependunt
Fragili medicamina carni;
Cur non potior medicina
Dominam medicatur honoram,
Simulando iura creantis
Animam deitate beandam?
Quis vulnera tollere culpae
Medico potest sine docto?
Caveant igitur dominantes;
Vitiis si mente labascunt,
Adeant medicosque peritos,
Christi pietate ministros
Quis discant subdere colla,
Qui possunt pellere morbos

Oleo vinoque salubri.
Nec non caelestibus herbis
Paradisi flore creatis
Extinguunt dira venena.
Revocant animas et ab imis
Verbo virgaque potenti,
Quas sancta caelitus arte
Revehunt ad pascua vitae.

CAP. XIII.

Non est facile hominibus universas vitare hostis insidias. Nam dum quispiam libidinis effugerit passionem, incurrit in avaritiam; qua declinata, invidiae fovea praeparatur; hanc si transcenderit, vitium furoris incurrit; et alios plurimos laqueos ponit inimicus, quo capere possit incautos. Et corpus quidem passiones habet facile ministrantes, ut animam possit occidere; sed mens divino solatio vigilans machinationum eius destruit argumenta. Humanam naturam participatus Theodosius praefatus imperator habuit passionum quoque communionem, iustoque furori immensam permiscens crudelitatem, iniustam operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium est propter utilitatem legentium (1). Thessalonica civitas est grandis et populosa, in qua dum fuisset orta seditio, quidam iudicum lapidati sunt atque tracti. Hinc indignatus Theodosius non refrenavit infirmitatem iracundiae, sed iussit iniustos gladios super omnes evaginari, et una cum nocentibus innocentes interimi. Septem milia etc-

(1) Sumitur sequens narratio ex Theodoreti historia lib. V. cap. 17. 18; ut ex capitulo eiusdem 19. derivata fuerunt quae noster dixit de Placilla cap. V. p. 17.

nim hominum, sicut fertur, occisi sunt, non praecedente iudicio, sed tamquam in messibus omnes simul incisi sunt. Quam ob rem, ut diximus, beatus Ambrosius praefatum imperatorem sancto zelo succensus graviter redarguit, ac furorem principis inrationabilem et scelus nefandum severa invectione detestatus fuit.

Unde bonus et prudens rei publicae gubernator aptum est ut illud praecaveat, ne dum suam suorumve iniuriam ulcisci supra modum disponit, inrationabilis reatum furoris incidat; sed propriam iram refrenare non negligat, et iusti furoris stimulos affectu pietatis removeat, ne forte si plus iusto desaeviat in subiectos, incurrat rabiem leoninae ferocitatis. Unde scriptum est: noli esse sicut leo in domo tua, subvertens domesticos tuos, et opprimens subiectos tibi. Nam sicut debellare superbos, ita et parcere subiectis, iustum et misericordem dominum oportet. Unde et Antoninus imperator dicebat, malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. In corrigendis itaque criminibus miscenda est lenitas cum severitate; faciendum ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Nec ulla correctionis seu vindictae habeat modum, nisi recte praecedat iudicium. Nec decet serenum rectorem furore iracundiae, tamquam felle amaritudinis, esse perturbatum, si iustum vult proferre iudicium, cum nimis irascentium caeca sint iudicia. Non enim potest serenum lumen iustitiae ac veritatis cernere, qui caligine obnubilatur iracundiae. Opponatur itaque fortis patientiae clypeus, contra inrationabilis impetum furoris. Nam sicut scriptum est, melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Fortior enim est qui violentiam, et in se ipso inclusam

feram superat iracundiam, quam qui leonem perimit.

Quanta vero mala per subitaneum furorem et impatientiae vitium eveniant, quis explicare potest? Rex Saul furoris impetum non refrenans, immani saevitia sacerdotes Domini trucidavit. Salomon quoque quamvis splendore sapientiae fuerat illuminatus, tamen furoris passione repletus suum fratrem interfici praecepit, pietatem tyrannidi postponens. Quid referam de reprobis Iudaeis? qui dum zelum, sed non secundum scientiam habuerunt, in filium Dei et sanctos eius discipulos homicidae extiterunt. At patientis virtute mansuetudinis sanctus David praeditus, etiam inimicis suis saepe pietatis affectu pepercit; nonnumquam vero Dei zelo stimulatus inimicos Domini usque ad mortis exitium protrivit. Decet enim dilectum Deo principem contra hostes et blasphemos christiani nominis fulmineum frequenter habere zelum. Nam si Nabuchodonosor rex alienigena, ne blasphemaretur Deus Israhel in tantum saeviit, ut tale decretum firmaret dicens, quicumque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, ipsi in interitum erunt, et domus eorum in perditionem; quanto magis orthodoxos rectores contra inimicos christianae fidei et doctrinae atque religionis zelare oportet? quatenus omnipotenti, cuius ministri gratia sunt ordinati, tanto magis placeant, quanto ferventius ea quae Christi sunt, laudabili zelo satagere anhelant.

Post inclytos labores
Ac laurea trophaea,
Toga candente pacis,
Et regia corona
Lectis micante gemmis
Auroque compta flavo;
Cum purpura coruscat,
Aulae decorus ordo,
Feliciter regentem
Cum sors beata comat,
Quam saepe mentis aulam
Perturbat ira praeceps,

Ac zelus ardet intus
Caeco furore cretus!
Aenea fervet olla
Nec sic furens in astra,
Ceu principis severa
Cor saevit ut leaena.
Nolens modum tenere
Infecta mens veneno:
Misceatur ergo menti,
Flagransque odore pacis
Dux fiat, ac serenus
Grato nitente vultu.
Nec iudicans sit ante
Quam veritas patescat.
Nam notione nocte
Cor splendet ut lucerna

CAP. XIV.

Sed dum boni rectores fastum superbiae tyrannidis in adversariis debellare studeat, non in se nec in suorum fortitudine, sed in altissimi virtute et gratia totam confidentiam stabilire debent, quia ipse est solus et potens protector omnium in ipso fiducialiter sperantium. Unde per psalmistam dicitur: bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus; bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Et alibi: nolite confidere in principibus neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Exiet spiritus eius et revertetur in terram suam; et reliqua. Cui etiam Hieremias concinit dicens: Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te, in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius; et reliqua. Nullus ergo debet confidere in in homine, aut praesumere quod nullus ei possit resistere. Praesumebat et silurus piscis quod hamum sibi nemo iaceret, nemo tenderet retia; et si incidisset, omnia disrumperet, et tamen fuscinam (1)

(1) Piscatorium instrumentum fuscina est, bidens aut tridens,

non evasit. Quod si quis singulari fortitudine excellens ob hoc singulos non timeat, idem multos necesse est ut caveat. Nam qui ab uno vinci non potest interdum a multis vincitur. Elephas grandis est, et occiditur; leo fortis est, tigris fortis est, et occiditur. Prudentis autem rectoris est etiam metuere vel praecavere inferiores, cum saepe ab inferioribus superiores superentur. Quam immanis est crocodilus et dentibus atque unguibus intolerabilis! qui tamen ab enideo bestiola ventre perimitur. Monoceron elephantem cornu perforat. Formidabilis elephantus murem timet. Leo rex ferarum exiguo scorpionis aculeo occiditur. Nemo itaque in suis viribus temere praesumat.

Sed ne quis in suorum fortitudine ac numerositate confidat, Xerxes rex Persarum bellum adversus Grae-

qua velociter et perite vibrata confixi pisces capiuntur. Id ex veterum scriptis constat, et usus etiam hodiernus demonstrat. Nam et ego autumnalibus feriis in Circaea palude ad Luculli villam iacta fuscina breve piscibus bellum intuli. Hinc, utpote Deus marinus, tridentem fuscinam gestat Neptunus, eique ipsam sub pedibus sternit Martianus Capella; quo loco, doctus alioqui vir Caylusius, ut dixi in praefatione ad Homeri picturas, ridicule legit *lusciniam* pro *fuscina*. Causam hanc verissimam, cur detur Neptuno fuscina, unus fortasse inter mythographos novit Phornutus cap. de Neptuno, quamquam et ipse immerito dubitans: *φέρει δὲ τρίαιναν, πότερον ἐπεὶ αὐτῇ χρῶνται πρὸς τὴν τῶν ἰχθύων θήραν, ἢ ὡς ἐπιτηδείου τούτου τοῦ ὀργάνου πρὸς τὴν κίνησιν τῆς γῆς?* Ceteri, quod valde miror, in alias abeunt, quas piget referre explicationes, hanc unice veram, ut reor, ignorantes; veluti Servius ad Aen. I. 138; Fulgentius lib. I. 3; et vaticani Mythographi apud nos Class. AA. T. III. pp. 39. 86. 183; nec non graeci Auctores laudati a Munckero ad Fulgentium loc. cit. Pictores vero ac statuarii, hoc aptius, prae ceteris piscatoriis, instrumentum Neptuno distinguendo adhibent; etenim tridens cum marinum Deum denotat, tum etiam sceptri vicem gerit, et omnino decoram atque speciosam aquarum domino dignitatem conciliat.

ciam a patre susceptum per quinquennium instruxit; qui videlicet Xerxes DCC. milia armatorum de regno, et CCC. milia de auxiliis, rostratas etiam mille ducentas, onerarias tria milia numero habuisse narratur; ut merito inopinato exercitui, immensaeque classi vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Sed Leonidas rex Spartanorum cum quatuor milibus hominum contra mille milia armatorum eiusdem Xerxis in bellum processit, ac deletis Persarum copiis, victor et bello clarissimus cum suis paucis pro amore liberandae patriae occubuit. Xerxes vero bello in Graecia infeliciter gesto, contemptibilis suis factus, in regia circumventus occiditur. Nam saecularis gloriae et incurvabilis superbiae pedissequa est ignominia. Hinc per Salomonem dicitur: Dominus exercituum hoc cogitavit ut detraheret superbiam omnis gloriae, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terrae.

Non ergo glorietur fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis. Nam si eruca parvusque vermiculus fortior homine est, ut quid se iactat terra et cinis, et elata per superbiam, cum ex humo sit, humana contempnit? Itaque qui gloriatur, in Domino glorietur, qui arcum potentium infirmat, et infirmos robore accingit; cuius adinventiones sunt ut superbi cadant et humiles surgant; cui omnis potestas a patre data est in caelo et in terra, et omnia subiecta sunt sub pedibus eius. In quo si quis fiducialiter anchoram spei fixerit, misericordia circumdabitur, sicut scriptum est, qui sperat in Domino sublevabitur. Expectatio iustorum laetitia, psalmista attestante qui ait: sperantes autem in Domino misericordia circumdabit. Et iterum: beatus vir, cuius est nomen Domini spes

eius. Quis enim speravit in Domino, et confusus est? Quis permansit in mandatis eius, et derelictus est? Quis invocavit Dominum, et despectus est? Quoniam pius et misericors Dominus.

Quisquis bellipotens saevis confidit in armis,
In se sive suis spem male fidus habens,
Instabili tremulans folio simulabitur ille,
Grando quod excussit, quod notus atque movet.
Cuius loricae textura rigente metallo
Ut fragilis telae nutat aranеolae.
Plumbeus ut pugio gladius lentescit acutus,
Nec fidus dominum protegit et clypeus.
Quem galeae tutela premit ceu lanea cassis,
Lancea vulnipotens sicut harundo valet.
Talibus horrendus iactabat saepe Golias,
Quem funda missus stravit ab hoste lapis.
Illum non vicit clypeus, non arma tremenda,
Nonque minax sermo profuit allophylo.
Si leo si tigris perimitur si crocodilus,
Ingens si murem trux elephasque timet;
Ergo nec in proprii fidendum viribus ulli
Belligero, quamvis aenea membra gerat.
In Domino potius vivo spes tota locetur,
Qui regit altithronus numine regna Deus.
Qui dat et omnipotens ducibus sperare superna,
Virtutem validâ vincere posse manu.

CAP. XV.

Unde si quando bellici rumores crebrescant, non tam in armis corporalibus et fortitudine confidendum, quam assiduis ad Dominum orationibus est insistendum, Deique sunt imploranda auxilia, cuius in manibus con-

sistit salus, pax, atque victoria; qui si pia devotione invocatus fuerit, numquam se invocantes deserit, sed eisdem misericorditer adiutor in inportunitatibus assistit. Nam cum suorum electorum manus et voces ad patrem misericordiarum elevantur, hostium ferocitas adnihilatur, ac nonnumquam hostibus subitanea ignominia mortisque fovea, piis vero inopina victoria disponitur; dum pii viam desperatae salutis, impii autem decipulam insperatae mortis intrant. Sed quod dicimus, evidentibus exemplis nos approbemus.

Moyses legislator cum manus suas in oratione elevabat ad Dominum, vincebat Israhel; cum paululum remittebat, vincebat Amalec. Sic et rege Iezechia non corporalibus armis pugnante, sed cum lacrimis exorante, angelus Domini centum octoginta quinque milia Assyriorum una nocte interfecit. Iosaphat rex laudes Domino personabat, et Dominus pro laudante hostes superabat, ita ut converteret hostium insidias in semetipsos, vel mutuis caderent vulneribus. Israhelitae vero ingentem praedam de spoliis occisorum tollentes, ita onusti sunt, ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre prae praedae magnitudine. Quid referam de Machabaeis, qui divino freti adiutorio saepe victores fuerunt? Unde et famosissimus ille Iudas atque in bellis Domini invictissimus, ad plebem formidantem ac dicentem, quomodo poterimus pauci pugnare adversus multitudinem tantam et tam fortem, et nos fatigati sumus iciunio hodie? respondit: facile est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei caeli liberare in multis vel in paucis, quia non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et su-

perba, ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros, et ut spolient nos; nos vero pugnemus pro animabus nostris et legibus nostris, et ipse Dominus conteret eos ante faciem vestram. Vos autem ne timueritis eos. Sicque irrumpens in hostes, contrivit eos, et victoriam accepit de inimicis suis.

Nec solum in veteri testamento haec facta sunt, sed etiam in novo his similia contigerunt. Unde historiae tradunt, quod Constantinus imperator cruce Christi pro vexillo utens, universos hostes suos superavit. Similiter et Theodosius augustus magis orando quam bellando quosdam tyrannos eorumque exercitus prostravit; cui Dominus tempestates, fulgura, et tonitrua in auxilium contra adversarios misit, et eos vindicta caelesti protrivit, de quo quidam eleganter poëta (1) sic ait:

O nimis dilecte Deo, tibi militat aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Quid autem mirum si per magna elementa magnus Dominus magnalia operetur, cum etiam in minutis volatilibus stupenda miracula ipse facere praedicetur? Ecclesiastica namque refert historia, quod tempore Constantii imperatoris rex Persarum Sapores nomine, Nisibin civitatem, quam quidam Antiochiam mygdoniam vocant, multis cum milibus obsidebat, cuius urbis episcopus atque rector et dux erat sanctus Iacobus apostolicae gratiae radiis illustratus. Per idem ergo tempus Ephraim vir mirabilis et conscriptor egregius apud Syros sacratissimo Iacobo supplicabat ut veniret ad muros, et videns barbaros, maledictionis iacula contra eos emitteret. Flexus ergo venerabilis homo ascendit in murum, et cum milia milium videret

(1) Claudianus de tertio consulatu Honorii.

exercitûs, aliam maledictionem eis non petiit, nisi sciniphes et culices, ut per parva animalia supernam virtutem potuissent agnoscere. Orationem vero secutae sunt nebulae sciniphum et culicum. Et elephantorum quidem proboscidas, cum sint cavae, equorum vero aliorumque iumentorum aures simul et nares implerunt. At illi ferre vim parvorum animalium non valentes, sessores suos ductoresque excussos dorsis proiecerunt, et disruptas acies confuderunt, exercitumque relinquentes, summo impetu fugiebant. Hoc modo territus imperator parvam clementemque correptionem in se cognoscens factam a Deo habente providentiam animarum cum pie colentium, suum exinde reduxit exercitum, confusionem non victoriam ex illa obsidione percipiens.

Legimus et alios sanctos viros, quos contigit aliquando cum christiano populo in expeditionem exercitus esse, magis oratione contra hostes quam armis saecularibus pugnasse; quomodo sanctus Germanus antisiodorensis episcopus fecisse legitur, qui cum beato Lupo, episcopo Tricassinae civitatis, in Britanniam ad extirpandam pelagianam haeresim missus fuerat, quo tempore necessitas belli Britonibus contra Pictos et Saxones imminebat, quia Picti et Saxones confidentes in multitudine exercitus sui, Britones opprimere disponebant, quos eadem necessitas in castra contraxerat (1). Et cum trepidi partes suas impares iudicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesimae venerabiles dies, quos

(1) Sumit hanc narrationem Sedulius a Constantio antiquo S. Germani biographo lib. 1. cap. 28, quem videsis apud Surium die 31. iulii.

religiosiores reddebat praesentia sacerdotum in tantum ut cottidianis praedicationibus instituti, certatim populi ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit. Ecclesia ad diem resurrectionis dominicae frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo, et contempto armorum praesidio, divinitatis expectatur auxilium. Tunc Germanus ducem se proelii profitetur, eligit expeditos, et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur, quo in loco novum componit exercitum ipse dux agminis. Et iam aderat ferox multitudo hostium, quam cum adpropinquare intuerentur in insidiis constituti, tunc subito Germanus signifer universos admonet, et praedicat ut voci suae uno clamore respondeant; securisque hostibus, qui se insperatos adesse confiderent, alleluia iam tertio repetitam sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, et elatum clamorem repercusso aëre montium conclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur, et super se non solum rupes circumstantes sed etiam ipsam caeli machinam contremescunt, trepidationique iniectae vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma proiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore praecipites flumen quod transierant devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, et victoriae concessae otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et caelestis palmae gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant pontifices, hostibus fusis sine sanguine; triumphat victoria, fide obtenta non viribus.

His itaque et talibus exemplis evidenter ostenditur, quod magis homines sanctis orationibus ac divino auxilio, quam armis saecularibus a periculo mortis protegantur. Unde autem solatia praesentis vitae, et defensio contra universa pericula, et victoria de hostibus maxime quaerenda sit, ipse Dominus in veteri lege priorem populum instruens ita ostendit dicens: si in praeceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluviam in temporibus suis, et terra gignet fructum suum, et pomis arbores replebuntur. Adprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris; dormietis, et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum ex vobis decem milia. Cadent inimici vestri in conspectu vestro. Gaudio respiciam vos, et crescere faciam, multiplicabimini. Et firmabo pactum meum vobiscum. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego dominus Deus vester. Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et iudicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque haec faciam vobis: visitabo vos in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros et consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos,

et corruetis coram hostibus vestris, et subiciemini his qui oderunt vos. Fugietis, nomine persequente. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam; et percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamque super vos gladium ultorem foederis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medium vestri, et trademini in hostium manus; et reliqua.

Haec ergo licet priori populo, qui terrena bona ambiebat, per legislatorem dicta sint, tamen christiano nunc populo convenienter aptari possunt, cui a Domino suo in praesenti tribulatione consulitur, et insuper bona futura in caelis promittuntur. Huic ergo optime convenit, ut mandata Domini sui servet, et totam spem suam in eo constituat, qui potens est ab omnibus adversis in se sperantes eripere, atque ad prosperitatis eventum et hic et in futuro suos electos transferre.

Ventosa cum desaeviat
Euri procella perstrepens,
Altitonans de montibus
Cum nubilosa grandine,
Silvae ruantque protinus,
Turbetur et actus maris,
Minas et astris inferat
Ventus crepanti fulmine;
Ferit pavor mortalium
Tunc corda contrementium,
Ne sternat ira caelitus
Propaginem terrestrium.
Quisquis sapit pericula
Vitare corde provido,
Fugit timens haec omnia,
Tutum capessat ut locum.
Sic ingruente maximo
Adversitatum turbine
Totis petenda viribus
Caelitonantis dextera.
Beatus ille praeminet
Qui tunc volante praepete
Oratione machinam
Poli penetrat arduam!
Alas habet haec aureas
Volueris ora lucida.
Laevam regit ieiunium,
Dextram tenetque largitas.

Hanc noscit ordo caelitum,
Gaudens salutat advenam,
Offert eamque gloriae
Tribunal ante principis.

Votiva mentis xenia
Tunc prendit, ipsa lactea
Poli revisit climata,
Donisque omnia gratiae,

CAP. XVI.

At vero si bene regentibus et praecepta Dei custodientibus aliqua in hoc mundo adversa contigerint, nec mox debent contristati ab eo refugere atque de eius auxilio desperare, sed fiducialiter agere, ac de Dei bonitate pleniter confidere. Siquidem haec transitoria vita est iusto temptatio tota, in qua plus interdum nocent prospera quam adversa; quia Dei electos prospera deiciunt, adversa vero erudiunt. Ut enim sapientes perhibent, quinque temporum varietatibus regnum terrenum consistit. Nam primum tempus laboris est, quando per fragores hostium et bella contenditur. Secundum vero quando ipsum regnum suis incrementis ut luna usque ad plenitudinem tendit. Tertium tempus est ipsius plenitudinis, quando undique ab omnibus non offenditur, sed in plenitudine gloriae suae tamquam plenilunii claritas nobilitatur. Quartum tempus est in quo ipsius regni sublimitas instar lunae decrescere incipit. Porro quintum, quod est novissimum, tempus est collactationis et contradictionis, quando rei publicae quasi turris Siloa summa corruit, ac nullus ad ipsam rem publicam stabiliendam quicquam boni facere vult. Unde colligendum est quam mobilis et quam variabilis sit terreni regni gloria, quae numquam in eodem statu perseverat, sed sicut luna ut per momenta crescit in prosperis, ita et decrescit in adversis. At vero gloria sine mobilita-

te nequaquam in terrestri, sed in caelesti regno invenitur. In momentanea enim huius saeculi potestate, et confusa rerum transibilium inconstantia, quomodo saepe ex procellis adversitatum serenitas redditur, ita in procellas serena mutantur.

Itaque si aliqua contigerint adversa, qui providus est rei publicae gubernator, non statim talibus tempestatum turbinibus infringatur, sed e contra valida mentis fortitudine in Domino confortetur, atque omnipotenti gratias in adversis referat, qui in prosperis successibus de Domini sui clementia grates agebat. Parum est enim quando in Dei beneficiis, quae nobis accidunt, gratulamur. Nam et hoc gentilis facit et iudaeus et publicanus et ethnicus. Christianorum propria virtus est, etiam in iis quae adversa putantur, referre gratias creatori, ut in Dei praeconium mens laeta prorumpat, dicamusque: nudus exivi de utero matris meae, nudus et redeam. Sicut placuit Domino, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. Quotiens enim aliqua tribulatio in mundo evenerit, qui boni sunt velut vasa sancta, gratias agunt Deo qui eos castigare dignatur; illi vero qui sunt superbi vel luxuriosi vel cupidi, blasphemant contra Deum et murmurant dicentes: o Deus, quod tantum mali fecimus ut talia patiamur? At vero de bonis tribulatis ita in Iob legitur: beatus homo qui corripitur a Domino! Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur, percutiet et manus eius sanabunt. Nam fomentis lenibus, quibus nos Deus consolatur saepe, saepe etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adiungit, et quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes et cariosa vulnera adurere, cauterio non parcit; non miseretur, ut magis misereatur.

Interdum vero plus nobis utilia sunt bella et quaelibet adversa quam pax et otium, quia pax delicatos et remissos facit ac timidos; porro bellum et mentem acuit, et praesentia quasi transeuntia contempnere persuadet. Ac saepe superna disponente gratia dulcissimos fructus maioris pacis et concordiae progenerat. Unde et Constantinus imperator, suaviores inquit sunt amicitiae post inimicitiarum causas ad concordiam restitutae. Quisquis vero bonus et iustus rector spirituales et carnales hostes nec non quaelibet adversa vel evadere vel triumphaliter vincere desiderat, armamentis spiritualibus munitus atque ordinatus fiat, iuxta apostolum indutus lorica iustitiae, galea spei, nec non clypeo fidei protectus, ac divini sermonis gladio coruscus emineat. His enim et talibus armis sanctos atque clarissimos terrarum reges fuisse munitos, et superasse adversarios, et ampla trophaea de hostibus retulisse, atque inclyta regna diu et feliciter gubernasse, multis scripturarum locis saepissime legimus. Quomodo sanctus David, ut alios causa brevitatis omittam, armis spiritualibus praeditus, quia Deum verum toto corde timebat et amabat, multa evaserat pericula, atque hostes Domini digna saepe perculit ultione.

Ut globus lunae modo luce creseit
Ductus in sphaeram radiis coruscam,
Nuncque decreseit variante motu
Corniger orbis;
Regna sic terrae bifido tenore
Gloria crescunt modo prosperante,
Nunc et adversis minuuntur ortis
Aulica sceptra.
Res quid humanas querimur fugaces
Esse ceu fumus fluviusque praeceps?

Nonne sic mundi variant recursum
Haec elementa?
Post diem claram tenebrae sequuntur,
Post serenatas placidas et auras,
Ilico surgit nebulis opacis
Saeva procella.
Taliter dulcem sequiturque pacem
Litium gurges subitae ruinae.
Unde marcescit hominum propago
Flos velut agri.
At pius princeps Domino potenti
Corde contrito hilarique vultu
Gratias, postquam nova damna sentit,
Taliter offert.
Patris excelsi benedicta proles
Qui creas totum renovasque mundum,
Nunc tuae grates ferimus salubri
Nos medicinae.
Tune castigas medicante virga
Nos volens salvos nitidos ut agnos
In tui sacra gregis esse caula
Optime pastor.
Unde myrrhati calicem liquoris
Quem pie nobis tua dextra porgit,
Simus ut salvi, bibimus libenter
Dona salutis.
Nosque lorica renitente iusti,
Ac spei tuta galea, flagrante
Ense sermonis, fideique scuto
Quaesumus arma.
Et crucis signo radiante cornu
Exhibe votis populi precantis
Hostium cunctos superare fastus
Te dominante.

CAP. XVII.

Qui bonus est princeps, multis virtutum praeconiis adornatur, maxime vero clementia, mansuetudine, animae tranquillitate, numquam recipiens tempestatem, sed pacis concordiam quam fieri potest semper amplexans, non solum erga suos sed etiam circa inimicos; quos exemplo patientiae atque clementiae pium et magnanimum rectorem vincere oportet, testante psalmista qui ait: cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Prudens igitur dominator per pacis connexionem studet semper amplificare, ordinare, atque gubernare imperium; cum pax sit omnium rerum tranquillitas ordinis et connexio et incrementum regiae potestatis. Ut enim discordia maximae res labuntur, ita concordia pacis etiam minima crescunt. Unde Publio Scipione interrogante, qua ope res publica Numantiae prius invicta durasset, aut post fuisset eversa, Tyrseus quidam numantinus respondit: concordiâ, invicta; discordia, exitio fuit. Siquidem Numantia civitas per annos ·xiiii·, solis ·iii· milibus suorum, ·xl· milia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam vicit. Concordia dissensiones reprimit, aspera ad lenitatem, adversa in prosperitatem, inimicias ad amicitiarum tranquillitatem reducit; amabilis inter amicos, inexpugnabilis ab adversariis, desiderabilis etiam ab inimicis. Haec serena est domi, victrix in proelio; licet neque bellis velit esse implicata, nisi cum pernecessaria et iustissima exegerit causa.

Sed sunt nonnulli, qui successu terrenae felicitatis et tumore superbiae in tantum existunt elati, ut pacem ab hostibus oblatam spernere, et iniusta bella suscipere

non pertimescant; et quod est gravius, duobus forte bellis impliciti, tamquam Spartanorum furore, tertium non recusent. Sed saepe tales virgâ divinae ultionis iuste intereunt, quoniam pacis donum sibi oblatum suscipere nolunt. Quomodo Amasiae regi Iudae contigisse legimus, qui misit nuncios ad Iohas filium Ioachaz filii Iehu regis Israhel dicens: veni et videamus nos. Remisitque Iohas rex Israhel ad Amasiam regem Iudae dicens: carduus Libani misit ad cedrum quae est in Libano dicens, da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiae saltus quae sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria, et sede in domo tua. Quare provocas malum, ut cadas tu et Iudas tecum? Et non adquievit Amasias. Ascenditque Iohas rex Israhel, et viderunt se ipse et Amasias rex Iudae in Bethsames oppido Iudae; percussusque est coram Israhel.

Libet etiam commemorare quod de ipso Iuliano principe in historia refertur ecclesiastica, qui multos vicos castraque detinens, iam etiam civitates Persarum capiebat. Cumque venisset Ctesiphontem civitatem, in tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur offerens dare suae patriae partem, si soluto bello discederet; quod Iulianus noluit, neque supplicantibus est misertus, neque mente percepit quia vincere quidem, bonum est; supervincere, nimis invidiosum. Credens utique magicis artibus, et falsa spe victoriae praesumens; qui dum fuerat in equo et exercitum confortabat certum sperans triumphum, contra illum iaculum repente delatum, discurrens per brachium in eius latus immersum est. Ex hoc vulnere suscepit terminum vitae. Qui vero iustissimum intulit vulnus,

hactenus ignoratur, sed alii quemdam invisibilium hoc intulisse ferunt, alii vero unum pastorem Ismahelitarum, alii militem fame et itinere fatigatum. Sed sive homo sive angelus fuerit, palam est quia divinis iussionibus ministravit. Aiunt enim quia dum fuisset vulneratus, mox manum sanguine suo compleverit, et in aërem proiecerit dicens, Galilaee vicisti. Et in eo ipso confessus cum blasphemia victoriam.

Nullus ergo pacis gratiam fastu temerario debet spernere, aut post hostes prostratos elato corde superbire, quomodo praefatus Amasiás et Iulianus fecerunt. Unde scriptum est: non laeteris super inimici tui interitu, ne forte superveniant in te similia. Et iterum: cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum. Nam Deo displicet quisquis exaltat se in malis alterius. Unde beatus David de suorum interitu inimicorum non solum non erat laetatus, sed vehementer fuerat contristatus, affectu caritatis plangens fortes Israhel a Philistaeis fuisse prostratos, et dicens: inclyti Israhel super montes suos interfecti sunt. Quomodo ceciderunt fortes? Nolite adnunciare in Geth, neque adnuncietis in compitis Ascalonis, ne forte laetentur filii Philistiim, ne exultent filiae incircumcisorum; et cetera. Quibus evidenter ostenditur, quantum pietatis affectum sanctus David etiam erga inimicos habebat.

O quam pacificos cunctipotens amat!
Quis regnum Solymae perpetis annuit
Illos angelici gratia schematis
Ornans clarificat pectore vultibus,
Quorum simplicitas cordibus insita,
Sicut mos avibus felle carentibus.
Hac gaudet sobole celsithronus pater,

Heredesque suos hos Deus eligit.
Pacem qui sequitur, splendidus enitet,
Et verbis redolet mel velut atticum.
Qui pacem renuit, in tenebris manet,
Et caecus gradiens in foveam cadit.
Nam discors animi turbida motio
Expers consilii naufraga parturit
Incautis ducibus saepe pericula,
Quam mortis sequitur mox violentia.
Pax vero medicans dissona glutinat,
Pax lites reprimens gaudia seminat,
Pax iungit populos perpete foedere,
Regnum pace regit rector et optimus.
Quis charisma placet pacis aromate
Virtutum redolent sicut olivifer
Mons pinguis Domini, quo fluit affatim
Lac mel christicolis nectaris ubere.

CAP. XVIII.

Gloriosi principes et reges atque duces timorem Altissimi ante oculos habentes, neque de pacis tranquillitate, neque de triumphis victoriae sibimet arrogabant, sed totum Omnipotentis gratiae deputantes, dignas gratulationes sacraque vota, seu pro statu pacis, seu pro transacta victoria Domino persolvebant, qui dat salutem et gloriam regibus, in ipso fiduciam spei habentibus, qui voluntatem diligentium se faciet, et orationes eorum exaudiet, salvosque faciet eos; quia custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet; sapientia quoque hoc ipsum attestante atque dicente: qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione veniet vobis mi-

sericordia. Unde per Iohel prophetam dicitur: Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israhel. Quem pro multitudine misericordiarum suarum, et habundantia consolationum, et largitate beneficiorum, quibus humano generi ineffabili bonitate consulit, admirari et praeconiorum laudibus ac benignis devotionibus exaltari et honorari oportet; psalmista nos exhortante atque dicente: confiteantur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum. Cui et illud concinit quod in deuteronomio legitur: ipse est laus tua et Deus tuus, qui fecit tibi haec magnalia et terribilia, quae viderunt oculi tui. Unde et Israhel populus duce Moyse pertransito mari rubro, submersisque pelago Aegyptiis, canticum exultationis Domino personuit, quia eius magnifica in se beneficia persensit. Quid autem referam de famosis et sanctis ducibus ac regibus eiusdem populi, qui quotiens de manibus inimicorum liberati, vel de hostibus fuerunt victoriosi, liberatori et protectori suo tam hymnicas laudes quam pacificas hostias ceteraque vota Domino acceptabilia retribuebant? Inter quos ille devotus hymnidicus David pro collatis sibi a Domino beneficiis spiritualiter exultans aiebat: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. Hinc ille populus per Naum prophetam admonetur dicentem: celebra, Iudaea, festivitates tuas, et redde vota tua. Quanta vero bona ipsa plebs Domini consequebatur, per Iohel prophetam breviter ita describitur: et comedetis vescentes et saturabimini, et laudabitis nomen Dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia, et non confundetur populus meus in aeternum.

Sed et in novi testamenti tempore multi sanctissimi rectores, beneficiorum Altissimi non fuerunt im-

memores; sed quanto ceteris divina largiente gratia fortiores eminebant et gloriosiores, tanto magis Omnipotenti dignos recompensabant honores; qualis erat magnus et optimus imperator Constantinus, qui insigni pietate decoratus, superna disponente providentia, potitus est Europa universa atque Libya; super has etiam maximam Asiae partem tenens, subiectos habuit ubique devotos. Sed etiam barbarorum alii quidem sponte serviebant, alii devicti. Ubique triumphi videbantur, et victor cernebatur in omnibus imperator, qui divinae celsitudinis potentiam cognoscens atque admirans, et tanta sibi et humano generi collata per Omnipotentis gratiam beneficia enumerans, divitias divina laude atque honoris gloria refertas in hunc modum descripsit dicens: sacratissimam custodiens fidem, veritatis luce participatus sum; luminis veritate gubernatus, sacram agnosco fidem. Denique per hoc, sicuti res ipsa confirmat, venerabilem religionem esse conspicio, et doctrinam agnitionis sanctissimi Dei omnibus offerentem. Huius cultum me habere profiteor, quia huius Dei virtutem in auxilio habens, inchoans a finibus oceani, omnem terrarum orbem firma spe salutis obtinui. Hunc Deum colo, cuius signum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris, et a quo dum iusto sermone aliquid poscitur impetratur. Ex ipsis autem trophaeis insignibus beneficia repente suscipio. Hunc itaque Deum immortali memoria me honorare profiteor, eumque summa puraque mente superomnia esse credo. Hunc inclinatis genibus invocabo, qui puram tantummodo mentem et immaculatam animam ab omnibus exigit; virtutis et pietatis actus exquirit, mansuetudinis et clementiae delectatur operibus, mites amat, habet odio turbulentos, diligit fi-

dem, punit perfidiam, omnemque potentiam cum fastu despicit, superborum punit asperitatem, ad fastum elevatos perimit, humilibus autem ac patientibus digna retribuit. Quibus omnibus consideratis, multas Deo refero gratias, quoniam integra providentia omne genus humanum colens legem divinam, reddita sibi pace decenter exultet.

Et haec quidem piissimus atque christianissimus imperator dans gloriam Deo pro immensis ipsius beneficiis dicebat. Quis enim rector sub christiani nominis titulo insignitus, atque ab infantia tutela matris ecclesiae ubere lacte sinu educatus, et in principali dignitatis apice divina disponente gratia sublimatus, non iugiter omnipotenti victimas gratiarum offeret, non illius voluntati humiliter atque ardenter obedire, et sanctis eius servis placare non magnopere contendet? si rex impius Nabuchodonosor Deum Israhel honorat, si Alexander magnus cum esset paganissimus illius templum adiit, illius maiestati cervicem subdidit, se genibus provolutus curvat, ab illo auxilium efflagitat, illi victimas immolat, atque insuper sancti pontificem templi laddum plurimis honoribus sublimat. Theodosius quoque lux imperatoriae dignitatis sacratissima, pro beneficiis a Deo sibi collatis creberrimas gratias referebat, multis honoribus Christo suo vota compensans, quibus Christi amore refertis, tam Hierosolymis ecclesias constitutas quam per singulas civitates positas multum honoravit, et cum Hierosolymam pergeret, et cum denuo remearet.

Si pax proveniat, seu plaudant ampla trophaea,
Arroget incautus talia nemo sibi.
Nam Deus omnicreans, ingratos atque superbos
Mente sui cordis spernit ubique duces.

Diligit et mites, grates Dominoque ferentes,
Cuius multiplices gratificantur opes.
Nam neque divitiae faciunt neque regna beatos,
Si non celsithrono laus sit honorque patri.
Ob hoc eximius divino munere princeps
Hymnidicas laudes vota Deoque ferat.
Dum pax arridet, tumidus dum sternitur hostis,
Dum pollet terris copia plena bonis,
Dum Deus ex alto regem populumque triumphet
Magnifice plebem glorificando suam.
Absit murmurium populo, cum manna redundet
Tranquillae pacis multiplicisque boni.
Cantica laetitiae potius tollantur in astra,
Tantis pro donis organizare decet.
Spiritus omnipotens orbis dum climata refert,
Dum quoque terrigenis regna superna patent.

CAP. XIX.

Nam quisquis est prudens et sanctus christiani populi dominator, beneficiorum Domini semper fit memor; ideoque beneficii largitorem honoribus magnificat, atque honoratum se esse cognoscit, piaque affectione de privilegiis et causis sanctae matris ecclesiae, quae est sponsa Dei vivi, conservandis et augendis, nec non de honore ac reverentia sacerdotali laudabilem sollicitudinem habet. Tunc enim se fidelem Dei esse cultorem ostendit, dum christiana devotione quicquid ad honorem et gloriam Christi sanctaeque eius ecclesiae pertinet, ordinabiliter disponere fideli sermone studet, seque omnibus adversitatibus, si necesse fuerit, ob defensionem populi Dei, tamquam scutum obicit, qui se suumque regnum divina protectione de-

fendi exoptat. Nec cessat augere honoribus Dei ecclesiam, qui vult suum augeri et amplificari imperium; ac de pace et securitate pia sollertia pertractat ecclesiastica, qui transitoriam et aeternam pacem ac securitatem desiderat obtinere. Sit ergo fortis imitator ipsorum principum, qui ante ipsum iuste et pie in voluntate Dei regnaverunt, et christianum populum bene rexerunt, Christique ecclesiam opportuno solatio foverunt, Dei timorem et caelestis remunerationis spem semper ante oculos habentes, et omnia quae agebant sive disponebant, secundum voluntatem eius perficere festinantes, non pravorum iniquitatibus consentientes, sed prava in directa summo studio secundum trutinam iustitiae transferentes. Sciebant enim quia qui emendare potest, et neglegit, participem se procul dubio delicti constituit, quomodo in libris regum narratur de Heli sacerdote, qui filiis suis in cultu divino delinquentibus, et populo oblationes suas Deo offerenti vim facientibus, insuper et cum mulieribus quae observabant ad ostium tabernaculi dormientibus pepercit, et non eos auctoritate paterna acriter corripuit. Quanta vindicta super eos venit, et super omnem populum! Quoniam traditi sunt ipsi filii simul cum arca Domini et universus populus in manus Philistiim, et caesus est Israhel plaga magna nimis, ita ut triginta milia peditum ibi cecidissent, quoad arca Domini capta est. Duo quoque filii Heli Ophni et Phinees mortui sunt, ipseque Heli cum audiret arcam Dei captam et filios suos mortuos, cecidit de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est; sicque sacerdotium ab eius domo ablatum ad aliam domum translatum est; nec quisquam de stirpe Heli ultra in templo Domini ministravit.

Hoc itaque exemplo et aliis similibus, quae in scripturis sacris referuntur consideratis, sacratissimi principes atque rectores non recipiebant personas adulatorum, mel dulcedinis verborum pravae persuasionis veneno intermiscentium, nec consentiebant fraudibus iniquorum nequiter blandientium; quoniam si illis consentiatur in talibus nequitiis, non solum ipsi peccantes, sed et eis consentientes pariter interibunt. Ac boni et prudentes reges, quoniam ipsi recte vivunt, pio zelo praevaricantes disciplinabiliter redarguunt et corrigunt; unde sibi duplicem remunerationis a Domino palmam adquirunt, dum male in subiectis redarguere, et eosdem ad bona verbo et exemplis provocare student. Oportet enim Deo amabilem regnatorem, quem divina ordinatio tamquam vicarium suum in regimine ecclesiae suae esse voluit, et potestatem ei super utrumque ordinem praelatorum et subditorum tribuit, ut singulis personis et quae iusta sunt decernat, et sub sua dispensatione prior ordo devote obediendo fideliter subditus fiat. Et ideo in bono rectore debet laudabilis intentio esse, et bono studio illud providere, quatenus praepositi ecclesiarum Dei suum locum legitime teneant, eisque ad hoc adminiculum regia clementia tribuat, ut officium suum secundum mandata Dei, et sacrorum canonum instituta pleniter agere valeant; nec eis saeculares potestates impedimento fiant, sed potius ad fidem Dei servandam et cultum iustitiae perficiendum faveant. Ideoque, ut in superioribus praediximus, per singulos annos synodales fieri conventus necesse est, ubi ecclesiastica iura et negotia iuste et legitime discutiantur. Idcirco diligentissime bono et pio rectori providendum est, ut sanctificatio nominis Domini, quae in locis Deo conse-

cratis manet sine ulla reprehensione, in quantum possibile fuerit, servetur. Et tales rectores atque dispensatores in eis constituantur, qui sine inexplebili avaritia atque luxuria res bene tractent divinas, et Dei servis atque famulabus sufficientem victum atque vestitum tribuant, viduisque et orphanis atque pauperibus iuxta canones provisionem condignam primum impendant, et servitutem congruam regi orthodoxo de rebus quae supersunt exhibeant; ut primo ordine fiat quod ad divinum, et in sequenti quod ad humanum pertinet obsequium. Nam si provida sollertia erga carnales milites cura sit exhibenda, quatenus eis cuncta necessaria erogentur impendia; et qui plus in bellicis tumultibus laborant, et ad profectum rei publicae devotiores et fortiores atque utiliores fiunt, plus mercedis et honoris accipiunt; quanto magis providendum de spiritualibus Christi militibus, quorum sanctis laboribus et orationibus ipsa res publica servatur incolumis et illaesa? Hostes quoque visibiles et invisibiles superantur, copia rerum temporalium cum prosperitatis eventu cumulatur. Sancti angeli in adiutorium populo invitantur, serenitas pacis redditur, imperium amplificatur. Postremo regia dignitas et honorificentia diu atque feliciter potestate extenditur, ac filii filiorum in apice regni nobilitantur.

Orthodoxus ac beatus ille rector eminet
Qui Dei timore mactus atque amore fervidus
Anteponit illa semper aulicis negotiis,
Christiana quis ubique crescit alma gloria.
Qui pio tenore servat omne privilegium,
Unde regis candidata sponsa Christi gaudeat.
Qui lupos rapaces arcet aequitate regia,
Christiana ne premantur improbis ovilia.

Ipse zelotes et instat ardens more fulminis,
Emicans et ultor ensis insequendo reprobos.
Auribus modestis ille verba tempnit aurea
Ne mel ore suggerentis det venena toxica.
Nam colax in ore gestat arte verba mellea,
Cordis ac sinu retentat intus felle machinas.
His homunculis resistat christianus arbiter.
Scita legum mos et ordo patriaeque regulae,
Ac Dei colat ministros sanctitate fulgidos,
Qui Deo placere norunt ore corde moribus.
His precantibus beatis res beata publica
Omnibus bonis habundat, sicut arva fructibus.
Principis honor thronizat, ac trophaea bucinant,
Laeta pax ubique regnat quieta gaudia.

CAP. XX.

Has autem paucas de multis, divinas et humanas historias percurrens, vestrae domine Rex excellentiae commonitorias obtuli litteras, vestro amore ad hoc opusculum instigatus, sciens me debitorem esse vestrae celsitudinis obsequio; utile fore perpendens, si quae sparsim in divinis et humanis eloquiis de quibusdam malis regibus sive principibus leguntur, in unum breviter deflorarem opusculum; unde possit vestrum delectari ingenium, et nostrae devotionis erga vestrae claritudinem intelligentiae manifestari benivolum queat obsequium. Sic et apes ex diversis floribus mella in utilitatem dominorum transitura colligunt, quibus gratissimos favos artificiosa dispositione componunt.

Hos itaque apices velut enchiridion vestri sagacitas ingenii saepius transcurrendo perlegat, quatenus facilius animadvertere possit, quanta mala malis, et quanta

bona bonis rectoribus superna et divina iustitia rependat. Ut enim reprobis praesentes offensiones, calamitates, captivitates, filiorum orbitates, amicorum strages, frugum sterilitates, pestilentias intolerabiles, breves et infelices dies, diuturnas aegrotationes, mortes pessimas, et insuper aeterna supplicia retribuit; ita e contra iustis et sanctis rectoribus multa in praesenti solatia, divitiarum habundantiam, triumphorum gloriam, pacis tranquillitatem, praeclaram sobolis indolem, multos et felices annos ac perpetuum regnum in futuro donat. Nam sicut impiis sive prospera sive adversa cuncta in exitiosos fines accidunt, sic electis Dei omnes adversitates seu felicitatis eventus in bonum concurrunt, testante apostolo qui ait: omnia autem concurrunt in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. In adversis quidem pro tempore exercitati, sed in prosperis habundanter a Domino consolati; fastu superborum despecti, sed caelesti iuvamine victoriosi. Quorum meritis et sanctarum precum intercessionibus hostes superati, principes capti, urbes munitissimae fractae sunt tamquam tela araneae, maria fuerunt pervia, fortia quaeque facta sunt infirma, et quae infirma existimabantur mox extiterunt fortia. Aër quoque saepe ventis nubibus et grandine contra rebelles decertavit, ultoribus aether ignibus atque tonitruis super hostes intonuit, aequora violentissimas exercuerunt tempestates, angelica deservierunt ministeria, sol luna ceteraque sidera cursum stabiliri statuerunt, terra vivos deglutivit ac mortuos ab inferis eadem evomuit. Omnes enim creaturae eis erant subiectae, quoniam ipsi creatori corde verbo et opere subditi permanserunt. Quippe quorum erat sanctum studium Deum timere simul et amare, sacra per-

scrutari eloquia, noscentes gloriam regum esse investigare sermonem et Dei sapientiam, sicut scriptum est: posside sapientiam, posside prudentiam principium sapientiae; arripe illam et exaltabit te, glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te.

Has igitur artes Omnipotenti beneplacitas studiose didicerunt, iuste iudicare, humiles ac benivolos esse erga bonos, superbos verò et invectos in malos; pauperes alere, ecclesias Dei adiuvare, nec spem in transitorio et caduco regno ponere, sed in caelesti et permanentis semper regni beatitudine votum ac desiderium collocare. Quorum exempla et insignia gesta, atque felicem transitoriae vitae cursum, insuper aeternae retributionis gloriam vos semper amare, cogitare, atque imitari, domine Rex, summopere decet. Sic enim Dominus omnipotens erit custos et defensor vester contra omnes adversarios vestros, quos magnifica potentia sua conteret pedibus vestris, vel bellico seu pacis iure subiciet, et corona gratiae suae vos in omnibus adornabit, dies vestros cum felicitate et gloria in hoc saeculo extendens, atque iustorum consortio regum, qui Deo placuerunt, in perpetua felicitate constituens. Et erunt filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Sedebunt post vos in solio regni vestri. Dabit eis longaevam in hoc mundo aetatem scilicet ac felicitatem, si in viis Domini ambulaverint atque mandata ipsius custodierint; insuper vero regnum caelorum, potestate et gratia salvatoris et domini nostri Iesu Christi, cui est perpes gloria et potestas cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

EXPLICIT SEDULIUS DE RECTORIBUS CHRISTIANIS.

Sequuntur in Sedulii codice poëmatia XI. brevia de virtutibus. Deinde de vitiis poëmatia X. Cuncta haec, quia neque auctoris neque aetatis notam prae se ferunt, nunc certe omittenda censuimus. Postremo carmina in basilica romana sancti Petri olim prostantia, quae videre est apud Gruterum inter epigr. Christ. T. II. part. I. Sed pauca quaedam nec ibi, neque apud me in inscript. christ. Script. vet. T. V. videbar mihi reperire, quae ita se habent.

1. *In dextro atrio sancti Petri.*

Ingrediens quisquis radiantis limina templi,
In varias operum species dum lumina tendis,
Inclusum mirare diem fulgore perenni.
Cuncta micant, si lux tota luminatur in aula.
Ornavit praesul venerandas Symmachus (1) aedes,
Priscaque cesserunt magno virtutis honore.

2. *In arca super corpus sancti Petri.*

Rufinus Iuventius Gallus vir inlustris expraef. urbis pro beneficiis domini apostoli votum solvit.

3. *In fronte foras in ecclesia sancti Petri, ubi quatuor animalia circa Christum sunt picta.*

Marinianus vir inlustris expraef. et cons. ord. cum Anastasia inl. femina debita vota beatissimo Petro apostolo persolvit; quae precibus papae Leonis invocata sunt atque perfecta.

(1) Heic vides epigrammatis aetatem.

AUGUSTINI VALERII

S. R. E. CARDINALIS VERONAE EPISCOPI

DE COMPARANDA ET TUENDA BONI PRINCIPIS EXISTIMATIONE

AD FRANCISCUM MARIAM RUERIUM URBINI DUCEM (1).

1. Ità se res habet, ut optime nosti, Francisce Maria Urbinatum dux, et innumerabiles qui in amplissima tua bibliotheca sunt libri testantur, infra globum lunae perturbationum et sollicitudinum variarum plena sunt omnia; nihil firmum, nihil solidum, nihil per se vehementer expetendum; fluxa caduca momentanea omnia, vita hominum brevis, calamitatibus exposita variis; singulas aetates plurima circumveniunt incommoda; status itidem hominum diversi, diversis et illis quidem magnis periculis et perturbationibus sunt expositi. Aerumnas suas habet paupertas; divitiae pariunt saepe monstra plurima, incontinentiam, fastum, insolentiam, et bona saepe corrumpunt ingenia. Et principes dum aliis imperant, plurimis privantur vitae solatiis, neque eorum oculi rerum plurimarum varietate, nec aures variis et eruditis multorum sermonibus recreari, nec peregrinationibus rerum usum sibi comparare facile possunt; pretioso etiam thesauro amicitiae carent; dulci veneno adulationis saepe infecti, a perniciosis et domesticis inimicis decipiuntur. Quod argumentum tractat egregie discipulus ille Socratis, Platonis aemulus, Xenophon in quodam dialogo, in quo loquentem facit Simonidem poëtam cum Hierone quo-

(1) Postremum scilicet, quo dominante, Cardinalis noster veronensem ecclesiam regebat.

dam tyranno, et vitam privatorum hominum vitae principum anteponit.

2. Et profecto verissima sunt illa, quae in sacris libris scripta sunt: potestas terrena, baculus arundineus est. Omnis potentatûs brevis vita; hodie rex est, cras morietur; deiecisti eos, dum adlevarentur. Et illa etiam, quae sancti doctores scripserunt: quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Sicut in exercitu hostes visibiles ducem exercitus capere vel occidere conantur, eo quod ipso capto vel occiso exercitus dispergatur; sic hostes invisibiles eum, qui praeest, maxime persequi. Et facile esse in alto existentem obstupescere, et de vita periclitari; ut Ionathas in excelsis occisus est, et inclyti super montes interfecti sunt. Accidere saepe, ut quispiam dominetur in malum tuum. Facultatem etiam saepe auferri dominandi sibi ipsi, ut principibus plerumque non sit tempus cogitandi de se, et agendi ea quae ad salutem suam pertinent. Quae omnia huc spectant, ut minime adpetendum principatum sana ingenia intelligant; illis, qui imperant, minime invidendum, pro ipsis orandum potius, statuant. Vocantur quidem ad regendos alios, itaque a natura videntur esse formati, ut curam ceterorum habeant: et quo magis omnem curam suam, studium, et diligentiam ad aliorum utilitatem referant, eo praestantiores principes existimentur.

3. Dandamque esse operam principibus, ut boni principes habeantur, prudentes viri existimant. Nam plurimi sane faciendus est honor, cum sit testimonium virtutis et rectae conscientiae iudicium; de quo cum agitur, maximis etiam periculis praeclaro ingenio viri seipsos solent exponere; et idcirco detractores, qui alicuius famam minuunt, homicidis similes non defue-

runt qui scripserint : negligentes autem honorem, crudeles sunt nominati. Qua de re Sapiens protulit illa verba : melius esse nomen bonum, quuam divitias multas. Principes existimationem bonam negligentes, et sola dominandi dulcedine et splendidis titulis contenti, ut plane insanientes vituperandi sunt maxime, cum hac ratione in plurimorum invidiam incidant, palam saepe vituperentur, et contemnantur a quam plurimis, quod potentissimis etiam regibus molestissimum solet contingere. Non negligendae sunt igitur principibus opiniones hominum, nationum etiam externarum. Porro lubrica admodum res est dominatio ; potestate enim deteriores plurimi fiunt; plerique, superbi, incontinentes, in ipso principatu evaserunt : superbum enim animal homo interdum fit intolerabile, cum potest quod libet. Verum in hac communi quotidianaque vita, et in hac humani generis societate, quemadmodum facultates animi et sensus ipsi rationi obtemperant ; ita aut pluribus aut uni legitimam potestatem habenti pareant ceteri necesse est. Haec ipsa facultas sive ars gubernandi ceteros, praestantissima est et maxime laudanda, cum sit etiam plena industriae et laboris et multiplicis utilitatis, et alat virtutes quam plurimas.

4. Viri eruditione varia et usu rerum edocti, et qui res civiles libenter tractant, saepe disputant, qua ratione qui ceteris praeest rex aut princeps aliquis christianus, existimationem sibi queat comparare, illamque tueri ; et quaestionem nobilissimam et maximi momenti non satis videntur explicare. In quam sententiam cum non pauca mihi dixisses superioribus diebus, cum Roma Veronam redii ad castissimos amplexus sponsae meae; hac ipsa de re aestivis hisce diebus, ut tibi satisfacerem, horis subsecivis scribendum omnino aliquid cen-

sui iure hospitii; exceptus enim sum quater, quinquies etiam, humanissime et honorificentissime abs te in variis itineribus meis, tum ad Urbem proficiscens, tum etiam ab Urbe rediens; exceptus etiam ante quam sacris initiarer, dum Guidobaldus pater tuus venetos legatos ad obedientiam Paulo ·IIII· summo Pontifici praestandam euntes, pro hereditaria sua erga rem publicam venetam benivolentia, regio apparatu excepisset. Erat in ea legatione Bernardus Navagerius avunculus meus, qui deinde fuit Cardinalis. Multiplex et excellens eruditio tua, admirabilis quaedam humanitas, qua omnes, qui ad te veniunt, in amorem tui trahis, praecipuum in primis studium et benivolentia quam in me ostendisti, faciunt ut nihil tibi denegare possim, obsequar potius tibi in re tam honesta. Et quamquam notissima erunt, quae a me in hoc libello colligi poterunt ad huiusmodi quaestionem explicandam, ratum tamen erit mihi obsecutum esse optimo principi et mei amantissimo. Tu vero non delectari non poteris meo hoc obsequio, et hac mea scriptione, quam non dedecere aetatem meam senilem, et episcopale et cardinalitium officium, quo fungor, quispiam putaverit; cum maxime sint iuvandi principes pro communi christianae rei publicae bono, non solum precibus, sed hortationibus, scriptionibus etiam: qui si dant specimem virtutum, ut sane tu praebes, rationibus omnibus confirmandi sunt; si monitionibus indigent, moncantur et ipsi.

5. Orationes extant multae ab egregiis philosophis scriptae ad reges et principes, Isocratis, Plutarchi, Plinii, et aliorum. Fuit et a Xenophonte delineatus, depicta forma regis optimi sub nomine Cyri. Et a Platone et ab Aristotele multa tradita sunt ad in-

structionem regum pertinentia. In libris regum optimi regis forma expressa est. Et sanctus Ambrosius Theodosium laudans in funere, optimi principis partes explicat luculenter. Doctissimus etiam et sanctissimus vir Thomas aquinas de regimine principum scribens, ea complexus est, quae ad optimum principem constituendum spectant; quibus existimationem, qui ceteris imperant, consequi apud omnes possint, illamque tueantur et augeant. Idem etiam argumentum tractavit egregie doctissimus vir Aegidius Cardinalis ad Philippum Francorum regem scribens volumen satis magnum et eruditum valde. Quamobrem putabit fortasse quispiam supervacaneum esse quaestionem propositam tractare, cum illis in libris, quos commemoravi, contineantur omnia quibus quaestio huiusmodi explicari queat. Sed breviter et dilucide difficillimis hisce temporibus de comparanda et tuenda existimatione ad usum principum scribere, neque inutile neque iniucundum futurum est; cum non suppetat tempus, principibus praesertim, longos libros evolvere, et ea excerpere, quae ad quaestionem satis nobilem tractandam pertinent.

6. Verum enimvero haec est comparandae et tuendae principibus existimationis ratio (ut dilucidae brevitati studentes, paucis multa complectamur) si socraticam illam sententiam notam habeant, et ad usum revocent, nimirum ut ii sint, qui haberi cupiunt: nemo enim non cupit haberi iustus, verax, rectus, et beneficus, et virtutibus omnibus praestans; cum nihil sit virtute amabilius in omni aetate, et in omni genere hominum virtus auctoritatem pariat, eamque tueatur. Iustitia illa in primis universalis, quae omnem virtutem complectitur, quae unicuique tribuit quod suum est,

in primis principi et bonarum omnium rerum auctori Deo cultum exhibet. Illa etiam sollemnia, nihil esse tam populare, quam bonitatem, ad hunc locum pertinent, ut bonitas ipsa sufficiat ad existimationem comparandam principi, atque etiam conservandam; quae in hoc sita est, ut princeps neque sibi, neque aliis noceat. Mirandum in modum sibi nocere solent, qui aliis dominantur, fastu, incontinentia, et peccatis aliis quam plurimis, quibus iura plerumque pervertunt, et sibi ipsis et aliis valde obsunt. Bonitatis nomine charitas continetur, mater et regina virtutum, virtus Deo acceptissima, qua homines praesertim principes Deum imitantur, et Dii quodammodo per quandam participationem efficiuntur. Haec etiam est compendiaria ratio tuendae existimationis, si principes patres se esse illorum, quibus praesunt intelligant, eisque paterna viscera expandant, si pastoris officia praestent, si omnia sua studia ad aliorum utilitatem, non ad suam referant; Deum imitentur, et qua ratione caeli et terrae rex ille gubernatione sua generi humano consulit, consulant ipsi subditis suis; si putent se esse in populo suo, ut est anima in corpore; si humana despiciant; si caelestia cogitent, si adulationem et omnes laudes respuant, si optimorum et doctorum virorum consuetudine delectentur, si verbum Dei libenter audiant, sanctissimis sacramentis poenitentiae et eucharistiae se muniant, catholicae fidei et sanctae Sedis filios et defensores acerrimos se ostendant; gloriam Dei semper ante oculos habeant: hoc semper cogitantes, ut a ditione sua et a populis, quibus praesunt, iniquitatem auferant; virtuti faventes, oppressis et miseris subvenientes; suo aspectu, verbis etiam suis ad se venientes consolantes, scelerum vindices, interdum

etiam clementes, summam eis divinitus traditam potestatem morum lenitate temperantes.

7. Paucis hisce capitibus quaestio illa tota, quae proposita est, ni fallor, explicabitur facile, et sophismata illorum, qui alia ratione instituendos esse principes putant, diluentur. Sophistica sunt illa, ne dicam tyrannica: modo quis habeatur bonus, quid, refert, sit, nec ne, praesertim si ceteris imperet? simulandum esse principi, violandum esse ius, imperandi causa; ad usum illud revocandum, oderint dum metuant; nihil esse dominatione suavius; beatos esse omnes, qui rebus cupitis potiuntur, quibuslibet voluptatibus diffluentes. Huiusmodi hominum funesti fuerunt exitus, et vita plane miserabilis, ut plenae sunt historiae de malis imperatoribus Nerone, Caligula, Domitiano, de non bonis principibus multis quorum nominibus parcendum esse censemus. Audiuntur de bonis principibus, qui paterna viscera populo suo expandunt; qui calamitosis temporibus, in annonae caritate, populi inopiam sublevant; qui aerario suo non parcunt, calamitatibus populi ut subveniant; qui bonis institutis provident ut nemini fiat iniuria, cum iustitia clementiam iungunt, querelas singulorum libenter audiunt; audiuntur voces: Dominus principem paterno amore nos complectentem conservet diutissime! Et hae voces proferuntur, si quemadmodum Homerus de Agamemnone scribens populorum pastorem illum appellat, pastoris officia praestet erga populum, hoc est si populum suum noscat, custodiat et defendat. In cognoscendis illis, quibus princeps praeest, agnoscatur diligentia; in illis custodiendis prudentia et charitas, in defendendis fortitudo animi et pecuniarum contemptus.

8. Putaverim igitur paucis quaestioni propositae re-

sponsum esse: ad existimationem comparandam atque etiam conservandam sufficere principi, si pastoris munere fungatur. Quae nomina dulcia pastoris et patris maxime pertinent ad episcopos pastores animarum, atque etiam accommodantur ad principes, quos honorum omnium distributor Deus ad principatum delegit, ut ipsi servientes populorum commodis consulerent. Et idcirco principem bonum, Dei donum maximum sapientes viri putaverunt; ut principem malum, suis commodis omnia definientem, calamitatem maximam, et poenam scelerum plurimorum divinitus inflictam, pii viri existimaverunt. Et ob id illa verba leguntur: permittere dominum Deum, ut regnet hypocrita, propter peccata populi. Vera et magnifica sunt illa verba, quae sanctissimus et doctissimus vir Thomas aquinas in libris de regimine principum, quos antea commemoravimus, scripsit: optimum principem illum esse populorum amore et laudibus dignum, qui ea, quam Deus praestat in mundo gubernatione, praest ipse populis suis; illuminat Deus mundum, purgat, nutrit, fovet, tuetur iuvat, assiduis et perpetuis beneficiis consolatur; ita princeps bonus episcopis et concionatoribus favens, populos suos illuminat salutari doctrina, praedicatione perpetua verbi Dei ad sanctam catholicam fidem retinendam et propagandam, instructionibus plurimis, vitae in primis exemplo laudabili; purgat iustitia, in castissimis sponsi Christi complexibus suos subditos retinens; scelestas omnes novitates a sua ditione avertens; facinorosos homines puniens, et bonos viros honoribus debitis afficiens, vilitatis annonae studiosus, artibus variis inopes homines sublevans, calamitosis etiam annis nutriens; industrios homines, pauperes in primis fovens, ne deiiciant ani-

mum, illosque praesidiis suis ab iniuriis vicinorum et insolentium defendens fortitudine animi, consilio suo, sua pecunia, et rationibus omnibus.

9. Et quemadmodum Deus non solum defendit orbem a Satanae insidiis, quae ipsi semper exstruuntur, sed illum etiam innumerabilibus et quotidianis afficit beneficiis, ita etiam bonus princeps a facinorosorum hominum fraudibus et insultibus populos suos tuetur, in illos etiam beneficia confert; ita ut de principe vere illud dici queat: homo homini Deus, princeps populis suis veluti Deus. Anima est vitae principium, ab ipsa motus in homine, et omnes humanae actiones proficiscuntur, dirigit gressus; et praecipua eius pars, nempe ratio, facultates concupiscibilem et irascibilem temperat; sensibus imperans, est veluti auriga, a quo cursus vitae dirigitur. Haec boni principis sunt munera, populorum actiones moderari, aliquorum coërcere, iracundiam comprimere, viam pacis et salutis ostendere. Iustitiam exercens et charitatem suam in populos, res humanas despiciens, inanem in primis gloriam, magnam apud homines existimationem consequitur, qui ceteris imperat, et res humanas contemnit: quo contemptu nihil esse excelsius sapientes viri putaverunt; et cadere in bonum principem, ad illamque egregiam virtutem, quae dicitur magnanimitas, referri, nemo dubitaverit. Pecuniae contemptus mirabiliter principibus animos conciliat; et celsitudo quaedam animi, quae in aura populari spernenda, et adulationibus dignoscendis et deprimendis cernitur, dulce venenum fugiens, solidam virtutem amplectitur. Vir caelestia cogitans, in sacris libris versans, meditationi deditus, saepe cum Deo loquitur, consilio divino adiutus creditur, in magna apud populos est existimatione, ut piis mul-

tis et optimis principibus accidit; ita ut nihil tam commendet principem apud homines, quam immaculata religio, quam fides incorrupta in hanc sanctam catholicam Sedem; sine quo studio catholicae fidei conservandae, et haeresum profligandarum, nullus princeps solidam laudem consequitur; quod maiores tui optimi et invictissimi duces noverunt omnes. Tu domesticarum avitae et paternae pietatis heres, religionis studio valde excellis. Sed de tuis laudibus scribere non est propositum.

10. Et bellum magnam existimationem affert principi, si in ducendo exercitu fortitudinis specimen exhibeat, si in expugnandis civitatibus pericula maxima subeat, si labores perferat omnes, si gloriam Dei propositam habeat, si iustam defendens causam, pecuniam negligat, servans fidem, mortem ipsam contemnens, ne quid indignum principe faciat unquam. De militari disciplina, de strategematibus, de virtutibus imperatoriis, pleni sunt libri; omnia praecepta ad bellicam gloriam comparandam notiora sunt tibi, quam non solum a me, sed a quopiam explicari queant. Res a Caesare, a Pompeio, ab Hannibale, ab Alexandro gestas, quas Plutarchus commemorat, et egregii historici tradiderunt; illa etiam, quae de insignibus viris imperatoribus, praesertim de avo tuo, cuius nomen et virtutes refers, nostri temporis historici tradiderunt. Et res bellica existimationis comparandae documenta continet, in quibus magnam partem habet rei opportunitas, vel occasio, quae fortunae usitato loquendi more tribuuntur; ut praeter rei militaris scientiam, animi fortitudinem, et singularem prudentiam, felicitas quaedam, fortuna quaedam prospera requiratur; quam fortunam inane nomen nos esse dicimus, regis regum et summi im-

peratoris Dei subsidium. Et imperatoriam functionem et bellicam gloriam lubricam valde, et variis periculis expositam, nemo dubitarit, quam aemulatio, invidia potius, detractio, et rerum humanarum inconstantia minuit, saepe etiam obscurat; ut saepe accidat, ut illi ipsi principes, pro quorum commodis neci vitam exposuerunt suam, post maxima accepta beneficia vituperent illos, qui maxime ab ipsis essent laudandi; quamquam veritas, quae filia temporis non immerito est nuncupata, plerumque tandem vincat, et egregiam virtutem posteritas agnoscat et amplectatur.

11. Principes, qui aut corporis valetudine impediti, aut regendis populis suae fidei creditis occupati, bellis non interfuerunt, domi subditis suis rationibus variis consulentes, laudandi et ipsi sunt valde; solidiorem consequuntur laudem, quo minus se laudis avidos ostendunt; diliguntur, si diligi student magis, quam metui; si domesticam unius aut paucorum tyrannidem fugiunt; si piis et modestis favent; si horas dici recte dividunt; si otium fugiunt. Aliter plerique sentiunt, qui nihil tam alienum a principe putant, quam variam multorum librorum lectionem; quasi vero doctrina varia, et historiarum in primis cognitio principibus obsit; et Cicero, Hortensius, et quam plurimi alii, quia libris delectabantur, magistratus gerere amplissimos nequiverint; Caesar etiam exercitus ducere, victoriis potiri plurimis, commentarios egregios scribere non potuerit. Putant etiam alienum esse a principe, mortem et novissima omnium meditari; quandoquidem meditationem illam putant tristitiam parere, et principes rebus gerendis minus idoneos efficere. Sed aliter sese res habet: nam solida philosophia meditatio mortis est, insolentiae et contumeliae expultrix,

prudentiae socia, contemplationis nutrix, et virtutum plurimarum magistra; in qua qui non interdum versantur principes, plerumque insaniunt.

12. Fuerunt, et fortasse nunc etiam vivunt, homines eruditi, qui praecepta plurima tradiderunt de re publica, de unius etiam dominatione, acuta valde et exemplis ex historiis desumptis illustrata plurimis, quos libros te legisse, certo scio. Praeclara sunt, quae attulerunt veteres philosophi, Xenophon et Aristoteles, paucis multa complectentia documenta. Ea etiam quae de Davide, Moyse, Iosue, Iosepho scripta sunt, non minimam ad quaestionem, quam proposuimus tractandam, utilitatem afferent: magnam enim viri illi auctoritatem apud populos, quibus praecerant, sibi compararunt et retinuerunt, prudentia, iustitia, mansuetudine, liberalitate, tolerantia, longanimitate, beneficentia, et virtutibus aliis, quae amabiles principes efficiunt. Hanc disciplinam regendi, Dei donum magnum putaverim; quam assiduis precibus, frequentia sacramentorum, lectione bonorum librorum nutriri, et consuetudine piorum virorum, et historiarum cognitione, usu compertum est; fastu vero, voluptatibus variis, adulationibus, et perversis quibusdam regulis corrumpi, nemo non potuit observare. Nicolai Malclavelli, et hominum huiusmodi, utilitate omnia metientium, libri, qui humilitatem, abiectionem animi; calliditatem, prudentiam; crudelitatem, iustitiam; insolentiam, magnanimitatem; fastum, decorum nominant; qui dissimulationibus perpetuis fallunt, suspicionibus plurimis sana consilia corrumpunt, veritatis osores, fallaces, religionem contemnentes, ministri Satanae, orbis christiani rem publicam confundentes, nunquam legendi sunt; veluti venena principibus sunt fugiendi, ut sanctae ministris

ecclesiae rescripto cautum est. Viros simplices et rectos et timentes Deum perversi scriptores irrident; et praeceptis huiusmodi imbuti principes nullam unquam existimationem apud bonos consequentur.

13. De Iob Moabitarum rege verba illa scripta sunt: erat vir simplex et rectus et timens Deum, recedens a malo. Virtus regia, et digna principe est simplicitas, rectitudo, et timor Dei. Simplicitas illa, quae omnem dolum excludit. Et rectitudo mentis ostenditur, cum omnes cogitationes, actiones itidem singulae, in Deum referuntur. Ille autem timet Deum, qui nihil praetermittit facere, quod Deus praecipit; cuius timoris proprietas est, nihil negligere, quod ad communem omnium utilitatem, et ad gloriam Dei pertinet. Et verba ex hebraeo de Iob transferentes septuaginta interpretes haec sunt, quae adhuc virtutes, quae in principibus requiruntur, magis exprimunt; verba autem sunt huiusmodi: erat Iob homo verus, irreprehensibilis, iustus, pius, abstinens ab omni re mala; quae graeci scriptores interpretantur, sancti in primis Basilius, et Chrysostomus: sunt sane quidam homines, qui non sunt veri homines, cum more pecudum vivant et ratione minime nitantur; ad quos pertinent illa verba: homo cum in honore esset, non intellexit, et comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis. Hoc ipsum iudicaverat philosophus ille, qui se hominem non reperire dictitabat. Irreprehensibilis ille dicitur, qui peccato mortali minime contaminatus reprehendi non potest; iustus est, ut ante indicavimus, qui ea virtute est praeditus, quae ceteras virtutes complectitur omnes, qui debitum cultum Deo tribuit quo ad exteriora et interiora, et ab omni re mala abstinet. Porro autem hi possunt elici

loci: simplicitas cordis, quae (ut sanctus scribit Augustinus) est idem quod munditia; omnis autem rectitudo et timor Dei existimationem parit principibus, partamque tuetur. Qui verus est homo, nobilissimo nomine dignus, irreprehensibilis, iustus, pius et recedens ab omni malo, is in ore hominum versatur, diligitur, celebratur ab omnibus. Hanc ipsam disciplinam non noverunt, qui adulterinas falsae prudentiae regulas sectantur.

14. In libro Sapientiae scripta sunt statim a principio verba haec: sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab iis, qui non tentant illum; apparet autem iis, qui fidem habent in illum. Haec dicta sunt a Spiritu sancto iudicantibus terram, hoc est principibus. Sed utinam inter illos, qui rerum potiuntur, non sint multi, qui falsos Deos sibi confingant! cum summum et ultimum bonum in rebus caducis atque terrenis ponant; de Deo non sentiant in bonitate, cum non agnoscant illum patrem, et bonorum omnium largitorem; cum fato et fortunae omnia bona, quae consequuntur, tribuant. Sentiunt de Deo in bonitate illi, qui divinae providentiae se facile accommodant, et divina iudicia venerantur, et quaerunt Deum in simplicitate cordis; qui omnia consilia sua, omnes actiones suas dirigunt in illum absque ullo fuco, absque ullis fallaciis. Et huiusmodi principes existimationem sibi conciliant, atque etiam tuentur, si parentes Spiritui sancto non tentant Deum: quod plerique facere solent, dum sibi persuadent, sine labore, sine industria suo fungi munere; et otio indulgentes, voluptatibus variis diffluentes existimationem sibi comparare posse arbitrantur. Quibus rebus sen-

tire te de Deo in bonitate ostendis? Cum sine liberis hilaritatem etiam animi retineas; et adversa utens valetudine, gaudeas in Domino, et ei gratias agas, et sine intermissione ores, apostolicis verbis obtemperans.

15. Verum caput illud sextum a Spiritu sancto in loco Sapientiae dictatum ad usum regum et principum, inserendum huic libro existimo; continet enim praeclarissima documenta, et est vehemens quaedam hortatio ad virtutem principibus necessarias capessendas. Melior est, inquit, sapientia, quam vires; et vir prudens, quam fortis. Audite ergo reges et intelligite; discite iudices finium terrae; praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam. Quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis.

16. Et verba illa, quae in capitulo decimo Ecclesiastici leguntur, ad eamdem rem maxime pertinent; boni enim principis proprietates ibi explicantur, quibus et comparatur auctoritas, et gratia apud omnes, atque etiam conservatur. Iudex sapiens iudicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem po-

puli ; sic et ministri eius ; qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum, et civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. At verba Isaiae prophetae magis adhuc exprimunt, quod quaerimus : qui ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem ; qui proiicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere ; qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem ; et claudit oculos suos, ne videat malum ; iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius. Haec, quae scribimus, prudentes huius saeculi prudentiores filiis lucis non magni facienda putabunt, contemnenda potius imprudenter, ne dicam impie ; nullus enim est magister, qui cum optimo magistro Spiritu sancto sit conferendus ; nullam sententiam excogitare potuerunt philosophi tam gravem, quae cum sententiis, quae in sacris libris continentur, queat comparari ; sanctus magister fictos fugit discipulos. Tu, princeps Dei, qui in magnis etiam occupationibus, quas affert populorum multorum gubernatio, sacrae theologiae optimo exemplo das operam, cognosces ea, quae scripsi esse verissima ; observabis tu multo plura.

17. Compendiariam felicitatis consequendae et existimationis comparandae rationem sanctus tradit Augustinus in libro V. de civitate Dei his verbis: neque enim nos christianos imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperatores filios morte placida reliquerunt, vel hostes rei publicae domuerunt, vel inimicos cives adversus se insurgentes et cavere et opprimere potuerunt: haec enim et alia vitae huius aerumnosae vel munera vel solatia quidam etiam cultores daemonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti ; et hoc ipsius miseri-

cordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt; si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicantur, facile ignoscunt; si eamdem vindictam pro necessitate regendae tuendaeque rei publicae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt; si eamdem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiae lenitate, et beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si maluut cupiditatibus pravis, quam quibuslibet gentibus imperare; et si haec omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriae, sed propter charitatem felicitatis aeternae; si pro suis peccatis, humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales christianos imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod exposcimus advenerit.

18. Eamdemque methodum, et quasi artem comparandae existimationis sanctus docet Ambrosius libro, quem de obitu Theodosii scripsit, verbis illis: dilexi virum misericordem, humilem in imperio, corde puro et pectore mansueto praeditum, qualem Dominus amare consuevit, dicens: super quem requiescam, nisi super humilem et quietum? Dilexi virum, qui magis arguentem, quam adulantem probaret: stravit omne,

quo utebatur, insigne regium; deflevit in ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu et lacrimis oravit veniam: quod privati erubescunt, non erubuit imperator, publice agere paenitentiam; neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Dilexi virum, qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi virum, qui cum iam corpore solveretur, magis de statu ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur.

19. Accipe, italorum principum decus, qui vitae innocentiam cum doctrina multiplici et excellenti coniungis; qui unice ab illis, quibus praees, diligeris; qui in huius vitae periculoso certamine vexillum Christi sequens, ad caelestem patriam contendis; non satis aliquando firma utens valetudine, animi constantiam et cordis laetitiam retinens, huiusmodi corporis incommoda, dona Dei, ut sanctus faciebat Gregorius, existimans; dona illa putans, non flagella, quia non sinunt ea, quae in hoc mundo tibi sunt largita divinitus, nimis placere. Perge, princeps Dei, fave virtuti, ut facis: doctos viros, et bonos testimoniis et beneficiis tuis orna; bibliothecis tuis nobilissimis fruere; cum sanctissimis et doctissimis principibus, qui monumenta ingeniorum suorum reliquerunt, ut frequenter soles, versare; cum Deo perge ambulare. Cum per occupationes multas meas licuerit, expecta ut libellum de principum comparanda et tuenda existimatione inchoatum non perfectum, delineatum non debitis coloribus expressum, mittam ad te. Hanc ipsam delineationem veteri in hospitio meo ad Urbem rediens, mense novembri, patrueli tuo Iuliano Ruerio, iuveni moribus optimis, et eruditione varia praedito dederam, quae tibi mitteretur, indicem amoris mei et magnae in te observantiae.

EIUSDEM

AUGUSTINI VALERII

CARDINALIS ET EPISCOPI

DE CAUTA IMITATIONE SANCTORUM EPISCOPORUM

AD FEDERICUM BORROMAEUM S. R. E. CARDINALEM, ET ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

1. Annum trigesimum primum agens, Cardinalis annorum septem, biennio postquam sacerdotis fungeris munere, ita disponente dignitatum omnium distributore, caeli et terrae domino Deo, creatus es in sacro Cardinalium collegio, testificante beatissimo patre nostro Clemente Christi vicario doctrinam et illustres tuas virtutes, et approbantibus Cardinalibus omnibus, archiepiscopus mediolanensis (1). Episcopalis honor et sublimitas (ut sanctus, cui mille amplius post annos succedis, scribit Ambrosius) nullis potest comparationibus adaequari. Mediolanum tanta est civitas, tamque insignis, ut nulla totius Italiae civitate inferior habeatur. Tantum onus, provinciam tam duram, recusasti quidem quantum potuisti; gravissimum periculum studuisti fugere, quantum licuit. Quid agam ego, cum te archiepiscopum factum vidam? Gaudeam? Gaudendum esse non arbitror laboribus et periculis ma-

(1) Cum edidi aliud egregium Aug. Valerii opusculum in sexto volumine Script. vet., dixi in scholio pag. ult. natum esse Federicum Borromaeum anno 1564, creatum autem Cardinalem anno 1587. Nunc quia apparet, scriptam esse hanc alteram lucubrationem anno Federici XXXI, cum archiepiscopus est electus; sequitur ut ea ad annum Christi 1595. referenda sit.

ximis, quibus te quem unice diligo expositum intelligo, ob quam praecipue causam gratulationi nullum esse locum video. Nec dolendum esse intelligo, ne mei quidem causa, qui non possum non vehementer affici, cum cogitem sermonibus nostris, et tua iucundissima consuetudine me cariturum. Sed quia pro certo habeo te dolere, condoleo tibi, ut sanctissimus vir Bernardus, cum ad summum pontificatum Eugenius tertius esset evectus, condoluit. Ipse cum tibi condoleo, singulari meo in te amori videor satisfacere; quem amorem meum cogitavi diu; qua ratione tibi etiam archiepiscopo declararem. De boni pastoris munere supervacaneum mihi videbatur aliquid scribere. Legisti sancti Gregorii nazianzeni librum apologeticum inscriptum; libros sex sancti Iohannis chrysostomi de sacerdotio; Gregorii magni insigne illud opus pastorale inscriptum; sanctorum Ambrosii, Augustini, Prosperi, et aliorum plurimorum, qui praecepta ad animarum regimen pertinentia tradiderunt. Collegit etiam plurima Carolus patruelis tuus ad munus pastorale pertinentia. Quae si libello illi, qui stimulus pastorum inscribitur ab optimo viro archiepiscopo bracarensi conscriptus, addantur, nihil quicquam desiderari potest ad animarum gubernandarum artem absolvendam.

2. Erant homines nonnulli tui amantissimi, qui in communi bonorum omnium laetitia dolere et maxime timere videbantur, ne (cum sis corpore non satis firmo, ingenio fervidus, assiduis orationibus deditus, castigando corpori assuetus valde, Caroli admirator et praedicator perpetuus; archiepiscopatus iste, tot animarum cura, tot sollicitudines, corporis vires debilitent tuas; ne in grave morbum incidas, et mortem acceleres. Verum non ideo scribam de moderando zelo. Non est

argumentum huiusmodi, ut ab episcopo tractari debeat: non enim minuendus est zelus, nec moderandus, sed augendus nobis, quibus animarum cura iuncta est. Multi potius episcopi suis scriptionibus nos excitaverunt ad zelum augendum, et ad gloriam Dei in dies magis quaerendam. Episcoporum laus est, ut zelo honoris Dei ardeant, et hac in re bonorum omnium auctorem Deum imitentur. Zelum autem Dei sic definitum esse scis, tranquillissimam eius sincerissimamque iustitiam, qua anima falsis opinionibus pravisque cupiditatibus corrupta repudiatur, et a Dei conspectu tamquam adultera removetur. Haec ipsa tranquillissima et sincera iustitia in servis Dei, in pastoribus, in episcopis requiritur maxime, ut scilicet divinae maiestati debitus honor non adimatur; exhibeatur parenti et regi nostro Deo cultus tum exterior sacris caeremoniis, tum multo magis interior fide, spe, charitate; non adulterent animae, non separentur a sponso Christo, blanditiis, voluptatum illecebris, et falsae et adulterinae prudentiae regulis deceptae; nec relicto crucis Christi vexillo, Satanae mancipia efficiantur.

3. Legimus in historiis, in comoediis etiam expressa sunt, et usu ipso comperimus, quae sint indicia illorum, qui vehementer coniuges suas diligunt, et zelotypi nominantur: de coniugibus suis cogitant semper, observant omnia, vel minimos illarum nutus, occasiones removent quibus earum distrahantur aut corrumpantur animi; absentes vero non solum de ipsis cogitant, sed etiam loquuntur; et ut paucis dicam, et poëtae utar versiculo-res est solliciti plena timoris amor -. Quin immo eo sollicitudo maior est, quo amor purior et castior. Haec boni pastoris indicia sunt, cum semper et ipse salutem cogitet animarum fidei suae

creditarum, cum occasiones peccandi illis nitatur praecidere; cum monitionibus, praedicationibus verbi Dei assiduis, synodicis constitutionibus, reprehensionibus, poenis, praemiis conetur efficere, ne fornicentur; ut fidem, qua in sanctissimo baptismatis sacramento Deo coniunctae sunt, servent inviolatam. Hic ipse zelus Spiritus sancti verbis illis exprimitur: zelus domus tuae comedit me. Quae beatissimus pater Augustinus ita explicat: quia quaesivi gloriam tuam in domo tua, quia flagellavi in templo male versantes. Et Moyses, et Phinees, et Elias, et plurimi ante adventum Christi, multi etiam sancti episcopi, huius zeli documenta reliquerunt, ut historiarum pleni sunt libri. Sed quid moror? Audiamus doctorem ecclesiae, populi tui magistrum, Mediolanensium, ut tu es, pastorem. Is explanans psalmum centesimum decimum octavum, inquit haec verba: zelus ad vitam est divina praecepta servare; et amore Domini, eius custodire mandata. Zelum qui habet, omnes inimicos putat, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratrem, sorores. Omnibus dicit, sicut dixit David: inimici facti sunt mihi. Hae nostrae sint inimicitiae, hi tantum sint inimici nostri, qui Dei voluntati adversantur, qui cum Deo videntur pugnare impie. Sed ita sint inimici, ut eorum amicitiam studiose quaeramus, et omnibus rationibus ipsorum emendationem procuremus.

4. Verum quemadmodum virtutum plerumque specie quadam alliciuntur homines et decipiuntur, idem (ut optime nosti) in zelo interdum contingit: nam si iustitia simulata sit, duplex iniustitia a Platone nominatur; calliditas prudentiam imitatur; popularis cuiusdam benivolentiae cupiditate aspersa plerumque liberalitas, terminos egressa, ambitionis faciem induit;

fortitudo vix ab audacia et a temeritate discernitur. Ita accidit, ut qui zelum profitentur, aliquando modum non adhibeant; lenitatis, longanimitatis, et prudentiae oblivisci videantur; atque in illis desiderentur proprietates eae, quas sanctus apostolus de caritate scribens enumerat: charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Si aliqua harum proprietatum desit, nullus pastoralis zelus reperitur: iracundiae, clamores, altercationes, laudabilem hanc pastorum virtutem turbant: et quamquam interdum ira videatur zelus esse, nihilominus tantae virtutis est infida comes.

5. Omnino autem me ad scribendum tibi aliquid, suscepto tanto archiepiscopatus onere, qui te diligunt, hortati sunt; et argumentum fore accommodatum arbitrantur, si de cauta imitatione sanctorum episcoporum scriberem aliquid; si amanter tibi ostenderem, non in omnibus tibi ab initio tui archiepiscopatus imitandum esse servum illum Dei Carolum; cum illa sententia in prudentissimorum hominum ore versetur: facta sanctorum omnia veneranda, sed non semper imitanda; diversas esse temperaturas corporum, ingenia diversa, diversa tempora, non eundem semper modum servari oportere; aliam esse artem restituendae collapsae disciplinae, aliam retinendae et excolendae; rationem aliam gubernandi fuisse antequam concilia provincialia celebrarentur, aliam celebratis conciliis et decretis illis ad usum revocatis. Vigesimum secundum annum agens Carolus, archiepiscopus est factus, cum Pius quartus eius avunculus viveret. Eo vivente, et eius

ab Urbe profectionem non satis probante, Mediolanum se contulit; celebrem synodum habuit provincialem, cum episcopos omnes comprovinciales coëgisset: et sequentibus annis, a sancto concilio tridentino minime recedens, alias habuit synodos. Rem novam in Italia admirari homines, laetari pios viros in ecclesiastica disciplina progressus fieri, provinciales episcopos Mediolanum accedere, ab ipso humaniter et honorifice excipi, hospitalem se praebere, ut decet episcopum, ingenii et doctrinae etiam speciem ostendere. Hoc synodorum provincialium institutum qui non sequitur errat, nec zelum honoris Dei et disciplinae ecclesiasticae conservandae ostendit. Et huiusmodi conciliorum provincialium conventus mirabiles fructus parit: se enim invicem consolantur episcopi, mutuo se docent, remedia sanandae provinciae accommodata in medium afferentes, abusus conantur tollere, vitia extirpare, totam provinciam optimis legibus exornare. Praeterea dioecesanae synodi utiles sunt admodum, in quibus paucorum dierum spatio, uno intuitu parochos, quos in animarum cura adiutores habent, episcopi lustrant. Haec medicorum spiritualium veluti collegia incredibiliter prosunt; ab iis nunquam abest sanctus Spiritus; in illis pastorum maxime elucet zelus, eorumque commendatur industria, praesertim si e superiore loco dicant, et interdum reconditis e sanctis prophetis sumptis sententiis de officio pastorali, de animabus Christo lucrandis, habeant orationem. Interfui ego dioecesanae synodo quam habebat Carolus: sane sermonem, quem habuit ad clerum, sum valde admiratus, et incredibilem ordinem eius in dicendo, et pietatem noverunt omnes qui ibi consederant.

6. Et in assiduis praedicationibus verbi Dei, in ope-

ribus piis excolendis elucet, ut scis, zelus et diligentia pastoris. Porro in quotidianis sacrificiis, in precibus statis horis fundendis, in lectione bonorum librorum etiam in mensa, in audiendis festis diebus sermonibus, cura pastoralis apparebat maxima Caroli, cui post alterum succedis. Haec omnia facillime imitaberis. Quod si dubitarem te non esse facturum, hortarer pluribus verbis, ponderandam tibi esse illam sententiam, vae mihi quoniam tacui; et illam, praedica, argue, increpa, opportune importune; etiam versiculum illum ardentissima illa verba continentem: ego, ait Christus dominus, constitutus sum rex a Deo supra Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius. In medium afferrem ea, quae sacrum concilium tridentinum tradidit, esse praecipuum munus episcopi docere. Et certissimum est lacte matris nutriri melius infantes quam lacte nutricis quamvis sit robustissima. Pascere verbo et exemplo solent boni pastores; verbo tamen aliorum operâ greges pascere possunt; quamquam multo felicius contingit, si utilissimum ac necessarium hoc munus per se unusquisque episcopus frequentius quam fieri potest obeat. Filii dum a patre monentur, illa affectio magnam vim habet: praeter quam quod rerum moderator Deus linguas infantium pastorum facit disertas, et divino beneficio addit animos; naturae etiam impedimenta magna ex parte sustulisse observatur. Ipse enim, ut scis, divinae clementiae hac in re testis esse possum locuples. Noster etiam Carolus, quem admiramur, ad dicendum minime natus videbatur, usu tamen et exercitatione, divino potius Spiritu adiutus, in dicendo sanorum ingeniorum sententia non minimam laudem est consecutus, cum meditata oratione uteretur, locosque afferret in medium praeclaros.

7. Nec vocis exilitatem aut non satis firma latera causetur episcopus, quo minus dicat, ut si in magna concione ab omnibus audiri non possit, illosque instruere, audiatur saltem a paucis ut ipsi erudiantur, ut officio pastorali suo satisfaciat, ut illo ipso affectu omnes qui adsunt delectentur. Speciosa enim admodum et adstantibus grata esse consuevit episcopi concionantis facies. Et beatissimus pater Gregorius cum podagra laboraret, stomachique doloribus affligeretur, concionem interdum habebat, cum vix a minima parte auditorum audiri posset; qua de re in quodam sermone se ipse excusat. Et usitatum esse in ecclesia legimus, ut qui vocem concionantis episcopi audire nequirent ob infirma eius latera, aut ob corporis aegritudinem, scriptis erudirentur: ita ut episcopus qui lingua docere non poterat, doceret propriis scriptis, meditatione adhibita magno iudicio et diligentia expolitis. Spero benignissimi patris Dei auxilio, fore ut hac in parte officio tuo et populo tibi credito consulas, pascas nobilissimum gregem, illumque ad superna perducas pascua. Illa ipsa frequentia catholici populi, numerosus et insignis clerus cathedralis ecclesiae, illa templi amplitudo, sacrum illud theatrum, chorus ille in quo Dei canuntur laudes, augent incredibiliter dicentis industriam. Quod ipse etiam sum expertus, qui episcopus Veronae, semel etiam Cardinalis, e superiore loco (quod mihi semper iucundum et honorificum putabo) in praeclarissima illa ecclesia dixi. Consueverat enim Carolus archiepiscopus diligentissimus ac humanissimus excitare episcoporum ad se venientium industriam et pietatem, enixe illos hortari et rogare ut dicerent aliquid, ut populo suo aliqua documenta ipsi darent; nihil quicquam sibi accidere posse acceptius et iu-

cundius. Qui mos retinendus est maxime; ita tamen ut nemo episcopus hospes vehementioribus verbis, sed potius gravibus et suavibus invitetur et excitetur, ut collegia, seminaria, et alias clericorum congregationes invisat et erudiat. Quod humanitatis et charitatis exemplum retinebis non dubito. Docebat enim tacite Carolus ea ratione. Docebis etiam tu venientes ad te officii causa, aut inter facientes, valde pastorali et suavissima hac ratione.

8. Haec sanctorum episcoporum instituta, a Carolo Mediolani renovata et aucta, nemo bonus episcopus non imitabitur. Neque equidem difficilis est imitatio, cum tamen difficile valde fuerit id praestare quod esset imitandum, eaque instituere quae disciplinam ecclesiasticam renovarent, et in perfectam formam redigerent. Interesse concionibus, divina officia diebus festis celebrare, christianae doctrinae scholas saepe visitare, ad oratorium sancti Sepulchri (1) interdum accedere, gravibus ibi et piis sermonibus illos, qui eum locum frequentant, consolari; genialibus diebus in quibus videtur insultare Satanas, musicis canticis, et ecclesiastica harmonia allicere populum, et artes Satanae quasi eludere ac frangere; haec sunt munera vere episcopalia; in his imitandus est optimus archiepiscopus Carolus, et imitandum est eius assiduum in orationibus studium; nec non imitandum domesticum illud oratorium vespertinum, in quo memini eodem die, quo haec scribo, nimirum kalendis maii, anno salutis nostare millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, praesente Cardinali, primum me habuisse sermonem, cui interfuerunt pii multi viri ex illis etiam qui nondum

(1) Est haec Mediolani sacra aedes, apud quam Card. Federicus celeberrimam postea condidit bibliothecam ambrosianam.

sacris initiati fuerant, inter quos erat Augustinus Cusanus, qui nunc collega noster sacrum Cardinalium ornat collegium. Praeterea orationem quadraginta horarum saepe indicere, utile admodum et salutare est populis; praesertim si sermonibus brevibus et fere iaculatoriis inflammentur.

9. Et quoniam oportet plerumque concionatores, aut clericos, qui cum pastoribus vivunt, ut excitentur, laudare; hac in re servandum esse modum; nam adhibenda est laus tamquam medicina pusillis animis, et velut praemium humilibus; ut etiam in accipiendis laudibus moderatio quaedam adhibenda est. Qua de re libet ea, quae sanctus Augustinus eleganter scripta reliquit in homilia de anniversario episcopalis ordinationis, hoc loco inserere. A male viventibus, inquit, nolo et detestor laudari; laudari autem a bene viventibus, si dicam nolo, mentior; si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior quam soliditatis. Quid ergo dicam? Nec plene volo, nec plene nolo: non plene volo in laude humana periclitari; non plene nolo, ne ingrati sint, quibus praedico. Haec Augustinus. At beatissimus ille pater sanctus Franciscus laudes nuncupabat flagella; ut quemadmodum propter charitatem flagella toleranda sunt, ita ferantur laudes; atque dum quispiam laudatur, haec secum ipse suspirans loquatur: non sunt tibi nota, bone vir, quae in me vituperanda sunt. Quem modum adhibere solitum fuisse Carolum observavi, dum ad ipsum libri scriberentur, aut sermones audiret clericorum.

10. Verum enimvero illud quod mihi erat propositum, vix tractare adgressus videor praeclarum argumentum, et tibi, Cardinalis optime, ut arbitror pernecessarium. Nimirum caute admodum sanctorum

virorum, et praesertim episcoporum facta esse imitanda. Mirus enim variarum et salutarium inspirationum artifex est Spiritus sanctus, et viae, quibus ad caelum animae ascendunt, variae sunt et inter se diversae; quam sententiam libro primo de civitate Dei sanctus attigit Augustinus his verbis: non omnia quae bene facta sunt a sanctis, ab aliis indifferenter facienda; ut quia Abraham obtulit filium ad necem, quilibet pater possit suum sacrificare filium. Quia Pelagia cum matre et sororibus, ut scribit sanctus Ambrosius (1), praecipitem se dedit in flumen ne a persequente milite violaretur; et Sophronia, ut refert Eusebius (2), se occidit, ne vim a Maxentio Caesare pateretur, ideo possim ego me praecipitare aut occidere. Nec quia sanctus Gregorius nazianzenus illis verbis utens, cum Byzantii in invidiam hominum incidisset: vale cathedra, sublimitas invidiae, et periculo obnoxia, nisi magna cum cautione est imitandus; cum alii praestantes episcopi in functione sui pastoralis muneris sanguinem etiam profuderint. Nec defuerunt qui cum in eremis et monasteriis degissent, facti episcopi in tota vita parcissimo cibo utentes, perpetuis ieiuniis carnem castigantes, vitam tamen satis longam produxerunt; ut sanctus Gregorius nazianzenus, et alii praesertim graeci. Et huiusmodi cautio eo magis adhibenda est, quia plerique alii sancti episcopi, atque etiam pontifices summi, tempori servientes, lucrandis animabus intenti, ad copiosiorem vitam sese accommodaverunt. Ad quem locum videntur illa verba pertinere: alius sic, alius autem sic. Et modo letalia peccata, tamquam pestifera venena fugiantur, et populi erudiantur verbo et exem-

(1) De virgin. lib. III. cap. 7.
(2) Hist. eccl. VIII. 14.

plo, non esse semper elaborandum vehementer episcopis ut corporis castigationis et asperrimae paenitentiae documenta dent. Nam celeberrimum illum episcopum, qui, ut captivos redimeret, se ipse vendidit, quis audeat imitari?

11. Omittamus longe petita exempla, in historiis enim reperiuntur innumerabilia; ad Carolum tuum, immo potius nostrum, animum intendamus. Quis non satis firmo corpore perpetuos eius labores sine cautione audeat imitari? eius pernoctationes, illam somni quasi fugam, illam quadraginta sermonum et quadraginta horarum sine cibo, sine potu, sine somno tolerantiam ac perseverantiam, illos cum peste infectis hominibus quotidianos congressus? In quibus, inquies, consistit haec cautio adhibenda in domesticarum illustrium virtutum imitatione? In his, ut vires corporibus diversas esse consideres; acres minime valentibus corporibus non esse necessarias medicinas; quippe si corporibus imbecillis alieno tempore acria medicamenta adhibeantur, perire ea consuevisse; leniora, esse tutiora; laudari solitos medicos illos qui morbos brevi, tuto, et suaviter sanent. In hoc spiritualis medici, hoc est episcopi, maximum esse ponendum studium. Quamquam haec curandi ratio semper fuit difficilis, his vero difficillimis temporibus est etiam difficillima. Nec illud facile praestari potest, ut suaviter dentur et accipiantur medicinae, cum saepe facilitas et indulgentia enervet disciplinam, gregem corrumpat; ita ut severior gubernatio videatur plerisque longe tutior. Meminisse autem saepe oportet, episcopos esse quidem medicos, nominari autem potissimum patres, cui dulcissimo nomini lenitas et mansuetudo convenit. Studium illud vehemens iustitiae, quod initio sui archiepiscopatus adhibuit Carolus, dum Nicolaus

Ormanetus, qui aliquot post annos episcopus fuit patavinus, vicarii munere fungeretur, hoc tempore non videtur valde necessarium: modo caveatur, ne indulgentiâ deterior fiat clerus, et ut optimae serventur consuetudines, et synodi cum provinciales tum dioecesanae. In puniendis parochis et clericis, ut exemplo deterreantur, cognosces, ut spero, tibi vehementer non esse laborandum; et cautionem in Caroli studio iustitiae imitando, non esse admodum necessariam.

12. Nec contra turbatores ecclesiasticae iurisdictionis, ut opinor, tibi opus erit insurgere, et iis armis uti, quibus sapienter et fortiter usus est Carolus, cum catholici Regis eximia sit pietas et studium tuendae religionis et huius sanctae Sedis apostolicae auctoritatis. Ille etiam qui tantam civitatem tanti Regis iussu gubernat, et senatus ille mediolanensis, nihil aget quod canonibus ecclesiasticis adversetur, et quod animum tuum possit laedere. Quod si aliqua oriatur controversia, servandum illud est praeceptum, ne quid nimis; et illud, festinandum lente; et regula illa prudentium magnam vim habens, maxima maxima, mediocria mediocria, minima minima putare. Quae sunt maxima, dices? Prohibere, ne haeresibus contaminetur populus; ne publicis concubinariis et adulteris corrumpatur civitas; ne a potentibus violentur pauperes; ne clerici turpiter serviant laicis, a quibus eorum incontinentia et petulantia foveantur; ut in sanctimonialium monasteriis castitas excolatur; ut graviter, qui illa violare audent, puniantur; ut a catholicis et doctis concionatoribus civitas doceatur. Pro his moribus, et salutaribus necessariisque institutis, sanguis etiam ipse fundendus est. Si autem inter ministros fori aliquae lites suboriantur, quod, ut spero, perraro continget, mode-

ratione animi, adhibita tamen diligentia, ius retineatur ecclesiasticum. At si ecclesiae armis, nimirum censuris, opus esse videatur, laudarem de toto negotio antea Christi vicarius romanus Pontifex certior fieret, ut facere solitum audivimus illum, quem saepe nominamus, Carolum in negotiis tractandis diligentissimum archiepiscopum.

13. Minima etiam quae putantur, quae commemorare non est necesse, negligenda non sunt, sed accurate potius tractanda, cum scriptum sit apud Salomonem: timentem Deum nihil negligere, et minima etiam errata observare et corrigere. Cavendum esse episcopis maxime videtur, ne a quibusdam, qui valde spirituales existimantur, et zelum Dei profitentur, urgeri se nimis patiantur; qui tamen fovendi sunt, et verbis humanitate condîtis retinendi, et monendi ne tantopere urgeant; nihil esse facilius quam turbare civitatem; ubi discordiae oriri coeperint inter illos qui civitati praesident, et inter episcopos, difficile admodum esse imponere litigiis finem; impediri maiora bona, et frequentiam nobilium virorum ad ecclesiam Dei, ad conciones audiendas; Pontificem summum maxima affici molestia; perturbationes ab initio minimas, solitas crescere; quietem adimere pastoribus, pios progessus retardare, tantos denique excitare motus ut saepissime paeniteat, rem maturius non considerasse. De adhibendis in consilio senioribus et prudentioribus canonicis et parochis, de communicandis animi sensis cum illis quibus familiariter utitur episcopus, cautio est maxima adhibenda, ne sine consilio quicquam agatur; ne tot adhibeantur consiliarii, quorum multiplicitas confusiones pariat, et multa temporis pars in consulendo ponatur; qua in re, ut in aliis, disponenda mirifice praestitit Carolus.

14. Quod ad pronoctationem pertinet, debitas horas negare corpori, integras vigilare noctes, aut orare, aut sacros libros volvere, integras hebdomadas in lecto caput non reclinare, aliis etiam rationibus corpus macerare et perpetuis ieiuniis affligere, vinum vix gustare, pane et acqua contentum esse; haec, Cardinalis et archiepiscope, tu vide an sint imitanda, praesertim tibi corpore non admodum firmo, studiis optimarum artium, sacrae theologiae in primis, usque ab adolescentia valde dedito, Mediolani in nobili et splendida familia nato, qui Romae etiam aliquot annos vixisti sobrie semper, non tamen ea ratione qua anachoritae vivere consueverunt. Blandus quidem hostis, tyrannus domesticus est corpus, ut sanctus scripsit Gregorius nazianzenus; non tamen ipsius cura ita negligenda est, ut servire nequeat animae. Tyrannis eius frenanda est parsimonia, sanctis ieiuniis, aliqua etiam castigatione; nec charitas quae laboribus plurimis, in itineribus et functionibus in pastorali munere adhibetur, impedienda est debilitate et afflictione corporis. Cumque virtus multo praestantior sit charitas quam paenitentia, cedat exercendae virtutis illius studium charitati: nec adeo corpus castigetur, et deprimatur, ut Christi servitio nequeat exhiberi, ut vigorem animi, vitam etiam ipsam, quispiam sibi videatur adimere. Valde siquidem corpus somno recreatur, quo vires reficiuntur et conservantur. Vinum curas pellit, cor lactificat, excitat robur animi, si modice sumatur; et quamquam scriptum est, principium vitae panis et aqua; perpauci tamen reperiuntur hoc tempore, qui vino abstinentes alacritatem quandam in rebus agendis necessariam retineant.

15. Non abhorruerunt sancti episcopi a commu-

ni vivendi ratione, exceperunt convivio homines ad se venientes, mensam sacris lectionibus condientes; et a beatissimo patre Ambrosio sanctum Augustinum exceptum fuisse satis episcopaliter, ipsemet Augustinus scriptum reliquit (1). Hoc verbum episcopaliter consideranti mihi, quid sibi velit, nunquam venit in mentem interpretari episcopaliter, hoc est laute, opipare, regie; sed potius episcopaliter, hoc est, nitide, sine luxu, sine epularum varietate, ne prandium aut caena possit dici dubia, sed cibis usitatis ad vires corporis restaurandas singillatim unicuique convivae cum debita mensura appositis, cum lectione sacra cum gratiarum actione sumptis. Quam rationem pastoralem Carolum adhibuisse scimus. Ego in mensa fui cum ipso, interdum crediderim fuisse et te; una fuimus etiam in celeberrimo mediolanensi seminario, sancti Gregorii nazianzeni die, quatuordecim, ni fallor, iam abhinc annis, tres Cardinales, quorum unus fuit pontifex Gregorius ·XIII·, et ibi archiepiscopaliter instructum convivium a seminarii filiis habuimus. Quam consuetudinem arbitrarer omnino tibi esse retinendam. Sanctitas, ut sanctus scribit Dionysius areopagita cuius lectione delectaris, est ab omni scelere libera perfectaque ac omni ex parte incontaminata puritas. Dicitur etiam confirmata iustitia, cuius participatione viri pretioso Christi sanguine tincti, ab omni terrena affectione alieni, sancti nominantur. Sanctificationis autem auctorem Iesum Christum filium Dei agnoscimus, quem solum sanctum, solum dominum, solum altissimum cum sancto Spiritu in gloria Dei patris saepissime canimus.

16. Et ut christiana perfectio et felicitas in Chri-

(1) Confess. lib. VI. cap. 13.

sti sita est imitatione, ita laudatur magnopere studium quod adhibetur in imitatione sanctorum; quod est quidem facilius, quia sancti iisdem, quibus nos, circumdati fuere infirmitatibus, ita ut eorum non sit desperanda imitatio. Verum praecipue post Christum venerandi sunt et imitandi qui ecclesiis, quibus nunc praesumus, ante nos praefuerunt. Quaeris fortasse, ut interpreter quid sit imitari? Tibi quippe notum est non esse aliud, quam sequi, quam exprimere, quam referre illas ipsas virtutes, quibus illos, quos imitandos nobis proposuimus, excelluisse putamus. Sequitur Christum, qui Christum imitatur, qui mansuetudinem qui humilitatem qui charitatem et patientiam Christi studet referre. Et sanctos etiam ut imitemur, curandum est, ne nimium nobis arrogemus, ne in altissimum gradum conscendere nitentes, miserabiliter prolabamur. Ad illos, qui libros scribunt pertinent illa poëtae: - Sumite materiam vestris qui scribitis aequam - Viribus, et versate diu quid ferre recusent, - Quid valeant humeri. - Haec possunt etiam ad res gerendas accommodari, ut in omni vita videant homines, quid adgrediantur, quid possint perficere. Cum in via proficientium sint, ne putent se profecisse. Cum sint tirones, ne egregios se existiment milites. Cum in numero sint descripti militum, ne inter imperatores numerari ambiant.

17. Diversi sunt spiritus, diversa tempora, diversi civitatum mores, varia principum ingenia; maiora mala vitanda, differenda et dissimulanda quaedam, quae alio tempore sancti viri non dissimularunt neque tulerunt, quemadmodum in pastorali sanctus Gregorius his verbis explicat: sciendum est, inquit, quod aliquando subiectorum vitia prudenter dissimulanda sunt; sed

quia dissimulantur, indicanda; aliquando etiam aperte cognita, mature toleranda; aliquando vero subtititer et occulta perscrutanda, aliquando leniter arguenda, aliquando vehementer increpanda. Quae omnia faciunt, ut cauta admodum debeat esse imitatio. Nam rationem, quam sancti adhibuerunt Ioh. chrysostomus et Basilius et alii plerique sancti episcopi eiusdem ingenii in animadvertendis acriter erratis illorum, quibus praefuerunt, fortasse non expedit semper sequi, sed parere potius sancti Gregorii monitis, qui moderationem incredibilem in regimine pastorali, suo illo registro epistolarum indicavit, quem librum semper esse nobis in manibus habendum putaverim. Haec autem cautio ut adhibeatur, studendum est maxime episcopis, ne delatoribus facile fidem praestent, cum minores utilitates redundent in ecclesiam Dei, si severa exerceatur iustitia, quam si aliquandiu res dissimulentur et differantur. Haec ipsa dissimulatio et dilatio necessaria videtur esse cum de rebus agitur mediocribus, ut solet accidere in iis, in quibus praeventioni est locus.

18. Nimirum in rebus ad ritus, non tamen praecipuos, pertinentibus, et ad negligentiam, minime tamen perniciosam, tollendam; in quibus sanctos non ignoramus interdum adhibuisse diligentiam, de ea diligentia ad vitanda maiora incommoda, dissimulatione detrahendum est aliquid. Locus etiam cautionem docet, ut sicubi ob caeli temperiem, et ob cibos valde nutrientes, parsimonia et tenuissimus cibus non nocet, prodest potius valetudini tuae; alibi cavendum esse videatur, ne imitatio tenuitatis illius obsit valetudini. Qua de re memini me longam epistolam scripsisse Carolo Cardinali, cui per familiarem suum Caimum, qui in religione patrum Capuccinorum vita excessit, respondit,

in suo proposito persistens. Hanc vero Dei dispensationem fuisse putaverim, ut nostra quoque tempestate haberemus, qui nobis mortificationis exemplum (minime ciceronianis verbis libenter utor, rem ipsam melius explicantibus) praeberet: cuius tamen virtutem, cum valetudinis periculo, caute admodum imitandam censuerim. Illa ipsa itinera ad visitandas reliquias sanctas, et assiduae illae preces, et ieiunia, cum longis mysteriorum Christi meditationibus coniuncta, indicia sunt pietatis eximiae, et suscipienda interdum, praesertim florente qua es aetate; sed ut curandum est, ut incalescat animus fervore, ita ne concidat et affligatur corpus. Ubi oratio quadraginta horarum indicitur ab episcopis, sermones aliquot habendi sunt ad populum: at quadraginta sermones habere quadraginta horarum spatio, arduum est humanamque conditionem videtur superare. Arbitror pro tua humilitate hac in re non ausurum te imitari Carolum; satis enim illum imitaberis, si quatuor aut quinque sermones habueris. Et verissima est illa sententia: prima sequentem, laudabile est in secundis et tertiis consistere. Carolum habe ante oculos, sit tibi satis praecipuas eius et excellentes pastorales virtutes imitari: quasdam, in quibus admirationem sui excitavit, tibi considerandum an possis imitari. Admiraberis illum semper, et in munere pastorali fungendo maximam eius sollicitudinem laudibus efferre non desines; idque non solum patrueli tribues, sed etiam cuilibet, qui ante te archiepiscopali munere laudabiliter est functus; cum maxime mos illorum damnandus sit, qui vituperatione eorum, qui eos praecesserunt, crescere, et illorum existimationem minuere nituntur.

19. Paucis dicamus rem totam, de qua agitur,

complectentes. Satis imitatur sanctos episcopos, qui lucet et ardet, qui sacrarum rerum scientiam habet, sed in primis qui charitate, quae est virtutum omnium forma et veluti anima, excellit. Salvator noster Iesus Christus, a quo praeclara et salutaria omnia documenta manant, dum Petrum apostolorum principem pastorem ecclesiae catholicae, et sui vicarium instituret, non dixit: versatus es magis in sacris litteris? ingenio et iudicio his praestas? castigas magis corpus, quam ceteri? illustriora das exempla paenitentiae quam alii mei discipuli? habes maiorem facultatem dicendi ut populo persuadeas quicquid expedierit? Illa non dixit Petro, sed potius haec: diligis me plus his? Quanta est charitas, tanta est pastoris sanctitas. Si charitate conditus est zelus, laudabilis est: imitatio sanctorum omnium charitate metienda est: haec servos Dei illustrat, filios efficit Dei, imitatores sanctorum, imitatores etiam Christi. Haec tunc agnoscitur cum quis sua, suos, se ipsum etiam dat pro salute hominum, quemadmodum magister immo exemplar charitatis Christus ostendit, qui sua omnia, hoc est ea quae caeli ambitu continentur; suos, hoc est, angelos administratorios omnes spiritus; se ipsum denique dedit, ut nos ad salutem perduceret, ut caelestis patriae heredes essemus. Ad Christi summi pastoris et regis nostri imitationem nos episcopi, nos pastores, nostra omnia; nostros, qui scilicet nobiscum vivunt, qui nostro ex nutu pendent; nosmet ipsos etiam, hoc est mentem, cogitationes, studia, labores, sanguinem quoque, ad populorum qui nobis crediti sunt salutem conferamus. Cuius excellentis et vere pastoralis virtutis exemplum Carolus dedit, redditus ecclesiasticos in pauperes distribuens, sacrarum virginum monasteriis

subveniens, inopiam plurimorum sublevans, pestilentiae in primis tempore non solum pecuniam, in qua commulanda nullum adhibuit studium, sed totam supellectilem suam in usum pauperum conferens, periculosissimo illo tempore alacri animo se exponens ut aegris et morbo infectis consuleret.

20. Charitati coniunctum est gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, mansuetudo, longanimitas, fides, modestia, continentia, castitas, quos sancti Spiritus fructus enumerat sanctus apostolus Paulus ad Galatas scribens. Haec optimum efficiunt episcopum; discernunt zelum Dei secundum scientiam ab eo, qui non est secundum scientiam. Virtutem sequitur voluptas, tamquam umbra corpus, ut optime nosti, et scribit Aristoteles; cuius voluptatis tanta est vis, út sine ea virtus diu non possit consistere: voluptatem intelligo honestam, quam qui ex virtute vivit percipit, quaeque divina est ac aeterna futura, et psalmo vigesimo sexto voluptas Domini a Davide appellatur. Beatae vitae cogitatio expectatioque. alit hanc laetitiam, fides in primis constans et sincera in Christum Dei filium. Quo gaudio exultaverunt in maximis cruciatibus martyres Dei; quo etiam non caruerunt, qui pro salute patriae adversus inimicos crucis pugnantes, fortiter occubuerunt. Haec ipsa laetitia et alacritas in rebus agendis, pia et religiosa quaedam hilaritas, in viris Dei apparet maxime; apparebat semper in Carolo, et tunc magis, quando perturbationibus variis et magnis affligi crederetur, illo ipso praesertim die quo scelestissimi homines illum nefario ausu de medio tollere conati fuerant: et pestilentiae tempore prae se tulit eandem hilaritatem, qua incredibiliter, qui cum illo vivebant, recreabantur. Gaudio afficiuntur maximo pastores, dum divinis intersunt officiis, dum fre-

quentiam catholici populi sibi crediti intuentur; qua voluptate nulla est sincerior, eamque me etiam percepisse memini. Sed quantum percipitur gaudium, si lucratum se esse animas aliquas Christo pastor intelligat suis hortationibus, sua industria, suis precibus? Si gloria illa caelesti, si pane angelico filios plurimos suos ministerio sanctissimi eucharistiae sacramenti aluerit? Appellat illos sanctus Paulus ad Philippenses scribens, gaudium suum, et coronam suam. Gaudium tuum erit amplissimus et nobilissimus populus, grex egregie institutus. Quod gaudium, Spiritus sancti fructum et donum Dei in pastoribus iure nominaverimus; quodque consuetudine etiam ac sermonibus piorum hominum, in quorum vultibus alacritas nescio quae et puritas mentis apparent, conservatur et augetur.

21. Cessatio et quidem a gravioribus negotiis aliquando videtur necessaria, ut sanctus putavit Iohannes apostolus, de quo doctissimorum hominum sanctissimus, quem merito admiramur, Thomas in summa scripsit: cum ipso praesente eius discipuli luderent, mirantibus quibusdam, imperasse illis, qui mirabantur, ut arcum non bis et ter sed quater et quinquies intenderent; qui cum respondissent, se defessos esse, nec amplius arcum intendere posse, indicavit, eadem ratione cessationem esse necessariam, ne mens quodammodo hebescat. Verum mirabile et insolitum illud erat voluptatis genus, quam Carolus percipiebat cum in cadavera quae ad sepulturam efferebantur incideret; dicebat enim gaudere se salutari illo spectaculo, cogitatione brevis huius peregrinationis, memoria mortis, et meditatione migrationis ad caelestem et aeternam patriam. Immoderatum miserrimae huius vitae studium, cupiditatem protrahendae peregrinationis, in qua tot sunt pericula, tot

miseriae, vir Dei hac insolita ratione damnabat. Et comitem zeli pastoralis dixerimus esse pacem: ii autem pacem consequuntur, qui regem pacificum imitantes Christum dominum, eius praecepta servant, pro eius gloria, si opus est, omnia patiuntur, hominum inimicitias et odia non extimescunt, interiore pace fruentes, sensus rationi subiicientes, rationem autem Deo; pacem quantum fieri potest cum omnibus hominibus habentes. In controversiis interdum pro honore Dei, et pro iurisdictione ecclesiastica tuenda sumptis, tranquillitatem cum admirabili constantia coniunctam in Carolo observavimus

22. Patientia quoque zeli comes est, quam necessariam esse sanctus scribit apostolus, ut reportemus repromissionem. Haec vero posita est in perferendis calumniis, et in malivolis hominibus tolerandis; quam in munere pastorali fungendo, et in zelum Dei ac domus eius tenendo, valde esse necessariam, multi sancti episcopi re ipsa ostenderunt; sine qua neque in regendis civitatibus, neque in gubernandis familiis ulla praeclara ratio adhiberi potest; ut dissimulare necesse sit quaedam, alia in meliorem partem interpretari, quaedam pati, ut maiora vitentur mala; discendum etiam sit, vinci; cum interdum in quibusdam rebus magna iis qui sibi videntur vincere, afferatur utilitas. Benignitas illa, beneficus animus, christiana charitas, iuvandi studium, pastoralis est virtus; quacum christianus verus et sincerus coniunctus est zelus, a quo zelo disiungi non potest propensio ad res bonas; quae nemini noceat, prosit plurimis, sibi ipsi in primis, non corpori, nec externis rebus, sed animo. Et mansuetudo germana pastoris virtus est, a summo pastore Christo proficiscens, cuius haec sunt verba: di-

scite a me, quia mitis sum et humilis corde. Ita ut, qui non sit mitis, hoc est mansuetus, discipulus esse nequeat Christi, ignorans artem qua vincatur in bono malum: ita enim sanctus interpretatur Augustinus verbum illud mitis; hoc est, qui vincat in bono malum, qui provocatus non respondeat, qui lacessitus iniuriis taceat, prosit iis a quibus offenditur: ut exploratum habeat, quod tradidit sanctus Ioh. chrysostomus, neminem laedi nisi a semetipso. Et longanimitatem zelus Dei fovet, ut diu pastor toleret errata, et iniurias hominum; errata, si facile et breve corrigi non possint; iniurias, propter gloriam Dei, et ut charitas retineatur.

23. Ab omni mendacio et fallacia remotus est zelus Dei; ut nullam ob causam unquam mentiendum esse videatur; ne officiosa quidem, ut aiunt, mendacia admittens; Christum, qui veritas est, sequens; cum nihil sit, quod magis pastoralem deturpet dignitatem et gravitatem minuat episcopalem, quam mendacium. Virtutum etiam omnium condimentum amabilissima virtus modestia, zeli comes est, qua facile omnium conciliantur animi, et qua iustitiae studium, et disciplinae observationem suavitate quadam adhibita faciliorem effici, nemini dubium est. Et ab incontinentia, hoc est rerum externarum appetitu, alienus est zelus. Atque etiam castus est, cum nihil sit, quod a Deo hominem videatur seiungere magis, quam vitae impuritas et lascivia; qua mens hebescit, et suae dignitatis homo oblitus, brutum animal quodammodo efficitur, et in miserabilem animi caecitatem incidit. Haec sunt indicia zeli, qui donis illis ac fructibus Spiritus sancti ditatus egregia exempla recte vivendi dat; cum is, in quo est zelus, sapiens sit; hoc est,

ut paucis multa et magna comprehendam, cognoscat Dei sapientiam, potentiam, bonitatem; Dei se filium adoptivum, fratrem Christi, heredem caelestis patriae, et coheredem Christi futurum, nisi sibi ipse desit, nisi crucis Christi vexillum unquam deserat. Intellectum habet intelligens peregrinationis humanae molestias, deceptorem esse mundum, inopiam cupiditatum esse rerum externarum copiam. Et bonis utitur consiliis, qui pugnat cum Satana, carne, et mundo, sanctissimis sacramentis se muniens, omnium malorum escam voluptatem cum brutis communem fugiens, sanctis voluptatibus se recreans, lectione librorum bonorum, et piorum hominum sermonibus, iuvans semper omnes quantum potest. Fortitudinis autem dat exemplum, vitam ipsam si opus est exponens proper Dei gloriam, verbum asperum non timens; stans murus pro domo Dei; iis se obiiciens ex adverso, qui audent aliquid tentare contra eius ecclesiam; legens plurima, et sciens ea quae sacris libris continentur, et in ecclesiasticis historiis sunt expressa; pietatis dans documenta, sacris caerimoniis instructus, simplex, et rectus, et timens Deum; inter praevaricatores habitans, mentem fixam habens in caelum; terrena non sapiens, sed caelestia. Vere dixerimus, Cardinalis optime, veri et sinceri pastoralis zeli auctorem ministrum et conservatorem esse sanctum Spiritum, et eiusdem donis ali laudabilem omnem zelum pastoralem: boni pastoris officia contineri eiusdem sancti Spiritus fructibus ab apostolo commemoratis: imitationem sanctorum episcoporum, in his donis retinendis, hisque fructibus gustandis, esse positam.

24. Haec est illa cautio, de qua scribere ab initio proposuimus; qua cautione non egebas quidem, nam iudicio praestas et super senes etiam vales intelligere, sed

audiens sapiens sapientior erit. Leges libenter quae tui et tuae familiae amantissimus scripsit senex Cardinalis, non equidem recondita, sed quae in mentem venire cuivis potuissent, et quae satius fortasse fuisset familiari sermone proponere, quam tam longo libello explicare. Sed liceat in huius calce scriptionis, quam singularis meus in te amor dictabat, haec addere: me valde sperare, sperandumque esse omnibus, adiuvante Deo, bonum te fore archiepiscopum, non modo Caroli imitatorem, sed etiam sanctorum Ambrosii, Dionysii, Galdini, Eusebii, et ceterorum mediolanensium sanctorum episcoporum, quorum catalogum resque gestas optime nosti. Quamvis profecto miserrima sit conditio administrandarum civitatum et provinciarum, in quibus (ut et ethnici nobilis scriptoris verbis utamur) diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum; ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio periculosa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiae occultae, blanditiae apertae. His addatur, quod satietas regentium multos capit, mutatio plurimis laetitiam affert. Quae multo magis in pastorali regimine eveniunt, in quo non de se ipso tantum, sed de innumerabilibus animabus ratio reddenda erit supremo iudici Christo. Spero tamen divino fretus auxilio feliciter omnia tibi successura, quandoquidem prudentia, qua excellis, quam charitatis et virtutum omnium aurigam esse dixerimus, quam abbatissam reliquarum non incongrue sanctus nuncupavit Bernardus, tuas virtutes omnes diriget, medium in eis definiet, charitati etiam modum imponet, ne illum transeat, et freno quodam coërcebit. Comitem praestabis ei fortitudinem, quae in arduis quando opus est adgrediendis posita est, ad quae

adgredienda non sufficit prudentia, si fortitudinis praesidio destituatur.

25. Omnes tamen virtutes cum nobilitas generis nobilitare censeatur, fient tuae virtutes illustriores nobilitate tua, et utilior erit sapientia adiunctis divitiis. Scire, velle, et posse, valet plurimum ad res maximas perficiendas. Haec est divina quaedam societas, qua caeli et terrae gubernator Deus admirabili providentia totum gubernat mundum. Ita et principes cum sciunt, possunt, et volunt ea quae expediunt, munere suo funguntur feliciter. Haec in te omnia conveniunt: nam in sacra theologia, et in ecclesiasticis historiis, ut omnes norunt, es egregie versatus; Romae multis congregationibus diligenter interfuisti aliquot annos; mentem tuam, omnes cogitationes, et studia ad munus pastorale obeundum intendis. Non deerunt etiam adiumenta, quibus hospitalitatem, christianam liberalitatem, decorum ecclesiasticum necessariis et honorificis sumptibus sustineas. Imitaberis omnino Carolum in omnibus, quibusdam exceptis, in quibus valetudo tua, temporis mutatio, et ecclesiasticae dignitatis tuendae, atque hospitalitatis servandae, hisce temporibus ratio aliud suadere videatur.

26. Ut autem in pastorali arte omnium artium nobilissima progressus in dies maiores facias, omissis subtilibus quaestionibus et abstrusis, in quibus versatus es dum theologiae operam dares, totum te trades lectioni sanctorum patrum. Et meo quidem iudicio, nullus locus maiorem vim habebit, quam si saepissime, praesertim Mediolani, sententiae ex sancto Ambrosio sumptae in medium adferantur. Sancti etiam Iohannis chrysostomi conciones multae sunt praeclarissimae, praesertim sermones illi ad populum antioche-

num habiti; et quae excerpi possunt ex commentariis in sanctum Iohannem, et Matthaeum, et morales illi sermones admirabiles, quos eloquentissimus et sanctissimus ille vir epistolas sancti Pauli explicans, adiunxit. Sed de his saepe locuti sumus, et ita ea nosti, ut de illis te monere, non sit necesse. Lectionem Aloysii Lippomani, cui ego post nonnullos alios in episcopatum veronensem successi, admodum utilem crediderim: cuius viri labores Laurentius Surius in faciliorem ordinem redigere conatus est, cum legentium non minima utilitate. Nam vitae sanctorum, sunt vitae christianae et solidae disciplinae ad usum revocata praecepta. Et epistolae sancti Pauli, item epistolae ceteraque scripta sanctorum Basilii, Gregorii nazianzeni, Ioh. chrysostomi, Athanasii; et latinorum beatissimi Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et summi pontificis Gregorii, incredibilem utilitatem pastoribus adferunt. In horum quidem epistolis collega noster doctissimus vir et optimus Gulielmus Alanus saepe dicere consueverat, compendium contineri excellentis pietatis, et multiplicis doctrinae, quibus sancti illi praestiterunt; quam sententiam verissimam esse comperio. Quamobrem nulla magis lectione delector, nulla magis me iuvari sentio, quam epistolarum a sanctis patribus conscriptarum. Vera enim dogmata et regulae quaedam admirabilis prudentiae incredibiliter eruditunt et delectant legentium animos; ut accidit etiam iis, qui in Ciceronis, Senecae, Plinii, et gravissimorum aliorum epistolis versantur.

27. An credis, quemadmodum beatissimus pater Augustinus mirandum in modum precibus et lacrimis matris adiutus est, ut in viis Domini progressus magnos faceret, tibi parum profuturas preces clarissimae feminae matris tuae? cuius pietatem et devotio-

nem ipse novi, et exemplum daturam nobilibus et devotis feminis mediolanensibus crediderim. Vis te rogem, nt excusatam habeas senectutem meam verbosiorem aliquanto factam? Quamvis fortasse necessaria, tibi certe minime iucunda esset huiusmodi excusatio. Accipe igitur libellum non docte non elaborate conscriptum, negligenter potius, candide tamen et amanter dictatum. Illum cum legeris, memineris mei, meae senectutis, appropinquantis migrationis meae; tuisque precibus et sanctis sacrificiis interdum adiuva amantissimum tui Cardinalem, et in Carolo diligendo et observando secundum nemini, cupidissimum dignitatis et consolationis tuae, tuorum progressuum in viis Domini, et salutis tuae populique mediolanensis. Procurandae autem salutis, nobilium praesertim virorum, ratio praeclara est, si gravi morbo laborantes episcopus adeat, propriis hortationibus illos consoletur, de Dei misericordia adferens in medium illa quae afflictum corpus recreent, omnemque adimant desperationem, graves sententias de vi paenitentiae commemorans; quod saepe facere solitum scimus, quem saepe nominavimus, Carolum, qui admirabilem diligentiam in comprovincialibus episcopis iuvandis periculosissimo illo tempore, hoc est in mortis articulo, adhibere consueverat. Et pastoralibus item epistolis solet populus recreari maxime; quam formam renovavit sapienter Carolus, quem deinde plurimi Italiae episcopi sumus imitati. Hanc retinebis tu: incredibilem enim vim habet episcopalis et paterna illa auctoritas; et in bene institutis familiis avidissime legi consueverunt, quae a pastore suavissima illa ratione suggeruntur. In his pastoralibus muneribus diligenter praestandis zelus episcopalis dignoscitur, et imitatio tuta et solida optimorum et sanctorum episcoporum elucet maxime.

EIUSDEM

AUGUSTINI VALERII

CARDINALIS ET EPISCOPI

QUATENUS FUGIENDI SINT HONORES

AD FEDERICUM BORROMAEUM S. R. E. CARDINALEM.

1. Cum admodum adolescens Plautum legissem, versiculus ille nunquam animo excidit: virtute ambire oportet, non favitoribus (1); illumque saepe dum in Veneta rep. patria mea versarer, usurpare consueveram. Speculum vitae comoedia est, populum erudit comicus, damnat prensationes ambitiosorum, technas vituperat, virtutem commendat. Amabilis profecto est virtus et popularis; et verissima illa ethnici hominis sententia est: nihil est tam populare, quam bonitas. Bonis, hoc est innocentibus viris, laedentibus neminem, ad bene merendum de aliis propensis, aliqua eruditione praestantibus, vel etiam invitis interdum tribuuntur honores; nam diliguntur a bonis, in ore bonorum virorum sunt, digni existimantur maximis omnibus honoribus, quamvis interdum honoris insignia minime consequantur; quandoquidem illis callidi homines insignia illa praeripiunt. Utrum versiculus ille Plauti ad rem publicam ecclesiasticam, ad ecclesiam sanctam Dei, ad apostolicam romanam sedem accommodari possit, licet ne ambire etiam virtute insignia honorum maximorum, nimirum Episcopatûs Cardinalatûs, altissimae demum

(1) Amph. prolog. v. 78.

sedis Pontificatûs, et utrum ea in re modus adhiberi queat, nobilis quaestio, et non infructuosa existimatur: quae ut tractaretur, non dialectico more, sed aliquanto planius et fusius visus es, Cardinalis Borromaee, optare. Cur autem ipse, qui te ob suavitatem ingenii, et virtutes plurimas mirifice diligo, hac in re tam honesta non obsequar, meaque scriptione te ista tua florente aetate non excitem ad copiosius hoc ipsum argumentum sane nobile tractandum? cum ipse iam factus senex occupationibus quam plurimis pastoralibus ita impediar, ut ne mediocrem quidem diligentiam in scriptionibus meis possim ponere.

2. Acutum, multiplex, et superbum animal homo, naturae miserabili sane instinctu inter alios excellere, imperare ceteris cupit, quamvis infeliciter ipse cupiditatibus variis suis serviat; sibi praeferri aliquem, quamvis eo se virtutibus omnibus inferiorem cognoscat, aegerrime fert; et nemo est ingenio, dicendi facultate, eruditione aliis ita inferior, ut se eisdem iudicio superiorem esse non existimet. Ab huiusmodi perversitate iudicii, animi aegritudines variae, detractio, maledicentiae, earum nutrix invidia, ambitio, proficiscuntur; ut admodum difficile sit reperiri perpaucos in amplissima orbis christiani re publica, quibus persuaderi possit, fugiendos esse honores: eo difficilius, cum probabilia multa argumenta excogitata sint, quibus probatur, non licere solum, sed generosi animi esse, adhibita etiam diligentia honores quaerere, ut quisque existimationem augeat suam; ut familiam, in qua natus est, magis nobilitet; ut illis splendoris insignibus velut excellentis virtutis testimoniis excitentur illi, qui in eadem familia nascentur. Hanc etiam ob causam difficilius ea sententia persuaderi posse videtur, quia mos obtinuit

ut in rebus publicis, in aulis principum, Romae etiam (ubi apostolica sancta sedes, in qua sedet Christi vicarius romanus Pontifex recte intelligendi, et bene vivendi documenta dat) non admodum multi reperiantur, qui honores fugiant. Hereditarius morbus hic est, filii Adae sumus. Lucifer parentem illum nostrum decepit subdole, cum prius Evam matrem decepisset. Volumus haberi, qui non sumus, quamquam ethnicus ille Socrates diceret compendiariam recte vivendi viam esse, si simus, qui haberi cupimus. Excellere inter alios optamus, vinci a quoquam turpe ducimus, doctiores et meliores haberi volumus, quam simus; iudicio in rebus tractandis nemini mortalium cedimus. Hunc in modum decipimur specie recti; non virtutem, non optimam vitae rationem, non Dei gratiam, non caelestem patriam, ad quam nati sumus, summum bonum plerique mortalium videmur existimare; sed praeferri aequalibus omnibus nostris, honores maximos consequi, divitias cumulare, in ore omnium vivere. Communis hic morbus est, aliter sentire paradoxum putatur; irridentur qui aliter sentiunt et loquuntur. Nec mirum; quia sophista mundus est; quia stultorum plena sunt omnia; quia mundus et caecus, et miser, et ingratus est.

3. Alexander luxit, cum plures mundos philosophus nescio quis esse diceret, cum unius mundi se adhuc dominum non esse intelligeret. Caesar aequalem pati non poterat, et infelix Herodum illa stirps, et ante illos Nabuchodonosor, et Antiochus extiterunt; et saevam tyrannorum plurimorum progeniem, monstra non pauca imperatorum, qui miserandum in modum orbem terrae afflixerunt, dira ambitio, execrabilis honorum cupiditas peperit. Luciferi imitatores, eiusque satellites,

hominum non contenti obsequiis, Dii haberi et nominari voluerunt: et in rebus publicis, in omnibusque administrationibus multae seditiones exortae sunt, et calamitates variae inde manarunt, quod optimam disciplinam fugiendorum honorum mortales neglexerunt: irrisi sunt potius, qui praeclarissimum et valde salutare hoc dogma docere studuerunt. Putat aliquis se Deum, quia honoribus potitus est maximis. Nonne eadem illa quae perniciosi et infames etiam homines sunt consecuti? Nero, Caligula, et ante hos Marius, Sylla, Pompeius, Caesar, et in Graecia Alexander, et alii quam plurimi, ebrietate, luxuria, perfidia, et vitiis maximis contaminati, regnaverunt; in quorum numero, filiorum etiam suorum homicidae saevissimi Turcarum tyranni, et barbararum plurimarum gentium crudeles domini extiterunt, et extant.

4. Nec bona igitur per se, nec optanda est dominatio, cum perversis ingeniis, et flagitiosis hominibus sit communis. Non est optanda dominatio, vitanda potius; non quaerendi honores, sed fugiendi; pericula vitanda sunt, pericula fugienda. Qui se exponit periculis, an non censetur insanus? Dum honores quis quaerit, dum illos consequitur, dum illis valde cupitis potitus inter alios excellit, quibus periculis est expositus? quibus molestiis cruciatur? Expetendum esse dominari ceteris, idque excelsi esse animi, vulgo dicitur. Non est ita. Nullum venenum, nullum gaudium plus formidandum putat sanctus Bernardus. Potestatem terrenam sapientes viri intelligunt esse non naturae insitam, sed consequi potius culpam, brevem esse omnem potestatem, subiectionem verius quam dominium continere, multum habere periculi, multum oneris, punitionis plerumque multum, cum noceat ei qui magis videtur posse. Non

concessisse ab initio auctorem rerum omnium, dominium homini ut praecesset hominibus, sed potius animalibus ratione carentibus, cum in sacra genesi scriptum sit: faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, volucribus caeli, et bestiis terrae. Pares esse omnes homines sanctus scribit Gregorius; non esse datam praelationem hominibus, ut praesint, nisi volucribus et piscibus, hoc est hominibus quatenus induant faciem illorum. Non esse laudabilem cupiditatem dominandi, cum charitas, ut sanctus scribit apostolus, non sit ambitiosa: terrenam potestatem esse baculum arundineum, ut spiritu Dei afflatus Isaias illis verbis indicavit: ecce confidis super baculum arundineum. Imperium in alios homines res sublimis, altissimus locus, videtur; sed est locus infimus, inferno proximus, et a caelesti patria valde remotus. Facilis est enim illius descensus ad inferos, difficilis ascensus in caelum; cum saepe fiat, ut per Davidem sanctus docuit Spiritus, ut verissimum illud esse comperiamus, deiecisti eos dum adlevarentur.

5. Ut dignitates modis indignis obtineant, viliores fiunt homines honoribus maximis potiti, quam antea fuerint; et fiunt valde ignobiles, ut sanctus apostolus iudicavit: quia, ut Salvatoris utamur verbis, quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum. Unus, et ille solus est dominus Deus. Reges, principes, et omnium generum administratores, ministri sunt Domini unius. Superbi ambitiosi, cupita dignitate acquisita, praeter horribilem diaboli servitutem, et vitiorum quibus contaminati sunt, servient etiam illis, quibus videntur dominari; illorum querelas audiant, eorum odia, seditiones, conspirationes, timeant necesse est. Potestas

locus est spiritualibus deliciis vacuus; alta enim siccantur, ima replentur, ut sanctus Augustinus scriptum reliquit. Saepe puniuntur aliqui magistratuum et maximorum honorum adeptione: nam cappa pluvialis ceteris vestibus superponitur ad vestium aliarum conservationem; non quia carior habeatur, sed potius ut sola deturpetur. Misericordiarum pater, et Deus totius consolationis, quos valde diligit filios, a periculis liberos tutiore in loco collocat; ut paterfamilias solet, qui ad labores maximos perferendos, et ad pericula subeunda servos mittit, filios diligenter custodit; filios virtutibus variis exornat, servos in pulvere deturpari permittit. De quibus viris propheta sanctus Isaias verba illa protulit: erit vir, quasi qui absconditur a vento, et celat se a tempestate. Revera tutus est, cum in imo degat. Quam rem sanctus explicat Augustinus, cum scribit: qui in imo est, non habet, quo cadat; bonis spiritualibus abundat, velut vallis fertilis, quam Spiritus sanctus indicat in Davidis psalmo: valles abundabunt frumento. Daemones, qui ob suam superbiam de caelo in profundum miseriarum delapsi sunt, cum maxime invideant illis, qui sublimi in loco constituti sunt, illos oppugnant acriter, illorum expugnatione se quam plurimis dominaturos arbitrantur.

6. Verum, Borromaee Cardinalis, ut rem verissimam, quae paucissimis persuaderi potest, honores fugiendos esse, firmissimis rationibus demonstremus, brevitate cum diluciditate coniuncta quatenus fieri potest utamur, et cominus contra vulgus, contra administratores mundi, contra aulicos plerosque pugnemus. Victoria erit penes nos, si veritati debitus exhibeatur honor, si vanitas non diligatur, si non quaeratur mendacium, si umbras mortales non sectabun-

tur, si laudem solidam, veros honores, falsae gloriolae et inanibus splendoribus anteposuerint. Hunc in modum iacula in vulgus insipiens, in homines honorum cupidissimos, qui titulos nescio quos tamquam idolum sibi faciunt et colunt, contorqueam. Si quaerenda, si amanda humilitas est, fugiendi honores sunt, Si vitae tranquillitas optanda est, quaerendi minime honores sunt. Si molestias, quas affert varias et magnas multorum in quempiam concitata invidia, sentire nolumus, non solum a petitione honorum, sed ab omni cupiditate dominandi, abstinendum est. Si varia et multiplex rerum cognitio, quae assidua lectione comparatur, existimanda est valde, si altissimarum rerum, novissimarum in primis, meditatio praestantibus viris digna est, contemnendi honores sunt. Si discrimina vitae, si pericula perditionis aeternae vitare cupimus, praeferri ceteris et honores appetere non debemus. Si rex regum et dominus dominantium Christus imitandus, eiusque sanctam vitam exemplar recte vivendi nobis proposuimus, ut proposuisse debuimus, splendoris insignia omnia vitanda sunt. Si sanctos apostolos, et innumerabiles alios viros solidis virtutibus praestantes, inclytos Dei martyres, sanctos doctores, et confessores, et veros Dei eremitas angelicam vitam degentes magnificamus, ut debemus, honorum cupiditatem vituperare, eorumdemque adeptionem ut periculosam debemus existimare. Si mortem aliquando meditamur, non esse magni faciendos honores, spernendos potius ducimus. Si ultimum et horribile iudicium consideremus interdum, et horribile illud tribunal, ante quod adstabimus omnes, ante oculos nobis proponamus, eligemus ante tremendum illud iudicium accedere abiecti potius, quam ulla dignitate elati. Si cae-

lestem patriam cogitamus, ut cogitare debemus, beatissimam illam Hierusalem, in qua sanctissima Trinitas in altissima sede constituta, naturam angelicam et felicissimas animas perpetuo exhilarat, terrenos despiciemus honores, ut tutius ad caelestem gloriam perveniamus. Si denique miserrimum inferni locum, et perpetuo lugendam tragoediam illorum, qui Dei visione privati sempiternis cruciantur poenis, interdum animo volvamus, cum locus ille infimus despiciendus et fugiendus maxime, superborum et ambitiosorum hominum plenus esse dicatur, inanem omnem gloriam, ut ambitionis et superbiae nutricem, detestandam et fugiendam maxime intelligemus.

7. Haec omnia capita aliquanto uberius explicabuntur, ut verissimam quam proposuimus sententiam de fugiendis honoribus explicemus. Ubi est humilitas, ibi et sapientia, ut Salomon ait. Humilitas est virtus altissima, philosophis non admodum cognita, qua quisque se ipsum cognoscit, et variis huius vitae periculis expositus sibi attendit, sibi cavet, Deum timet; tamquam peregrinus, exul etiam, adspirat ad patriam. Raram esse honoratam humilitatem sanctus scribit Bernardus, cum in regum, principum, et potentium virorum aulis, vix tanta reperiatur virtus; quae ceterarum omnium fundamentum est; quae ita requiritur in christiano viro, ut beatissimus pater Augustinus interrogatus, quid primum esse in christiano iudicaret, quid secundum, quid tertium, responderit semper: humilitatem. Est sane mansuetudinis soror, alumna continentiae, et custos pacis, ut innumerabiles huius virtutis laudes omittam. Beatos paupere spiritu, hoc est humiles, verae sapientiae magister Christus docuit; ipsorum dixit esse regnum caelorum: tantumque est eximiae huius virtutis ius, ut soli exal-

tentur humiles. Et idcirco scriptum est: qui se humiliat, exaltabitur. Et alio in loco: exaltavit humilitatem ancillae suae. Divinae sunt hae voces, ut est etiam illa: qui se exaltat, humiliabitur. Non fugimus honores sed appetimus, inanem gloriolam aucupamur, imperare aliis volumus, nominis celebritatem avide nobis comparare studemus. Hoc est humilitatem despicere, hoc est excelsam virtutem contemnere, hoc est nolle imitari Christum, qui dixit discipulis suis et nobis: discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Hoc est Satanam imitari, non Christum. Christus enim rex regum, et dominus dominantium fugit in montem, ut terrenam et regiam potestatem fugeret. Legimus quid Satanae contigerit propter suam superbiam, qui praestanti dignitate minime contentus, altiora cogitans, infeliciter in tantam miseriam prolapsus est. Sed o clementissime caeli et terrae Domine, qui admirabili providentia orbis terrae rem publicam gubernas, deponis potentes de sede, et exaltas humiles! Caesaris, Pompeii, imperatorum plurimorum, regum, principumque infelicissimos exitus legimus, illorum extincta est memoria, aut omnium fere iudicio damnata; imitatores Filii tui, qui exinanivit semet ipsum formam servi accipiens, diem suum cum feliciter obierint, magnam nominis celebritatem sunt consecuti. Quem locum, Borromaee, paulo post fortasse tractabimus: nos qui humilitatem amandam non immerito statuimus, honores tamquam venena humilitatis, quae illam plerumque extirpant, fugiendos esse censemus.

8. In qua sententia confirmamur, quia vitae tranquillitati studemus maxime. Nam qui honores quaerit, iudicia hominum de se extimescit, potentium verba,

nec potentium tantum, sed rumores etiam vulgi ponderat: ut uno verbo dicam, dum servit ambitioni, servus fit omnium; dum odium etiam malorum timet, veritatem negligit, mendaciis assuescit, adulatur, suspicionibus variis affligitur, interdum detrahit aliis; invidiae tormento, quo tyranni, ut poëta ille dicebat, maius non invenere, cruciatur, insomnes saepe ducit noctes; illis, quibuscum versatur, molestus miseram vitam ducit. Hoc ipsum quod dico philosophi multi cognoverunt, qui insignibus omnibus honoris virtutem anteponendam censuerunt; et illis bonis, quae a parente natura, dicamus rectius a largitore bonorum Deo, acceperunt contenti, mente nimirum, voluntate, memoria, sensibus, oculis in primis et auribus fruentes, tamquam totius orbis terrae rei publicae cives, caeli pulchritudine, terrae fructibus, hominum societate, artibus, et scientiis variis, se ipsos oblectantes, beatitudinem quaesierunt; quam adumbratam valde aliqui eorum se reperisse gloriati sunt, re vera in exilio et valle lacrimarum reperire minime potuerunt; cum in caelesti patria speranda sit, et in sanctissimae Trinitatis visione et fruitione sit constituta. Huius tranquillitatis, huius interioris pacis et quietis, quo quisque est sapientior, eo certe est avidior; et studiosi, et avidi fuerunt et sunt innumerabiles homines, qui ex variis quotidianae huius vitae fluctibus, veluti in portum se recipiunt, et in monasteria se abdunt; quorum tamen pacem et tranquillitatem ibi perturbare non desinit perennis animarum nostrarum hostis Satanas, cum appetendos esse illis suggerat honores nescio quos, miserabiles quasdam praelationes, curas, sollicitudines, afflictiones intolerabiles.

9. Et inter varias miserias, quibus praestans et

multiplex animal homo est expositus, hanc non minimam prudentes viri existimarunt, quod invidiae telis subiectus est; quam molestiam magnam, quod incommodum, nemo fugere potest, qui honores non fugit. Cum enim verissima sit illa sententia: veritatem, odium; virtutem, invidiam; facilitatem, contemptum parere; extenuatur, et fere extinguitur invidia, si virtus se ipsa contenta sit, ut esse debet; quod quamquam non semper contingit, accidit tamen plerumque. Extat Gregorii nazianzeni egregium exemplum, qui cum egregia doctrina, et excellentibus pastoralibus virtutibus esset praeditus, in tantam episcoporum invidiam incidit, ut patriarchali sede constantinopolitana relicta, memorabilia illa verba protulerit: si propter me tempestas haec exorta est, proicite me in mare. Et illa: vale cathedra nutrix invidiae, et origo perturbationum multarum mearum. Hinc philosophicum illud: sic vive, ut lateas. Hinc honorum contemptus, magistratuum, maximarum dignitatum, regnorum etiam taedium, quod non paucos cepit, ut testantur historiae. Petrus Damianus episcopus ostiensis Cardinalatum reliquit. Sanctus Hieronymus cum Romae magno in honore esset apud sanctum Damasum pontificem, eumque in conscribendis epistolis pontificiis adiuvaret, sponte discessit, et Bethleem angustias tantae urbis amplitudini praetulit. Sanctus Arsenius Honorii et Arcadii augustorum praeceptor, et iuventutis moderator, spretis aulae imperatoriae honoribus, ad deserta loca commigravit, et factus est monachus. Vulgare admodum est illud, optabiliorem esse statum illum quo quis invideatur, eo in quo ipsi ceteri compatiantur. Ille tamen affectus, quo quis humanis compatitur miseriis, et illi qui compatitur est utilis, et illis in

quos misericordiae affectum exercet, est fructuosus. Invidia et invidentem enecat, et perturbat incredibiliter illos in quos concitata est: est enim mater calumuiae, ut sapiens dicit: conturbat etiam sapientem, discordiarum et intestinorum odiorum altrix, pacem aufert, corrumpit quietem, affligit familias, perturbat civitates, confundit regna, vexat ecclesiam, satanicam sobolem auget, sanctissimam Trinitatem mirandum in modum offendit, infernum summopere dilatat, tempestas saeva, pestifera lues, calamitas orbis. Quae fugienda est maxime, magno studio exterminanda, exterarum rerum contemptu, divina virtute, humilitate, et meditatione assidua caelestis patriae, ad quam qui adspirat ex animo, honores fugit, et fuga illa iacula omnia vitat invidiae; ut sancti plurimi viri fecerunt, qui sanctam paupertatem sequentes, et angelicam vitam degentes, Deo et angelis noti, ignoti mortalibus, iter ad beatissimam Hierusalem feliciter confecerunt; sancti apostoli, martyres, confessores, plurimi sancti eremitae, beatae virgines, sancti Benedictus, Dominicus, et Franciscus, qui innumerabiles homines vitae exemplo, et sanctis regulis, ab invidiae veneno praeservarunt, et ad caelestem patriam perduxerunt.

10. Et variarum ac maximarum rerum cognitionem, honorum fuga parit. Cum enim in novis comparandis amicis, in favitoribus conciliandis, multum temporis ambitiosi terere soleant, suspicionibus variis aemulationibusque distrahantur, eorum animus inani plerumque spe, timore vano, acri dolore, et inepta laetitia, tamquam fluctibus iactetur, nihil altum miseri, nihil sublime cogitant, in bonis libris leviter versantur: si laborem aliquem interdum in sacra theologia, aut in iure

canonico ponunt, omnia ad honores consequendos cum referant, doctrinam servam faciunt ambitionis, perverso ingenio viri, qui lubricos et fugiendos honores scientiae, quae valde expetenda est, anteponunt. Quam suavis sit animorum nostrorum pastus contemplatio, quam deliciosus cibus sit multiplex rerum cognitio, fructuosus etiam si ad aliorum utilitatem referatur, facile novit is qui deliciis huiusmodi aliquando est delectatus. Nec Socratem, nec Platonem, nec Aristotelem, philosophos summos rem publicam unquam attigisse legimus: honores, qui tantopere vulgo expetuntur, prudenter fugisse testantur historiae. Scholam etiam stoicorum, et ante hos Pythagoram, in eadem scimus fuisse sententia, qui honestum otium molestis occupationibus anteferentes, umbram virtutis pluris fecerunt, quam inanes honorum splendores. Qui sanctos apostolos, doctores ecclesiae, et innumerabiles alios sanctos qui honores fugerunt, recusant imitari, Caesarem, Pompeium, et ante hos Alcibiadem, et alios, qui in rebus publicis degentes summum bonum in adipiscendis honoribus constituerunt, miserabiliter imitantur. Aulici homines vani, queruli, plerumque subdoli, magno pretio perpetuam animi sollicitudinem ementes, sibi aliquem praeferri, calamitosum existimantes, honorum cupiditate se ipsos cruciant. Homines huiusmodi ambitiosi infelicissimi sunt, qui amicitiam hominum fallacem Dei amicitiae praeferunt; cum nimis honorati sint amici Dei, iidemque sint humiles, honores tamquam periculosissimos scopulos fugientes. Sanctus Bernardus in libro de consideratione, pontificatum Eugenio discipulo a Cardinalibus delatum vehementer dolet, et quantopere fugiendi sint honores ostendit, cum in hanc sententiam scribit discipulo: condolere se illi,

si doleat ad altissimum illud pontificatus fastigium se fuisse evectum; si non doleat, se dolere magis. Sanctarum autem congregationum, quas religiones nominamus, institutores et patres, sanctum Benedictum, Dominicum, Franciscum, ut Hieronymum et Basilium omittamus, honorum fuga delectatos maxime, colloquiis cum Deo, et divinorum mysteriorum meditationi intentos fuisse legimus. Habuerunt hi omnes moderationis suae quam plurimos imitatores. Nec huiusmodi moderationis, et honorum contemptus, quemquam unquam paenituit; ut adeptionis maximarum dignitatum paenituit saepe plurimos, qui hominum de se iudiciis non responderunt; et se officio suo defuisse, tandem aliquando intellexerunt.

11. Haec, Borromaee, pro tuo acri iudicio considera, et observa quanta piis viris oblata sit lugendi materia, praesertim in aulis degentibus, in quibus haec quae scribimus paradoxa putantur, et ambitiosorum hominum plena sunt omnia; cum pauci etiam inveniantur, quos ambitionis pudeat, qui licere non arbitrentur summa diligentia honores petere, se ipsos occulta quadam ratione laudare, callide ostentare ingenium, et doctrinam famamque sanctimoniae aucupari, illabi in animos eorum qui gratia et auctoritate apud Pontificem summum valeant. Eo magis lugenda, Cardinalis optime, haec sunt, quia est morbus incognitus, quia non percipitur, quia malum putatur bonum, quia vitium laudatur, quia pestis huiusmodi serpit, quia vix est speranda sanitas intestini et deplorati morbi.

12. Sed videor audire disertum nescio quem aulicum, qui contra hanc verissimam sententiam dicat: fugam hanc quam laudamus honorum, esse perniciem civilis vitae, inertes homines efficere, rebus gerendis inc-

ptos, suis familiis inutiles, ab huiusmodi hominibus nullas civitates illustratas: cupiditatem vero honorum alere industriam, fovere studia litterarum, egregios multos libros conscriptos esse et ad romanos Pontifices missos ab hominibus honorum cupiditate incensis, ex quibus ipsi laudem, et studiosi bonarum litterarum utilitatem perceperunt; honorem artes alere; stoicam esse sententiam quam defendimus. Quae omnia adulterinae cuiusdam prudentiae sophismata sunt; quandoquidem nec Basilius, nec Nazianzenus, qui episcopatus quanta maxima potuerunt diligentia fugerunt, inertes unquam sunt habiti nec otiosi. In deserto sanctus Ioh. Baptista, Hilarion, Antonius, quamquam solitarii, vixerunt in colloquiis cum Deo, et in meditatione rerum altissimarum excellenter occupati. Haec altrix theologiae et praestantissimarum artium et scientiarum appellanda est ambitio, pietas potius, et mentis quaedam devotio. Haec, non gloriae cupiditas, ecclesiasticum nobis Aristotelem aluit, sanctum nimirum Thomam aquinatem, qui nunquam ad scribendum aliquid accedebat, quin antea orasset. Nec ullus unquam magis civitatem aut oppidum, in quo natus sit illustravit, quam Assisium seraphicus pater Franciscus illustravit. Stoicam, Borromaee, non defendimus sententiam quamquam non semper erraverunt stoici; sed veram philosophiam sequimur, solidam sapientiam a sanctis prophetis ex ore Dei prolatam, et a Christo rege, et magistro nostro sanctissimae suae vitae documentis comprobatam, qui cum populus illum creare vellet regem, fugit in montem solus. Nemo potest explicare quantopere fallatur, et fallat mundus. Errorum fortasse hic est maximus, tanta rerum externarum cupiditas, et admiratio praesertim honorum,

qui dantur plerumque callidioribus, et doctioribus negantur, qui magna cum animi sollicitudine quaeruntur, aemulatione, maledicentiis, et calumniis; paulo etiam post amittuntur, exercentur timide, anxie, et maximis cum existimationis et salutis periculis praesertim aeternae.

13. Quod si quis interdum mortem consideret, quae diu abesse non potest; nihil enim, ut ethnicus ille dicebat, in hac vita est diu; non video cur tot laboribus, tanta animi sollicitudine quaerendi sint nescio qui tituli, quibus brevissimo temporis spatio non dicam quis fruatur, dicam potius insaniat, et levitatem ostendat suam. Egregius titulus, et maxime exoptandus est titulus regis. O domine, o frater, o fili, o bone Cardinalis Borromaee! Reges etiam eramus, si sapiebamus, antequam Cardinales essemus; reges sunt omnes, qui Christi vexillum sequuntur, quia regis filii, quia regis fratres, filii enim Dei adoptivi nominamur et sumus, fratres Christi, ut apostolicis verbis utamur, coheredes etiam futuri caelestis patriae. Sed o miserandam rem! Regiae sublimitatis obliti plerique mortales infeliciter serviunt hominibus, ut ab illis honores consequantur. Dum enim nunquam cogitant se christianos esse, in hanc lucem missos ut caelesti regno aliquando potiantur, student regnare in exilio, in valle lacrimarum, in umbra mortis exultant, si praeferantur ceteris. Sunt vera, quae dico; sunt paradoxa, non nego; prudentibus tamen et piis viris probantur maxime. Tremendum aliquando iudicium qui cogitat, et sedentem Christum regem regum et dominum dominantium in altissimo sui throni solio sibi ipsi ante oculos mentis ponit; se redditurum esse rationem et actionum et cogitationum et verborum etiam otiosorum, exi-

tum non extimescet ? Et cum verum sit, quod aliquando poëtae, apertius etiam nescio quis Epictetus stoicus scripsit, humanam vitam scenae cuidam esse similem, in qua agatur comoedia; sintque comoediae partes variae a personis variis explicatae; exploratagque sit res omnibus, personatos plurimos diversas agere personas, quas revera non sustinent; in comoediis enim plerumque ignobiliores diademata gestantes reges repraesentant, nobiliores viri servorum personas referunt, imbelles Thrasones effingunt; ut uno verbo dicam, in comoediis fictionum plena sunt omnia; ita est in hac vita, praesertim in aulis principum et regum. Quod si interdum quispiam ita secum loquatur: comoediarum aliquando finis erit; necesse erit personam exuere; nuda erunt omnia ante oculos tremendi regis, interrogationes erunt graves, acutae, horribiles, horrendus illic erit timor; non video cur huiusmodi meditatio ab omni ambitione quemquam non deterreat, et honorum fugam non facile suadeat.

14. Nam praeter illas communes examinationes, quae ad opera misericordiae pertinent, in quibus si rite a nobis responderi queat, beatitudo consistit nostra; et si deficiamus, aeterna miseria; rationi consentaneum est interrogationibus pluribus, et vehementioribus veluti tormentis acturum esse iustissimum illum iudicem cum illis, quos in sublimioribus dignitatibus constituerat, et veluti ministros suae voluntatis universae orbis terrarum rei publicae, quam paterno amore complectitur, praefecerat; et huiusmodi voces prolaturum altissimum regem credibile est ad Episcopos, ad Cardinales, et ad summos etiam Pontifices, qui adstabunt ante eius tribunal reddituri rationem rerum a se gestarum: legati fuistis mei; pastores, magistros vos constitui, patres vos

dedi populis meis; quid egistis? Lucem mundi ut tenebras errorum eiiceretis, sal terrae ut christiana sapientia ecclesiam condiretis, vos constitueram; ostendite, quos illuminaveritis, quam orbis terrae partem sapientia vestra condieritis. Quae dixeram discipulis meis, ad vos etiam pertinebant; hortatus vos fueram ad mei imitationem verbis illis: discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Mansuetudinis vestrae et humilitatis exempla, quae dedistis, recitate. Dixeram vobis etiam, negotiamini, dum venio. Negotia mea sunt opera pietatis, propagationes sanctae religionis, lucra animarum meo sanguine redemptarum; reddite mihi rationem negotiorum vestrorum, ostendite animarum lucra. Baculo illo vestro pastorali quem tradidi vobis, quos in disciplina continuistis? quos in viam reduxistis? Dixi saepe ne timeretis; quotus quisque vestrum verbum asperum timuit, et indulgentia sua multos deteriores fecit? Et mitra, quae cognitionem utriusque testamenti requirere videtur, et ornamenta episcopalia omnia vereor, ne contra nos episcopos clament; ementitae legationis, aut si non ementitae, negligenter saltem actae nos accusent; oves contra pastores, filii contra patres, discipuli contra magistros insurgant. Vis dicam, Borromaee? Purpura haec nostra, birretum hoc nostrum rubrum, galerus etiam sollemniter in sacro consistorio acceptus, quae nihil aliud indicant nihil testificantur aliud, nisi cardinalitiam caritatem, vereor ne extremo et tremendo illo die aliquos nostri ordinis accusent, contorqueanturque illae interrogationes in nos: ostendite ardentem caritatem aliqui vestrûm, quam profitebamini, cuius signum in vestris capitibus gestabatis.

15. Quid referam? quae commenter verba, qui-

bus pontificum omnium pontifex Christus Vicarios suos est alloquuturus? Hi autem huiusmodi fortasse praefatione uti poterunt: tu scis, supreme pontifex Christe, quod non ambiveram ipse altissimam sedem Petri, fugeram ipse cathedram illam, ipse tuus esse Vicarius non ausus essem, nisi quodammodo tu me compulisses: crucem illam tuli, secutus sum te, Christe; ignosce negligentiis meis, parce mihi, salva me propter misericordiam tuam. Siqui Pontifices dicere poterunt, ut non pauci poterunt: sanctissimam fidem tuam, Christe, comprobavi; sanguine etiam meo imitatus sum caritatem tuam, quatenus infirmitas mea passa est; in multis tamen defui; ostende mihi misericordiam tuam. Pontifices multi, martyres sancti, Linus, Anacletus, Clemens, Eleutherius, Stephanus; sanctissimi etiam doctores Damasus, Leo, Gregorius, qui pontificatum minime appetierunt, fugerunt potius, hac loquendi forma uti poterunt. Nec scribere, nec cogitare audeo, quas voces horribili illo die contra Vicarios suos, siqui extiterunt, qui in tanto obeundo munere deliquerint, prolaturus sit supremus rex et pontifex Christus! Tantum periculum fugiendum sancti plurimi pontifices, cauti et pii homines, semper consueverunt.

16. Verum enim vero cum stellam unam decuplo maiorem universa terra, astronomi scripserint, totusque orbis humanis subiectus oculis, si cum caelo conferatur, sit veluti punctum; deploraverit etiam romanae eloquentiae princeps ille, dum somnium narrat Scipionis, insipientiam et levitatem humanam, quod homunculi tanti faciant, quid in minima terrae portiuncula de ipsis sentiant homines, et ut titulum aliquem assequantur, insaniant; et iure admiratus sit

ille, qui suam levitatem tacite accusavit; nos christiani, quibus per sacrosanctam fidei revelationem beatissima illa patria cognita est, et caelestis illa aula, in qua sanctissima praesidet Trinitas, adsunt varii angelorum et archangelorum chori, super quos omnes beatissima est mater Dei, regina caeli et nostra, Maria semper virgo, et innumerabiles etiam sancti et sanctae Dei, martyres, confessores, virgines, viduae, reges, principes, privati homines, sacerdotes, laici, divites, pauperes, et omnium generum, quibus caelestis inquam illa aula vivis coloribus descripta est, ad illamque veluti peregrini aspiramus, si non desipimus; si honores non fugimus, insipientes certe sumus. Prudens est, qui saepe ita secum loquitur: cur in exilio desipio? Cur inter tot insidias et fraudes saeculi non lugeo? Quieti non studeo? Cur me fraudibus et insidiis expono volens? Cur magno pretio et sollicitudine animi miserias varias emo? Altissimus ille locus, ad quem tendimus, bonis omnibus abundans est, nullus timor, nullus labor, nulla aemulatio, nulla invidia, nulla detractio, nulla inopia, nulla aegritudo, nulla fallacia, nulla varietas beatissimas mentes perturbat. Illic caritas, gaudium, exultatio, felicitas, gloria, cantus, et harmonia perpetuo canentium laudem Altissimo; illic, ut uno verbo dicam, Deus trinus et unus in maiestate sua conspicitur, supremum et eminentissimum bonum, fons bonorum omnium a quo bona omnia manant, caeli et terrae dominator, benignissimus mortalium parens, et munerum omnium largitor; qui solem, lunam, stellas, elementa, plantas, animalia omnia iubet servire nostris commodis; qui eos, quos pretioso sanguine agni immaculati redimendos esse constituit, vocat altissimis

vocibus ad paratam ipsis hereditatem, ad regnum illud amplissimum et felicissimum. Insiguia honoris in huius vitae peregrinatione distribuit quibus ipsi magis placet, ad excitandum interdum alios ad virtutem, ad exercendam aliquorum patientiam et caritatem ; interdum etiam (mirabile dictu! ad confundendos ipsos, quos extollit. Quod etiam facit, ut ostendat, honores esse minima virtutum praemia, si cum beatitudinis praemio conferantur. Fugam honorum suadet etiam maxime meditatio poenarum inferni ; vehemens ille timor a prudentia profectus damnationis aeternae ; et verba illa : potentes potenter tormenta patientur. Timens aeternam miseriam audet quis ambire, audet amare pericula, aeternos cruciatus non extimescit? Felicem variarum perturbationum exitum sibi pollicetur? O miserabilis audacia! Utinam non exitialis ambitiosorum hominum stultitia!

17. Verum enimvero, qui ambitiosorum partes tuentur, nomen mutant ; moderatum honoris studium, ambitionem nominant; contemptum et fugam honorum variis modis vituperant, et sic loquuntur: si fugiendos esse honores persuades, aufers industriam, otiosos hones efficis, mercedem praeclaris ingeniis adimis, rem publicam litterariam laedis, res publicas confundis, regum et principum aulas ignobiles facis: fuga honorum excelsos animos deiicit, nobilitatis est inimica ; nihil sublime cogitans, excellentia obscurat ingenia, callidis ingeniis relinquit locum, regibus et principibus auctoritatem adimit, aulicam vitam e medio tollit, ut uno verbo dicam, totum pervertit orbem. Necesse est, Borromaee, ut sophismata huiusmodi diluamus ; id autem faciemus breviter et dilucide. Paupertas est mater industriae, liberales artes alunt in-

dustriam, parentes industria sua industrios faciunt filios; cupiditate honorum, ambitione, non est opus ad comparandam laudabilium rerum alumnam industriam: agricultura, peregrinationes, liberalis mercatura, ars militaris, et prudentium hominum consuetudo, ad industriam excitant homines, fugant otium. Deus bone! Quid adulterina commentatur prudentia? Otiosos esse homines, qui non sint ambitiosi? Virtus igitur erit otiosa? Tot religiosi viri cum Deo saepe loquentes, obsequia varia in monasteriis Deo praestantes, innumerabiles homines piis operibus intenti, nulla honoris cupiditate incensi, nominandi ne sunt otiosi? Homines contemplationi dediti, divina beneficia meditantes et commemorantes, debitum cultum Deo exhibentes, in privatis domibus latitantes, in sacris templis totum fere suae vitae tempus consumentes, otiosi non sunt appellandi. Otiosos dixerimus potius, nihil praeclarum, nihil dignum homine agentes aut cogitantes, umbras sectantes, fumum attrectantes, quaerentes vanitatem, diligentes mendacium. Quid est illud quod quidam non mali homines dicere consueverunt, insigne nescio quod splendoris, virtutis mercedem esse? Sibi ipsi merces virtus est, aut potius se ipsa contenta est virtus. Mercedem nos, qui in christiana pietate enutriti sumus, expectamus a Deo; merces nostra Deus ipse est; caeleste regnum, beatissima illa Hierusalem proposita est verae et non adumbratae virtutis praemium. Honores, qui sine ulla virtute dantur, Deo ita permittente, indigni etiam viri consequuntur. Captiosa igitur putanda est ambitionis excusatio. Nec tamen negaverimus virtuti debitos honores tribuendos esse, eiusdemque virtutis et doctrinae praemium interdum honores extitisse. Hoc efficere, distributivam

servare iustitiam, ad illos, penes quos distribuendarum dignitatum potestas est, maxime pertinet. Funguntur ipsi interdum, ita disponente moderatore rerum omnium Deo, munere suo. Erratur interdum ab ipsis, qui huius non minimi erroris dabunt aliquando poenas, cum adstabunt ante altissimi regis tribunal, administrationis suae rationem reddituri.

18. Quod vero honorum fuga litterariae rei publicae detrimentum afferat, absurdum est dicere, cum augeat potius, contemplationem litteratum otium alat, progressiones in scientiis et artibus faciat. Miserrimum genus hominum dixerimus eorum, qui studiis incumbunt litterarum ad nullum alium usum, nisi ut titulos nescio quos obtineant, ut ad honores perveniant, scientias hac ratione ambitioni servire cogentes. Honorum fuga auget rem publicam litterariam. Praecipui in omni scientiarum genere scriptores, honores ut impedimenta doctrinae fugiendos censuerunt, ut sanctus Thomas aquinas nunquam satis laudatus vir, et in eadem sancta religione enutriti viri sancti, et quam plurimi alii; ut scriptores veteres graecos et latinos omittamus. Quid adulterina et malitiosa prudentia excogitavit, honorum fugam confundere res publicas? Huiusmodi sophismate utuntur quidam: si viri boni et prudentes, honores fugient, callidi et ambitiosi homines regnabunt, bonitas infructuosa erit, nulla erit recta ratio administrandae rei publicae. Bonam esse Venetam rem publicam, quis ausit negare? Fugam honorum nunquam in ea esse laudatam, eorumdem petitionem tolerabilem semper habitam, utilitatem etiam rei publicae afferre creditum est. Verisimilia sunt haec, quae dicuntur non tamen vera. Multo secus res se habet; quod summus etiam philosophus Plato animadvertit,

qui sua in re publica cogendos esse viros bonos ad magistratus suscipiendos censuit; cum honorum fuga fugare simul adulationes, mendacia, detractiones, periuria, invidias, odia, maledicentias, occasiones omnes perturbandae reĩ publicae, virtuti favere, bonitatem extollere, publica commoda privatis anteferre, distributivam iustitiam, in qua salus rei publicae constituta est, tueri videatur. Fuit aliquando tempus quo prisci Veneti honoris insignia fugiebant, principatum etiam reiiciebant, concives suos sibi praeferebant. Ubi crevit ambitio, ubi honorum fuga e re publica fugata est, tolerandus non nego ambitus, verum quod tolerabile putatur, esse laudabile, nemo prudens vir putaverit.

19. Ambitus incommoda plurima commemorare non est necesse, et nostra etiam aetate fuisse quosdam qui honores fugientes ad principatum pervenerint, possem ostendere; et Romae quoque, qua in urbe non plurimos reperiemus, qui hanc fugam honorum probandam censeant, reperiuntur semper aliqui, qui generosa hac fuga ad amplissimos currunt honores, et ad Episcopatum, ad Cardinalatum etiam, ita disponente Deo, romani Pontificis vicarii sui arbitrio et iudicio assumuntur. Haec principum, regum, Pontificis in primis, aiunt, aulas ignobiles honorum fuga efficit. Miseras potius et detestandas saepe illas facit ambitio. Audeo dicere, si reges, et principes, si Christi Vicarius ambitiosorum quorumdam petitionibus et technis variis non perturbarentur, in honoribus distribuendis virtutem ante oculos haberent, et communem utilitatem spectarent; doctrinae et virtutum omnium scholae, pietatis, modestiae, ceterarumque virtutum officinae, aulae principum, romana in primis aula, appellarentur. Quam romanam aulam, quis ausit non laudare, docto-

rum et piorum hominum copia florentem? Fugâ tamen honorum fieri posse nobiliorem, et florentiorem, pii et prudentes viri existimaverint; quam fugam optandam potius quam speraudam multis de causis non negaverimus.

20. Quae autem calumnia haec est, fugam honorum nobilitatem destruere? Nobilitat potius nobilitatem; quia cum antiqua maiorum virtus sit nobilitas, ea virtute, qua maiores sui contenti fuerunt, cum quisque sit contentus, illaque nitatur, honorum fuga, quae moderationem animi, magnitudinem etiam coniunctam habet, solidum honorem, qui virtutem veluti umbra sequitur, sibi comparat. Qui honores fugerunt in Veneta re publica, praestantiores ceteris habiti sunt, et nulla ratione aliis ignobiliores sunt existimati. Ita se res habet; tanta est vera nobilitas, quanta est virtus; ad tantum unusquisque pervenit honorem, quantam consecutus est virtutem. Nec honorum contemptus excellentia obscurat ingenia, illustrat potius; Diogenem, Epictetum, et plurimos stoicos, Socratem, Platonem, et e nostris eremitas quam plurimos, et sanctos omnium generum viros illustravit. Sine episcopatu illustriores fuerunt sancti Bernardus, et Thomas, et alii plurimi praestantissimi viri, et qui Pontificatum recusarunt. Praeter quam quod fugientes honores, plerumque honores, ipsos sequuntur, ut sanctis Basilio, Gregorio nazianzeno, Iohanni chrysostomo, Gregorio summo pontifici, et plerisque aliis, quos iam commemoravimus, contigit.

21. Qui autem dicunt, honorum fugam principibus et regibus auctoritatem adimere, fallunt ipsi sese et alios; cum laudabili hac ipsa fuga iidem principes et reges, summus in primis romanus Pontifex, magnis li-

berentur molestiis, et favendi virtuti maiorem occasionem habeant; cum ambitiosorum quorumdam postulationibus, intimorum praesertim cubiculariorum (qui eorum in animos illabuntur) importunitatibus ita saepe affligantur, ut ea concedant, quae illos concessisse paenitet, cum in plurimorum maledicentias incidant. Aulica vita mendaciis, adulationibus, fallaciis, technis, blanditiis saepe nititur, tempus in ea teritur, gravia studia intermittuntur, curiositas alitur. Si huiusmodi vitae ratio e christiano orbe tolleretur; et sine dolo et fallaciis ad oculum minime servientes, quicumque serviunt summo Pontifici, regibus, et principibus, debita illis praestarent officia; iustitia distributiva servaretur, virtuti haberetur honor; melius cum Pontifice et principibus ageretur. Et si nullum in aulicis esset artificium, multo minores in orbe christiano extarent perturbatores, multa vitia tollerentur, minus gravia essent peccata multorum hominum, iucundiorem vitam illi qui in aulis vivunt, viverent. Quam vitae rationem fuga honorum si non tolleret, saltem valde corrigeret: vix enim fieri potest, ut artis illius praecepta non extent aliqua, quae e portiuncula quadam philosophiae, et illa quidem intima, proficiscuntur, nimirum a virtutibus illis, de quibus Aristoteles scripsit, a modestia, comitate, et maxime a prudentia, eiusque filia perspicacitate manantia.

22. Nec valent illa sancti apostoli verba ad fugam honorum ecclesiasticorum dissuadendam: qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Laborem, molestias, afflictiones corporis, sollicitudinem animi potest desiderare quis, propter caritatem, honorem fugiens. Rei publicae quidem principatus exerceri, aut episcopatus geri laudabiliter potest, laudabiliter vero

appeti non potest. Hoc ipsum fugere, tutissimum est. Quam sententiam, nec sententia illa sancti Thomae aquinatis enervat, qui in episcopali munere haec quatuor considerat, celsitudinem gradus, honorem et reverentiam quae episcopatui exhibetur, copiam rerum externarum nimirum divitiarum, item onus pascendarum animarum. Qua distinctione adhibita, sine avaritiae, sine ambitionis, sine arrogantiae vitio, appeti posse videtur existimare honores ecclesiasticos, gubernationes itidem, et regna, si ad communem utilitatem optentur. Tamen haec inter se adeo connexa sunt, ut vix hoc studium ab arrogantia seiungi queat; praesertim cum nemo sui ipsius sit iudex sincerus, et nemo sciat, gratia an odio sit dignus, possitque de se ipso polliceri, futurum se eum, quem cupit populo Dei utilem, et parem tanto oneri ferendo. Fugam etiam hanc honorum, de qua scribimus, minime putaverimus gravissimorum quorumdam hominum argumentis reprehendi posse, qui fugiendos episcopatus non solum non laudant, sed permittunt etiam aliqua ratione illos appetendos esse, cum quis se virtutibus illis praeditum cognoscit, quas sanctus in episcopis requirit Paulus. Difficile huiusmodi iudicium dixerimus nos, etsi quis non fallatur; sibi polliceri perseverantiam, modesti non esse ingenii et infirmitatem humanam agnoscentis, quispiam fortasse dixerit.

23. Quod autem sacrosanctum tridentinum concilium in Spiritu sancto congregatum edicta publica, quibus ad parochiales ecclesias petendas sacerdotes invitantur proponens, fugam hanc, quam laudamus, minime probare videtur, ut quidam existimant; considerandum est, quod eadem sancta synodus sacerdotes illos ab episcopis examinatoribus examinari iubeat;

et qui se examinandum praebet, cum sancto concilio obediat, non petit, non ambit munus illud, quod quidem munus laborem potius quam honorem dixerimus. Hanc eamdem honorum fugam, praesertim ecclesiasticorum, commendavit sanctus Augustinus, cum illa verba scripsit, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, facilius et laetius et hominibus acceptabilius, episcopi, presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie et adulatorie res agatur; sed nihil apud Deum miserius, tristius, et damnabilius. Quamquam alio loco scripserit, nihil officio episcopi esse beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet; eamdem tamen fugam, ut tutiorem videtur probare, quia periculosum est admodum militare, ut imperator iubet; immo potius magnum periculum est, ne aciem Christi deseramus. Et sanctus Gregorius nazianzenus cum apologeticum scripsit, et sanctus Iohannes chrysostomus de sacerdotio tractans, magnus etiam Pontifex in egregio illo opere quod inscribitur pastorale, fugam tacite suadent honorum.

24. Explodere conantur quidam naturali quodam impetu, et non recto, ut opinor, iudicio, hanc sententiam, cum asserunt contra caritatem esse, honores fugere, cum hac ratione pravis hominibus permittantur, hunc in modum res publica deseratur; hoc minime ad prudentem et modestum hominem, sed ad inertem, et se ipsum nimis amantem, pertinere. Quasi vero timendum sit, ne totius orbis terrae rei publicae administrator Deus, ad orbem terrae gubernandum hominum ambitione indigeat, virtus ipsa per se non sit amabilis, sibi ipsi non faciat aditum. Insigniores illi fuerunt episcopi, quibus praeter eorum expectationem, ipsis etiam reluctantibus, episcopatus sunt

traditi, ut sancti Gregorius nazianzenus, Basilius, Iohannes chrysostomus, et alii, qui episcopatus sibi delatos, contemplationi rerum divinarum dediti, diu recusarunt. Quo tempore e monasteriis, veluti ex doctrinae et virtutum plurimarum officinis vocati, et quasi coacti sunt monachi, qui sub sanctorum patrum regulis vixerunt, sancti in primis Benedicti, ad episcopatum, pontificatum etiam ipsum suscipiendum, egregia pastoralium virtutum exempla tradiderunt, doctrina eximia, et optimis, ac divinis plane exemplis, ecclesiae Dei profuerunt, ut historiae testantur. Quod autem usurpant non indocti, nec mali homines verba illa Isaiae "ecce mitte me,, ut non semper fugienda videantur ecclesiastica munera, honores ipsi, sed aliquando se ipsos liceat offerre, prophetae exemplo, quem sanctus Hieronymus appellavit evangelistam; habuerat firma indicia divinae gratiae, quam erat consecutus sanctus propheta Isaias, obtulerat se ad laborem, ad praedicationis munus, ad martyrii pericula; cum quibus omnibus si coniunctus sit honor, non est tamen praecipua pars praestantissimi illius muneris honor.

25. Verum, candide Borromaee, optime Cardinalis, de fugiendis honoribus dum scribo, ut tuae obsequar voluntati, quo magis in hoc commentario dictando progredior, eo plura mihi veniunt in mentem, quae obiiciet fortasse aliquis, in cuius manus commentarius hic pervenerit. Primum illud, quemadmodum ille dicebat: facile esse Athenis atheniensem laudare, ita aulicorum schola fortasse dicat, Cardinali non esse difficile ad Cardinalem de fugiendis honoribus scribere. Tum eadem dicet schola: quid est fugere honores? Debet ne aliquis fugere virtutem? Nemo certe debet.

Honor virtutem sequitur; cum non fugienda sit virtus, nec honor fugiendus est; et inter non minima bona honores numerati sunt a Platone, eiusque condiscipulo Xenophonte, sed maxime ab Aristotele, et omnibus peripateticis. Deinde vox ipsius Dei est, gloriam meam alteri non dabo. Cur monet igitur quispiam fugiendos honores, quos Deus tanto in pretio habendos exemplo suo divino hoc oraculo docet? Stoica videntur haec esse, et ad acumen ingenii ostendendum pertinere. Adversari etiam videtur his, quae scribimus, illa sententia: non nobis solis nos esse natos, sed patriae et amicis. Paucos demum futuros esse qui librum hunc legant, pauciores qui probent; facile esse Cardinalibus de fugiendis honoribus scribere, quia molestias varias et sollicitudines, quas coniunctas habent honorum insignia, sunt experti. Non negaverimus; cum amicitiae fructu, otio litterario, et animi tranquillitate privatos se plerumque doleant: nec quia ad Cardinalatus splendorem pervenerint, quod magnum esse fatemur, ea de re facilius est illis scribere, quam ceteris: aeque enim omnibus est facile, verissimas tueri sententias, varia pericula, incommoda plurima, quae secum afferunt honorum insignia, a sapientibus viris cognita, atque etiam enumerata, in medium afferre. Quod si quis post cupitos, et adeptos honores hunc locum tractandum sumeret, ob id maxime reprehendendus esset? Laudandus potius, quod errorem fateretur suum, et daret operam ne ceteri errarent.

26. Quamquam, Borromaee, si recte rem ipsam consideremus, quod ad nostrum Cardinalatum attinet, a fugiendorum honorum regulis, quas scribimus, non abhorruimus; secuti potius illas esse visi sumus: nam

cum viginti fere integros annos episcopus Veronae in pastorali munere ipse essem versatus, Romae viginti tantum dies fui sanctissimo iubilaei anno; de Cardinalatu a me nec minimum unquam verbum est factum; nullae unquam ullius principis, aut rei publicae, in qua sum natus, commendatitiae litterae mea causa scriptae sunt ad Gregorium XIII. summum pontificem, a quo in sacrum collegium cooptatus sum. De se ipso quicquam dicere, aut scribere, periculosum est valde; ideirco de me non scribam plura. Tu vero cum Romam venisses, ut sanctissimos Christi Vicarii pedes osculareris, communem matrem urbem Romam videres, sanctorum corpora innumerabilia venerareris, doctorum virorum qui Romae vivunt doctrinam degustares, et ex illa doctrinae et pietatis fructum caperes, modestiae immo potius humilitatis exempla dedisti et eruditionis, egregiasque virtutes multas celandas potius quam patefaciendas es arbitratus: taciturnitate tua, moderatione tua omnibus in rebus, quamquam esses Romae, Cardinalatum videbaris fugere. Cum rationes illas omnes, quibus alii ad eam dignitatem aspirant prorsus neglexeris, Cardinalis tamen creatus es, magna cum Sixti quinti summi Pontificis, viri iudicio et sapientiâ praestantis, laude. Quamobrem usus uterque nostrum Cardinalatus fugâ, Cardinalatum adeptus est.

27. Quod vero acuti homines dicunt, qui honores fugiendos suadent, videntur quodammodo suadere fugiendam virtutem, hi valde errant. Ambiguitas errorum nutrix, et sophismatum mater, in voce illa honor latet. Cum enim honor definiatur virtutis testimonium, et quaedam veluti approbatio, ut facilius rem ipsam explicemus, bonitatis et rerum laudabiliter gestarum; hic ipse honor cum virtute ita coniun-

ctus est, ut sciungi nequeat; et est huiusmodi, ut nemo illum possit fugere, nec si posset, fugiendus esset; esset enim virtutem ipsam quodammodo destruere. Hunc ipsum honorem qui non tueretur, crudelis esset, ut sanctissimi patris et eximii theologi Augustini verbis utamur; eoque magis adversus huius honoris fraudatores, nimirum detractores, maledicos, et calumniatores, acriter, si necesse est, pugnare quisque debet, quia illius cum fit iactus, iustitiae iniuria fit, boni viri offenduntur maxime, illoque ipso exemplo deteriores quam plurimi fieri possunt. Et hanc ob causam cum maxima quotidie extent clementissimi patris Dei in nos mortales beneficia, si non agnoscantur, si dissimulentur, si fato, si fortunae tribuantur; si eius praeceptis minime parentes, divinam iustitiam mortales minime videantur extimescere, iure honorem suum, gloriam suam, altissimis vocibus per servos suos alteri se mandaturum, clamat dominus Deus: idque ad utilitatem humani generis, cum nec iustum sit, nec orbis terrae rei publicae expediat, plures esse Deos, alium caeli Deum, praeter Deum unum et trinum, caeli conditorem, et rerum omnium gubernatorem. Qua in re ad regis et patris nostri Dei imitationem unusquisque honorem suum, Dei nimirum munera, suam existimationem, et famam bonam iure tuetur; et si non tueatur, crudelis est, et reprehensione dignus. Magistratus autem episcopatus, et cetera omnia splendoris insignia, quae interdum etiam sine virtute non bonis viris Dei permissu dantur, quae per se invidiosa sunt, et perturbationes varias saepe afferunt, ut paulo ante attigimus, haec ipsa insignia, hos ipsos titulos, honores huiusmodi, fugiendos esse dicimus. Sine his magno in honore sunt habiti religiosi plu-

rimi viri : in eremis, in vita privata, in virtutum officinis sanctis monasteriis, laudabiliter valde plurimi homines vixerunt. Haec insignia negligit virtus, se ipsa contenta est, ut philosophi etiam tradiderunt, ut sacrosancta Christi doctrina et admirabili eius vitae exemplo discere potuimus.

28. Stoica sunt quae scribimus aliqua ex parte; sed non quia stoica, sed quia e christiana philosophia desumpta, admittenda et sequenda sunt. Quamquam, optime Cardinalis, non semper contemnendi sunt stoici, cum vera magnifica et illustria documenta tradant in libris suis de rebus externis, honoribus in primis, contemnendis, de amanda virtute, et de morte non formidanda. Carolus Cardinalis, dum diaconus esset, in maxima rerum affluentia Epicteti stoici admirator fuit, libellum illum aureum qui inscribitur enchiridion, legebat saepissime et admirabatur; Senecâ etiam delectabatur valde. Vera pleraque, et speciosa multa, in libris stoicorum reperimus; qui si peccatum originale cognovissent, et imbecillitatem humanam, et virtutem excelsam ceterarum omnium fundamentum, nimirum humilitatem, perspectam habuissent, eorum philosophia cum christiana philosophia multis in rebus, quae ad mores pertinent, consentiret. Nec ignoramus a beatissimo patre Augustino in libris de civitate Dei, vituperatos stoicos, qui affectiones animi quadammodo extirparent, et christianas virtutes multas e medio tollerent : quorum sententiae non assentimur; cum tamen egregiis sententiis, quibus interdum paupertatem commendant, et res omnes externas magnificis admodum verbis parvi videntur facere, non delectari non possimus. Optimis enim rationibus contra externarum rerum admiratores argumentatur Epictetus, ante ipsum

Zeno, et tota stoicorum schola. Seneca ipse de morte minime extimescenda, multa praeclara et egregia pro tuenda illa sententia, virtutem se ipsa esse contentam, et contra rerum externarum admiratores, disserit. Nos qui magistrum Christum divinitus habemus, cum in eius sacrosancta disciplina versemur, sacros libros in manibus habentes, admiratores miseri rerum externarum, multis in rebus in his, quae ad mores pertinent et ad animi celsitudinem quamdam, a stoicis vincimur. Philosophica sunt, quae scribimus; cum Socratis sermonibus et vita, cum Platonis, cum Xenophontis, cum doctorum plurimorum virorum sententiis conveniunt; sed quod maiorem habet vim, ex intima christiana philosophia manant. Ita se res habet: tanti unusquisque est, quanti apud Deum est. Verus honor solida uniuscuiusque nostrûm existimatio, in hoc est sita, ut commendet dominus Deus opera nostra. Verus honor non pendet extrinsecus, virtutem sequitur; in privatis domibus, inter pauperes lares, habitat honor; ut uno verbo dicam, ubi est virtus, ibi est honor; boni viri inter ignotos honorati sunt, quia boni, etsi incogniti.

29. Illa sententia a philosophis plurimis usurpata: non nobis solis esse natos, sed patriae et amicis, verissima est, et fugam etiam honorum complectitur; pertinet enim fuga illa ad rei poblicae utilitatem, cum ambitiones et fallacias varias a re publica eiiciat. Humani corporis variae sunt partes, et quamquam pedes et manus maiora commoda corpori videantur afferre, oculi tamen sine dubio sunt veluti principes, et nobilior in animali praestantissimo pars. Sic viri rerum altissimarum contemplatione dediti affectiones animi varias moderantes, quietam et tran-

quillam vitam sectantes non solum patriae, sed orbi christiano sunt utiles, quia exempla varia exhibent virtutum. Vere dixerimus, si honores fugientes maximas patriae utilitates attulisse affirmaverimus; cum honorum fuga minime sit pertinax, et si necessitas rei publicae cogat, aut maxima utilitas persuadeat, labores maximos non recuset. Moyses octoginta amplius annos agens ducatum fugiebat, impedimentis linguae se excusabat; cum tamen a Deo fuisset vocatus ad gubernationem illam, suscepit onus, virtutum maximarum exempla dedit, populo Dei vehementer profuit. Sanctus Ambrosius, ut scriptor ille, qui eius vitam conscripsit, testatum reliquit, meretrices in domum suam venire permittebat, non incontinentiae causa, sed ut illis ipsis colloquiis, illi qui episcopum illum optabant, ei favere desisterent. O admirandum potius quam imitandum exemplum! Sed quia divinitus ad episcopatum mediolanensem vocabatur, quo fugiebat magis, eo cupiebatur ardentius episcopus; et fuit praesulum decus et ornamentum; qui Theodosium imperatorem in officio continuit, quem solum ipse dignum, qui nominaretur episcopus, existimavit. Et Gregorius magnus cum diu summum pontificatum fugisset, illa fuga ei magnam auxit auctoritatem, fuitque pontifex is, quem omnes scimus, admiranda doctrina et caritate eximia.

3o. Futuros autem paucos, qui librum hunc meum lecturi sint, non ignoro; tantumque abest, ut hoc moleste feram, ut mihi iucundum sit valde; tibi enim uni, Cardinalis Borromaee, scribendum censui, quia tibi iucundam futuram hanc ipsam scriptionem ostendisti. Nec popularis applausus ullave inanis gloria in actionibus et scriptionibus meis mihi est proposita.

Nec video, cum sancti Ambrosii egregium extet opus de fuga saeculi, ut παράδοξον videri debeat scribere de fuga honorum; cum inter alias saeculi illecebras, illecebrae magnae sint honoris, sive splendoris insignia, quae qui consequi non possunt, se putant miserrimos. Divina vox est: tamquam a facie colubri fuge peccatum. Spiritus itidem sanctus consulit non esse amanda pericula, cum in honorum insignibus quaerendis peccare valde soleant homines; in superbiae, malivolentiae, detractionis, invidiae morbos incidant, calamitatibusque variis et morti aeternae se miserabiliter exponant. Honorum fuga merito laudanda est, tamquam fuga miseriae et calamitatis, tranquillitatis mater, virtutis magistra, alumna doctrinae, superbiae expultrix, humilitatis socia, sincerae amicitiae nutrix, fidei, spei, caritatis, patientiae, et excelsarum omnium virtutum conservatrix, magnanimitatis comes, disciplina ab optimo magistro et rege nostro Christo, ut prestantissima ars, perfectis hominibus relicta, egregia vitae ratio, quam maximi plerumque sequuntur honores, quae valde existimationem auget, quae celebres admodum homines efficit.

31. Verum, ut intelligatur facilius, quid sit, in quo consistat, haec quam tantopere probamus honorum fuga, non erit inutile commemorare, quid sit fuga saeculi. Fugimus saeculum, si saeculi illecebris non capiamur, si a saeculi curis nos absolvimus. Mundum si fugimus, et ipse nos fugit, ut cum nautae in tempestate fugiunt terram, terra ipsa ipsos navigantes videtur fugere. Et iure fugiendum est saeculum, ubi nihil est solidum, ubi re vera inane est quod magnificum existimatur; et qui se putat aliquid esse, nihil omnino est, quemadmodum Spiritus sanctus do-

cuit illis verbis : vidi impium superexaltatum , et elevatum sicut cedros Libani , et transivi , et ecce non erat. Fugiendum saeculum , quia in eo nihil firmum, nihil perpetuum , instabilia et transitoria omnia : fluctibus variis in huius vitae procellis quatimur ; vitiis quam plurimis contaminatum saeculum, innumerabilibus expositum est periculis. Fugere saeculum est abstinere a peccatis , extendere humanas vires ad imitationem Dei , quatenus humana patitur infirmitas. Fugere est , scire quo tendamus, mori elementis huius mundi, abscondere vitam in Deo, declinare corruptelas mundi , qui nobis varios gignit dolores; exinanivit cum repleverit ; cum exinaniet , replet. Fuga est , non terrena relinquere , sed dignitates omittere; iustitiam et sobrietatem tueri , renuntiare vitiis, non usibus elementorum. Potes , inquit sanctus Ambrosius , animo fugere , etsi retinearis corpore; potes hic esse , et adesse ad Dominum, si illi adhaereat anima tua. Fuga bona est paenitentia , gratia Dei fuga est bona , in qua assumptio est fugientis. Desertum fuga est bona , ad quod fugit Elias , Elisaeus , Ioh. Baptista , et alii quam plurimi. Huiusmodi fuga anxium timorem nescit , horrorem ignorat mortis , nulla afficitur animi sollicitudine , otium , lasciviam , torporem non novit, sed patriae caelestis requirit viatorem impigrum , regni superioris competitorem strenuum , divitem agricolam qui fructus suos cogat. Bene fugit quicumque , si cor eius non imitetur impiorum consilia , si oculus eius aliena declinet , et lingua eius veritatem custodiat ; bene fugimus , si non respondeamus imprudenti ad imprudentiam illius ; bene fugimus, si auferamus gressum pedum nostrorum ex ore insipientium. Facile est malis ducibus in varios et graves errores prolabi. Fu-

ga autem sacerdotum illorum, qui aliis praesunt, est abdicatio domesticorum, et quaedam alienatio carissimorum; ut suis se abneget, qui Deo servire cupit.

32. Haec magna ex parte ex gravissimo scriptore egregio Ambrosio desumpta ad fugam saeculi commendandam pertinent; quae omnia ad fugiendos honores aliqua ex parte transferri possunt. Sed conemur hoc facere planius, honoresque fugientium proprietates quasdam commemoremus. Qui fugit honores, humilis est, quia nihil altum sapit, quia de se magnifice non sentit: prudens est, quia non se exponit periculis, cum nemine contendit, virtute fretus solido honore contentus est. Huiusmodi viri celebres sunt, diliguntur ab omnibus, feliciores ceteris putantur; eorum monita veluti oracula excipiuntur; veritatis amatores cum libere proferant quid sentiant, et neminem timeant nisi solum Deum; popularem auram negligentes; venenum importunarum laudum, adulationis pestiferae, nec propinantes ceteris, nec bibentes ipsi; quieti homines, faciles, veram nobilitatem tuentes, et ad solidam gloriam, hoc est ad patriam caelestem aspirantes; hoc ipso gaudentes, quod filii Dei sint et nominentur, adoptivique fratres Christi, quod sanctae matris ecclesiae lacte nutriti; de se ipsis parum aut nihil loquentes: si ingenio praestant aut iudicio, de divinis his muneribus largitori bonorum omnium Deo gratias agentes; virtutes, siquae in ipsis elucent celantes, alios sibi praeferentes, aequalium doctrinam et laudabiles mores libenter commemorantes; hanc ipsam honorum fugam minime captantes, non vituperantes illos etiam qui rerum publicarum aut aularum principum mores sequentes honorum ingenia studiosè quaerunt: iucundi plerumque viri, amabiles, rerum externarum minime

admiratores, minime detractores, minime fallaces, minime vani.

33. Quid egi, Borromaee Cardinalis? Satis longum scripsi commentarium, quem nullus legat praeter te et Silvium. Honores enim fugientium rarus est numerus, moderationis huius incredibilis penuria est. Sed fortasse aliquis potest defendere, non minimum fuisse numerum hominum honores fugientium; nam in re publica Veneta, in qua natus sum, extiterunt non pauci, qui cum honores fugerent, amplissimos honores sunt consequuti. In familia Contarena Andreas principatum recusans, adeptus est; eius gentiles, Gaspar et Thomas fratres, honores minime appetentes, honorificentissimos in re publica magistratus sunt consequuti. Et Marcus Antonius Trivisanus, cum audientibus omnibus diceret, se principatu indignum esse, creatus est princeps. Et praeturae patavina, veronensis, brixiensis, egregiis senatoribus recusantibus dantur, coguntur ipsi potius ad praestantissima illa munera obeunda. Vere dicam: Romae etiam crediderim non paucos esse, in quibus ea insint, quae paulo ante diximus; qui insignia honoris fugiant, qui non ambiant, qui de aliorum depressione in animo non habeant crescere, qui aliorum virtutes libenter celebrent, qui modestiae et humilitatis exempla dent. Congregationes presbyterorum, celebris illa patrum Iesu societas, quae multitudine doctorum et piorum virorum abundans hanc, quam commendamus, honorum fugam etiam ex voto profitetur; item illa patrum Theatinorum; tua etiam, aut potius nostra, in qua optimus episcopus Alerius doctrina et vitae integritate praestans floret, videntur esse scholae huius quam commemoravimus fugae. Nec solum hae congregationes presbyterorum,

sed amplissimae illae, quae sub regulis sanctorum Benedicti, Augustini, Dominici, et Francisci florent, gymnasia sunt humilitatis, eiusque sororis obedientiae, cum qua est coniuncta honorum fuga.

34. Sed haec, quae ad nos erudiendos pertinent valde, plerumque non animadvertimus. Scribam etiam libere, praesertim tibi, non ut aliquorum benivolentiam mihi conciliem, sed ut laudem omnium virtutum auctorem Deum. Pater Philippus tuus, meus etiam, ecclesiasticus Socrates; quid Socratem nominem? primitivae ecclesiae dignus sacerdos, sanctorum Benedicti, Dominici, Francisci dignus discipulus, hac ipsa honorum fuga, urbi Romae humilitatis, pietatis, et plurimarum virtutum dedit et dat exempla. Gymnasium illud Spiritus sancti, quotidianum illud oratorium, scholam illam paenitentiae et christianarum virtutum instituit, praestantes aliquot sacerdotes in huiusmodi honorum fuga egregie versatos ad communem vitam redegit; inter quos vivit Caesar ille noster Baronius, qui plurimos libros ad usum ecclesiae edidit, et scribit quotidie: in qua disciplina egregie versatus est Silvius Antonianus noster, et viterbiensis ille senex Latinus Latinius, vir multiplici eruditione et excellenti pietate praestans. Flaminius nobilius lucensis, cuius eximia linguarum, et scientiarum plurimarum praesertim theologiae cognitio tibi perspecta est, et cognita; Fulvius etiam Ursinus in optimarum disciplinarum studiis egregie, et magna cum laude versatus in urbis Romae theatro, in oculis summorum Pontificum et Cardinalium, honores fugisse visi sunt, cum minime ambiverint, cum propria virtute contenti sibi ipsis vixerint. Sed quid huiusmodi viros commemorem? Horum sane non parvus Romae est numerus,

ut veterum summorum Pontificum omittamus exempla.

35. Huius fugae, quam commendamus, egregius magister fuit Iohannes Petrus Carafa, qui deinde Pontifex maximus Paulus quartus est dictus. Is cum archiepiscopus theatinus ob egregiam suam virtutem creatus fuisset, et pastorali illo munere aliquot annos fuisset perfunctus, nobilissimam hanc fugam cogitavit, Venetias se recepit, et congregationem patrum Theatinorum ab ecclesiae suae nuncupatione instituit, seminarium, ut alio loco dixi, pietatis et ecclesiastici ornatus, ex quo insignes etiam Cardinales duo prodierunt. Ad Iohannem Petrum, dum Venetiis degebat, praestantissimi confluebant senatores. Excellentem eius doctrinam, et morum gravitatem admirabatur Gaspar, qui postea fuit Cardinalis Contarenus, suspiciebat Andreas Griptus princeps. Ille de honorum contemptu, de reformanda ecclesia, saepe et copiose disserebat. Veronam etiam venerat a Iohanne Matthaeo Giberto egregia virtute episcopo liberaliter exceptus. Honores fugiens, honoribus affectus est maximis, et a Paulo tertio acerrimi iudicii viro in Cardinalium collegium cooptatus est, nullo ambitu, nullis principum, aut regum commendatitiis litteris, vitae sanctimonia, et honorum fuga praecipue commendatus. Quo tempore Cardinalis fuit, fuit autem plurimos annos, nihil is quicquam diligentius visus est agere, quam summum Pontificatum fugere, cum valde alienus a sibi conciliandis Cardinalium animis videretur, aliquorum mores palam reprehenderet, libere admodum sententiam suam in consistorio diceret, odium principum et regum potentissimorum minime formidans.

36. Et eodem tempore Marcellus Cervinus, qui

ante Paulum quartum, ad altissimam illam pontificatus sedem fuerat evectus, in honorum fuga se maxime eruditum esse prae se tulit, cum alta voce diceret, dum Cardinales ad illum Pontificem creandum accurrerent, minime se esse dignum pontificatu, seniorem se, doctiorem, et meliorem Cardinalem theatinum Pontificem esse creandum. Quas voces quo magis ex animo proferebat, eo vehementius Cardinales ad illum Pontificem eligendum sancto Spiritu ducebantur. Et ille vir gravis admodum fuit, aulicorum voces minime extimuit, ecclesiasticae disciplinae fuit cultor eximius. Viginti diebus pontificatus eius est absolutus; etenim migravit in caelum, triste et maximum sui desiderium urbi Romae, et orbi christiano relinquens; eique successit in eadem fugiendorum honorum disciplina versatus Cardinalis theatinus, quem antea nominabamus.

37. Hic Pontifex pios et sanctos doctores sequutus, illos episcopatu et honoribus omnibus dignos putavit, qui nec minimam ambitionis suspicionem dedissent. E nostris Dominicum Bollanum senatorem, qui tunc Brixiae praetor erat, postquam integrum annum episcopalis illa sedes vacasset, nihil tale cogitantem Brixiensibus episcopum dedit. Et canonicatus, et ecclesiasticas dignitates multas contulit piis et doctis viris etiam absentibus, absentiâ honorum insignia fugientibus. Et Gulielmum Sirletum latinis graecisque litteris excultum hominem, in ecclesiasticis historiis egregie versatum, vitae integritate, et amabilissimis moribus praeditum, atque excellenti humilitate praestantem, ex improviso ad se vocari iussit: cumque accessisset, hortatus est illum subridens, ut palliolum illud, quo vestiebatur laicorum more, deponeret; dedecere litteratum hominem ita vestire; ecclesiasticum

habitum, qui illi paratus fuerat, indueret; protonotarium illum apostolicum ex eorum numero, qui pontificalis mensae participant, creavit: qui in lectulo iacens, in perpetua rerum altissimarum meditatione, et praestantissimorum librorum lectione, tempus ponens, ad caelestem patriam aspirans, honorum omnium insignia fugiebat, nullum librum edens tantae eruditionis vir, se ipsum abiiciens, in angusta domo latitans. Sed divina Caroli Borromaei nostri virtus virum Dei honores fugientem ad amplissimam Cardinalatus dignitatem deduxit, cum Pium quartum pontificem avunculum, qui eum praecipuo amore diligebat, rogasset, ut Gulielmum etiam Sirletum in Cardinalium numerum adscriberet. Quod Pii pontificis iudicium, quae Caroli Cardinalis commendatio, urbi Romae, rectius dicam ecclesiae universae, probata valde fuerunt. Nam quemadmodum vere scriptum est, filium sapientem esse gloriam patris, ita Cardinales doctos et pios, esse gloriam Pontificis, nemo negaverit; et nihil magis ad solidam Cardinalis laudem pertinet, quam favere pietati et litteris.

38. Religiosus etiam vir Paulus Aretinus in Theatinorum disciplina versatus, qui deinde Cardinalis placentinus est nuncupatus, hac ipsa honorum fuga excelluit, cum praestanti doctrina vir inter Theatinos non paucos vixerit annos, et nullo ambitu, vel minima diligentia adhibita ad Cardinalatum pervenerit, et episcopatus duo nobilissimi ipsi sint delati, placentinus et neapolitanus. Exemplis plurimis uti non est necesse ad verissimam sententiam tuendam. Michaëlem Ghislerium Cardinalem alexandrinum, Pium V. nominatum, excelsa virtute praeditum, fugientem insignia omnia honorum, ad altissimam illam Pontificatus

sedem vocatum scimus; illum Pio quarto Caroli Cardinalis nostri, quem saepe nominavimus favoribus suffectum esse Pontificem, et in pontificatu excellentium virtutum documenta dedisse constat; sententiamque illam probasse in ecclesiasticis muneribus distribuendis, ut qui episcopatum, aut ecclesiasticas dignitates peteret, eo ipso, quod peteret, esset indignus. Horum ipsorum, quos nominavi, Cardinalium et Pontificum maximorum honores fugientium hae fuerunt proprietates: novis non studere amicitiis, de se ipsis aut numquam aut raro loqui, laudare paucos, ne aucupari viderentur amicitias, excellentes viros commendatione debita non defraudare, quietam vitam ducere, principum et regum benivolentiam non sibi studiose comparare, ecclesiastica iura defendere, et moderationis exempla dare.

39. Verum enimvero, ut opusculo quod scribere instituimus, finem imponamus, horribilis illa videtur cogitatio, diabolum ruisse, quia elegit potius praeesse quam subesse. Plurimae etiam plurimorum virorum sententiae ante oculos habendae sunt; ut, quoties hominibus praeesse desidero, toties Deo meo praeire contendo. Quicumque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in caelo; nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit. Quanto quisque hic altius erigitur, tanto curis gravioribus oneratur. Aerugo mentis est appetentia dignitatum. Inanis gloria huius saeculi, fallax est suavitas et infructuosus labor, perpetuus timor, periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis cum paenitentia. Honor saeculi abiit, antequam venerit. Honores secum periculum trahunt. Cito periclitatur potestas; et quanto maior honor, eo maiora pericula. Sunt etiam aliae sententiae,

quas Spiritus sanctus protulit. Noli te efferre ne cadas, et animam tuam afficias ignominia. Iudicium durissimum fiet illis, qui praesunt; exiguo enim conceditur misericordia. Quantum glorificavit se, et fuit in deliciis, tantum date ei tormentum et luctum. Noli quaerere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham dicit, Dominus. Calcabit Deus excelsa terrae. Elevasti me, et quasi extollens allisisti me. Quid sibi volunt hae sententiae, Borromaee? Clamant fugiendos esse honores, diram detestantur ambitionem, venenum ostendunt, mortalibus aegris, pericula commemorant ut fugiantur, humilitatem commendant, prudentiam docent.

4o. Gravissimi et intestini huius morbi, caelestis medicus varia reliquit remedia, praestantissima paravit antidota, mortis meditationem et passionis Christi, sacras litteras, sanctorum plurimorum exempla. Antidotum paravimus nobis, si aliquando illo nos egere senserimus, et paucis amicis nostris quibus hoc nostrum opusculum communicabitur. Misera est ambitio, timida, fallax, crux ambientium, superbiae filia, vanitatis mater, adulationis alumna, inimica Deo, cum novum sibi constituat Deum, idolum sibi faciat honorem, quem aliquando consequuntur improbi, qui plerumque virtuti denegatur. Ambitionem, inexplebilem honorum cupiditatem, seditiones excitasse, provincias perturbasse, ecclesiam Dei afflixisse, testantur historiae; veluti fecundam perniciem orbi christiano calamitates attulisse quam plurimas, haereses innumerabiles peperisse, aluisse impietatem mahumeticam, coniurationes, periuria, fraudes, incendia, bella, caedes docuisse, insanos effecisse interdum homines, sui dissimiles, et

ferinis moribus ceteris hominibus nocentes. Verum hoc ne ambitiosi quidem negant; hoc tamen contendunt, in ambiendo esse modum; moderatum esse quoddam honoris studium, plautinum illud habent in ore, quod initio huius libri attulimus: virtute ambire oportet non favitoribus. Hoc est quod disputamus, virtutem nolumus esse servam ambitionis, ambitum nullum in ecclesiastico viro probamus, Dei gratiam avide et studiose petendam dicimus, humilitatem amandam et quaerendam, cuius novercam cum ambitionem esse sciamus, eam omnino arbitramur fugiendam.

41. In fugiendis tamen honoribus adhibendum esse modum non negaverimus: protervi enim et pertinacis ingenii est, Dei voces non audire, ad labores vocatum, laborem recusare. Interrogabis pro acumine ingenii tui, Cardinalis Borromaee, cui loquitur dominus Deus? quae sunt Dei voces? Tota vis argumenti, quod tractamus, in hoc sita est: loquitur rationibus multis dominus Deus, quod testatus est David cum dixit: audiam quid loquatur in me dominus Deus. Loquutus est Moysi, loquutus est prophetis, ore suo divino nobis communicavit mysteria, loquutus est in filio suo unigenito domino nostro Iesu Christo, loquutus est per angelos, illisque utitur tamquam ministris voluntatis suae. Vicarius Christi romanus Pontifex est Dei vox, consensio piorum et doctorum hominum divina quaedam videtur vox; principum, regum, populorum etiam vox Dei nuncupatur. Quibus in rebus haec maxime adhibenda est cautio, ut unusquisque se ipsum observet, his regulis se examinet, si inanem gloriam quaerit, si divitias sibi proponit, si elatione quadam animi, aliis cupit praeferri, si aemulatione aut potius invidia aequalium suorum ad eumdem dig-

nitatis gradum aspiret. Postremo diligenter animadvertat, num illa quam prae se fert humilitas, simulata quaedam humilitas sit, ut in eorum sit numero de quibus sapiens scripsit, qui se nequiter humiliant.

42. Quod si non bonis artibus, nimirum adulationibus, et importunitate nescio qua aulica, quis sit assuetus ad honores aspirare, nec illas quas antea enumeravi voces Dei audivit unquam; is tanquam pestiferos morbos honoris insignia fugiat, quibus eius in dies magis affligatur anima, et ad aeternam mortem properet. Tanta est clementissimi patris Dei in nos mortales benignitas, ut nos saepe ad suum admittat colloquium, dum meditamur, dum oramus aperiat nobis plerumque voluntatem suam, ut aperuisse existimandum est sanctissimo patri Thomae aquinati cum archiepiscopatum neapolitanum recusavit, et sancto Ambrosio dum episcopatum mediolanensem suscepit, postquam illum plurimos dies fugisset, ut onus angelicis humeris formidandum. Quid igitur? Fugiendos esse honores, non tamen recusandos si vocantur ad honores, si Dei voluntatem per pios viros eius ministros exploraverint, si illa capita quae paulo ante attigimus examinaverint diligenter. Quae res maximi momenti in ecclesia Dei, quia negligitur, variae perturbationes exortae sunt; sponsa Christi sancta mater ecclesia mirandum in modum afflicta est: quas omnes calamitates inde ortum habuisse iure existimaveris, quia a disciplina fugiendorum honorum plerique homines abhorruerunt, quia dira ambitio regnavit, et horrenda in christiana re publica peperit monstra. Lutherus Germaniae pestis, et orbis christiani perturbatio, sub regula sanctissimi patris Augustini aliquot annos enutritus, quia ecclesiasticas dignitates, ad quas aspira-

bat, non didicit fugere, ardenter potius expetivit, tot horribiles tragoedias in sanctam romanam apostolicam Sedem invexit. Et plerique alii haeretici apostatae in idem miseriarum barathrum praecipites ruerunt, quia honores fugere nesciverunt.

43. Verum certa regula est, quae rationibus plurimis confirmari potest, eo diligentius fugiendos esse honores, quo illi sublimiores sunt. Ita enim se res habet: superbum et inquietum animal homo, quo magis in hac lacrimarum valle evehitur, eo gravioribus periculis exponitur; ideoque de sua salute eo magis sibi timendum esse intelligat. In principatibus in regnis succedunt filii parentibus legitimis successionibus; voces hae videntur Dei. Sed o miram hominum conditionem! Historici multos commemorant, qui in rerum prosperitate, moderationem non retinuerunt, qui non meminerunt se esse homines, qui in principatibus elati insanierunt, illius muneris quod divinitus illis est inimetum obliti. Sunt principes et reges a Deo excelsum illum in locum evecti, ut sint veluti patres et pastores, ut homerico verbo utamur, populorum; ut communi consulant utilitati, ut iustitiam tueantur, ut bonas artes alant, ut pauperibus subveniant, ut divites in officio contineant, ut beatos, quantum in ipsis est, eos efficiant quibus imperant. Bonos huiusmodi principes, et nunc esse, et fuisse, non negaverimus; qui eo magis laudandi sunt, quo difficiliore in munere versantur, et maiore in ipsius administratione Dei auxilio indigent. Ex regibus Israhel paucissimos laudabiles reges observavimus, plurimos tyrannos se ostendisse perspicuum est; et Saul, cum nemo eo esset melior in Israhel, regia potestate insolens factus, Deo et hominibus invisus, inter infelices

reges numeratus est. Episcopos etiam, Cardinales, et summos Pontifices, miserrimos fuisse possemus in historiis observare, qui dignitates huiusmodi summum in primis pontificatum appetiverunt. Sed in longum nimis protraheretur nostra haec scriptio : praeter quam quod domesticas calamitates ecclesiae commemorare, et sanata quaedam vulnera refricare, molestum esset. Verissimum hoc esse nemo negaverit, Pontifices, quos tamen paucos fuisse crediderimus, qui pontificatum avide expetiverunt, illumque principum et regum aut amicorum suorum, qui suis tantum commodis prospexerunt, favoribus sunt consequuti, parum utiles ecclesiae Dei, infelices potius Pontifices extitisse; quandoquidem nulla ipsorum cum laude, cum piorum potius virorum consolatione, diem suum extremum obierunt.

44. Quid ergo ? Plautinum illud carmen, de quo in huius opusculi principio mentionem fecimus, virtute ambire oportet, probaverimus? Minime, Cardinalis Borromaee, probaverimus: expellenda est enim ab ecclesia Dei omnis ambitio, honorum appetentia exterminanda est. Si quis vocetur a Deo tamquam Aaron, sumat honorem delatum. Una et maxima vocationis regula haec sit, cum sentit se illum non appetere honorem, cum onus honori illi adiunctum intelligit, et non recusat, ne laborem videatur detrectare, nec aliorum saluti desit. Quam regulam maxime adhibendam esse censuerunt pii et sapientes viri, qui episcopatus, pontificatum ipsum fugerunt, cum in re maxime periculosa cautionem maximam adhibuissent. Quid enim pastorali munere sublimius? Quid altissima illa romani Pontificis Christi vicarii sede excelsius? In qua magna sua cum laude, et populi chri-

stiani utilitate, sedentem, Sixtum quintum conspicimus, cum legatione pro Christo fungatur maxima omnium, tamquam Christo exhortante per illum, ut populi reconcilientur Deo.

45. Quid potest esse horribilius, quam si quis Pontifex ante tribunal Christi in extremo illo die ementitae legationis accusetur; si tacuerit ubi non fuerat opus tacere, si legati officium negligenter egerit, si protervos non deterruerit, si non dissipaverit, ut Spiritus sancti verbo utamur, illos qui bella volunt, seditiosos homines christianam rem publicam perturbantes, si praetermiserit pascere verbo et exemplo universum christianum populum suae fidei creditum, pauperes etiam eleemosynis, cum illum oeconomum divitiarum suarum constituerit rex Christus? Qua in re, si iustas causas silentii sui afferre voluerit Pontifex, timendum est valde, ne in hoc succumbat, cum diligentiam maximam adhibere debeat in illis exquirendis, qui pro ipso explicent verbum Dei, et frangant panem esurientibus. Magister supremus cum sit, valde extimescendum est, ne suo muneri defuisse convincatur, cum occasiones multas praetermiserit. Cum vero beatissimus Pater nominatur, periculosum est valde, ne paternae caritatis non semper praestitae arguatur. Pontifex summus ne interdum indulgentia sua, ut homo ille non malus Heli sacerdos fecit, deteriores filios suos fecerit; durius quosdam tractaverit, oblitus dulcissimi nominis nempe patris, suprema potestate sua utens, imbecillos quosdam animos nolens afflixerit. Episcopus etiam episcoporum cum sit, quod episcopalium munerum non satis magnam curam habuerit, accusetur; in episcopis etiam creandis non semper ante oculos sibi proposuerit honorem Dei, et po-

pulorum utilitatem, sed victus precibus, benivolentiae etiam suae in aliquos indulgens, illos aliquando creaverit episcopos, quos tanta dignitate ornasse ipsum paenituerit.

46. Postremo, ut sancti Bernardi verba examinemus, ipse est sacerdos magnus, pontifex summus, princeps episcoporum, heres apostolorum, primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, cui claves traditae sunt. Tantam personam sustinere difficillimum et periculosissimum est. Quibus rationibus fuga pontificatus, ut considerata admodum et sapiens, laudanda est in illis, qui pontificatum fugerunt; inter quos sanctus fuit Gregorius magnus, ut diximus, cuius sollemne festum hodie celebramus, qui alienis vestibus indutus in spelunca delituit, ne fieret Pontifex. Petrus Moronus, qui postea Caelestinus quintus dictus est, omnium patrum consensu Pontifex declaratus, coactus pontificatum administravit, quo tamen non multo post se abdicavit. Benedictus tertius cum diu Cardinalium votis restitisset, invitus non sine lacrimis ad altissimum dignitatis gradum ascendit. Nicolaus primus in vastam quandam eremum aufugerat, a qua extractus a populo vi impulsus est, ut Pontificatum susciperet. Miratur interdum quispiam, quod praestantiores virtute viri nonnunquam gravioribus affici iniuriis, et calumniis variis opprimi videantur, ut sanctis episcopis contigit Athanasio, Iohanni chrysostomo, Basilio, et aliis quam plurimis; quibus etiam admirando Dei iudicio accidit, ut ob ipsorum excellentem virtutem tantum in illos concitatum fuerit odium, ut plurimas calamitates sint perpessi, quae tamen ipsis

maiorem honorem, et gloriam pepererunt. Athanasius adulterii accusatus, calumniam acquissimo animo pertulit, omnem remisit iniuriam, ex ea ipsa accusatione, honore virtutibus suis debito carere non potuit. Et sanctus Iohannes chrysostomus episcopus, horribile dictu! de se ipso etiam scribit: aiunt me cum muliere cubasse; exuite me, et videte membrorum meorum mortificationem. Inter has maledicorum voces, et furiosas imperatricis minas sanctus vir amicus Dei, valde honoratus erat. Ita sanctus Basilius modis variis vexatus, episcopo dignam moderationem semper retinuit.

47. Cur haec permittit dignitatum omnium distributor, et honorum omnium institutor Deus? Ut momentanea haec ab hominum voluntate pendentia testimonia, et insignia honoris contemnantur, et verus honor quaeratur, ut ad caelestem patriam referantur omnia. Quid ergo? Cum honores fugiendi sint, non tamen recusandi propter caritatem, ut christianae rei publicae consulatur, adhibitis illis regulis, quas paulo ante attigimus; cumque ne virtute quidem sit ambiendum, sed omnis exterminanda sit ambitio; plautinum carmen, quod initio huius operis citavimus sequitur ponderandum, ad quem usum revocandum proponimus. Sat habet fautorum, qui recte facit; de fabulis loquitur poëta, de applausu spectantium, de comoediarum suarum fautoribus. Cur ad usum etiam nostrum revocari non possint haec? Quandoquidem vita haec nostra fabula quaedam sit, ut probati scriptores tradiderunt, hicque quem incolimus mundus, quaedam sit scena, mors quintum claudat actum. Recte facere, est ex virtute vivere, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, bona conscientia delectari, neminem laedere,

prodesse quam plurimis ; ut uno verbo dicam, se christianum esse ostendere, imitari regis Christi humilitatem, patientiam et caritatem. Sat habere fautorum, qui sic vivit; eius enim consilia et actiones dirigit actionum bonarum auctor Deus ; favent illi angeli ministri Dei principes et reges, nullisque in rebus desunt. Prudentia magna est non confidere in hominibus, spem suam ponere in Deo, qui nec fallit, nec fefellit unquam. Orare debemus caeli et terrae moderatorem Deum, et orbis terrae rei publicae sapientissimum gubernatorem, ut hanc fugiendorum honorum disciplinam in plurimorum animis inserat: tanti fiant insignia honoris, quanti facienda sunt: virtus rebus omnibus praeferatur, quam semper verus honor, et solida gloria consequuntur. Hoc si a clementissimo patre precibus nostris impetraverimus, Cardinalis Borromaee, in ecclesia Dei bona quam plurima speranda sunt: in omnibus regnis et administrationibus felicius res succedent ; fraus, detractio, maledicentia, adulatio, maxima ex parte tollentur ; veritas, bonitas, amicitia, vera pietas, revivi-scent et florebunt in dies magis in ecclesia sancta Dei. Quod magnopere a nobis expetendum est, et assiduis precibus a Deo postulandum.

18. Libellum hunc, quem scripsi, ut Cardinalis optimi et mei amantissimi voluntati obsequerer, legendum esse perpaucis putaverim, ne soli nos videamur sapere, ne industriam nescio quam, tolerabilem a quam plurimis existimatam, vituperemus nos homines alioqui non asperi, et minime difficiles ; sed potius aliorum actiones in meliorem partem interpretantes, alios nobis libenter anteponentes. Nullam ipse huius scriptionis meae mercedem postulo laudem. Quis enim opusculum non satis diligenter scriptum, dictatum po-

tius, in quo nec ordo adhibitus est magnus, reconditarum rerum nulla est copia, nec ulla vel minima est elegantia verborum, iure laudare possit? Probabis tu conatum meum, amabis, certo scio, meum erga te studium, non iniucundum tibi esse poterit novum hoc testimonium singularis mei erga te amoris. Haec mea sit mercedula laboris, haec mea laus, Cardinali optimo Borromaeo, quem unice diligo, et valde observo in hac quaestione de fugiendis honoribus tractanda, me satisfecisse.

EDITORIS ADNOTATIO.

Invideamus saeculo, quod talem ecclesiae dedit episcopum et Cardinalem. Quanta in his opusculis sapientia! quae vis prudentiae! quantus humanarum rerum contemptus! quam eximia virtus et sanctimonia relucent! Ausim prope dicere: Cardinalem Valerium magnis ecclesiae patribus, sanctissimis illis prisci aevi episcopis, esse comparandum. Cardinalis vero Federicus Borromaeus, in sinu beati Philippi enutritus, cuius etiam anima appellabatur; his insuper Cardinalis Valerii praeceptis informatus (neque his solum, sed et illo opusculo de occupationibus Cardinale diacono dignis, quod alibi edidimus, itemque aliis scriptis) quantus evasit! Scit Mediolanensis ecclesia, quam ·XXXV· annis sapientissime atque utilissime rexit; scit Ambrosiana bibliotheca ab eo infinitis sumptibus exstructa, codicibus impressisque libris repleta, in qua nos ipsi studiorum rudimenta posuimus. Salvete, animae sanctissimae, et me clientulum in vestrum caelestem coetum, cum Deus annuerit, recipite!

ANTONII MARIAE GRATIANI

EPISCOPI AMERINI

DE DESPOTA VALACHORUM PRINCIPE

LIBRI TRES

AD NICOLAUM THOMICIUM ADOLESCENTEM ILLUSTREM.

LIBER I.

1. Quum Despotae initia atque exitum leges, constitutum mihi non est, Thomici (1), magis ne sis fortunae facilitatem in deferendo ei regno an in auferendo levitatem, accusaturus. Nemo quidem certe minori unquam negotio sese altius extulit, nemo celerius praeceps decidit. Qui eo sublatus, ut graviore casu rueret, et singulare posteris colludentis fortunae exemplum relinqueret, videri possit. Quae me res, vel ipsa cogitatione humanae sortis operae pretium habitura, eius fabulam eventumque tibi a me saepe id petenti, ut scriberem, impulit; eo quidem minus repugnantem, quod et in Russiam, finitimaque Valachiae loca, ubi haec acta sunt, venire me contigit, paene illo ipso tempore, cum acciderunt; et omnia ab iis accipere, qui rebus omnibus interfuerunt. Tu vero iam nunc caecos contemplare hominum casus, quibus subiectam ducimus vitam, et quam fluxa, quam non stabilis conditio sit eorum, qui se ita fortunae permiserunt, nihil ut sibi in se ipsis reliqui fecerint; quam vero etiam consilium sit ipsum fallax, cum a divina ratione recesserit, expende.

(1) De hoc nobili adolescente polono, ad quem non Gratianus solum sed etiam Card. Valerius scripta misit, satis diximus in praefatione.

2. Cuius rei, etsi ipsa studia, in quibus versaris, satis multa exempla suppeditare possunt ex antiquis rerum scriptoribus, tamen recentissimum quodque maxime insidere mentibus solet. Nec sane est alius res gestas legentium fructus uberior, dum intenditur animus ad eas artes, quibus aut partum imperium, aut amissum fuerit. Te vero hoc decet maxime, Thomici, qui et eo loco es natus, ut a patre accepturus sis, quibus imperes; et in te unum omnia natura contulit, quae evasuro in summum virum expeti posse videantur; genus, opes, ingenium, vim animi et corporis. Atque haec, quibus certe maiora homini tribui non possunt, sic tu studiis optimarum disciplinarum excoluisti, sic modestia, sic totius vitae religione, supra aetatis tuae captum, ornasti; sic denique condivisti humanitate, et commoditate morum, ut quam expectationem divinae prope indolis veniens in Italiam excitaras, eam non sustinueris modo per hoc triennium, sed plane iam in virtutis admirationem converteris: ut te uno in ista urbe (1), et sapientiae et praestantissimarum artium sede, istaque nobilium iuvenum frequentia, nemo neque fama ingenii clarior, neque gratia florentior, unquam fuerit. Quod si istis ire itineribus perrexeris, equidem haud scio (nec me noster fallit amor) quem terminum habitura sit tua gloria. Verum de te alius erit dicendi locus; nunc quod quaeris de Despota cognosce.

3. Cum captam Coronem in Peloponneso anno salutis ·M·D·XXXIIII· Hispani deseruissent, nobiles graeci homines, qui in spem erecti excutiendae Turcarum servitutis, Caroli quinti partes secuti fuerant, ad ipsum

(1) Intellige Patavium, ubi tunc Thomicius operam studiis dabat.

in Belgas confugerunt; in his ·N· Heraclides, cuius maiores Pari et Sami insularum regnum obtinuerant (Despotas graeci appellant) ut patria amissa Caesari operam suam navaret. A quo cum propter familiae dignitatem, tum propter recentia eius coronensi bello merita, honeste habitus, aliquot post annis vita excessit. Erat in eius familia cretensis quidam, Iohannes nomine, parentibus ortus obscuris, quippe cuius patrem navicularium fecisse constat. Verum ipse, ut homo graecus, acri sane et ad omnia prompto ingenio; qui cum Romae adolescens plures annos in bibliotheca vaticana describendis libris operam locasset, et cum lingua speciem quandam romanae elegantiae didicisset; graecis praeterea latinisque litteris, gallico, et hispanico sermone instructus, assiduitate et diligentia sua tantam apud dominum gratiam inierat, ut filii paene loco ab eo haberetur, rerumque et consiliorum omnium particeps esset. Qui gratiae intimus locus plerosque in eam opinionem adduxit, ut eum Despotae sanguine coniunctum existimarent; idque hominis postea commento ut fides haberetur, facile ansam praebuit. Is enim, Despota mortuo, ut erat disertus et eruditus, familiae persuadet, ut se fratris filium Despotae asserat, ne ab alienis occupata, ipsi hereditate excludantur. Pollicetur se omnia inter ipsos divisurum; et tabulis modo scriptisque Despotae contentum, reliqua libenti animo remissurum. Quod cum facile persuasisset, rem ficto nomini anteferentibus, pecuniam fortunasque omnes remittit, scriptis potitur, et ex graeculo scriba Heraclides repente factus, se pro Despota habere coepit. Multos inde post annos a Caesare, qui fastidio humanarum rerum omni imperii regnorumque relicta administratione, in Hi-

spanias, solitudinemque secedebat, haud difficile impetrat, ut fratris filius Despotae, eiusque heres declaretur, sibique egregiae in bello navatae operae (nam inter levis armaturae equites Epirotarum stipendia meruerat) testimonium tribuatur. Quamquam in dividundo orta inter conservos controversia, alienum illum falsumque heredem esse, ante rumoris nescio quid afflaverat; sed curante id nemine, ipse auctoritate Caesaris Despota appellatus, ex Belgis Lubecam, quod est oppidum in extremis Germaniae finibus ad Balticum mare situm, navigavit; ac se regio ortum sanguine, a Turcis pulsum apud omnes venditans, Caesaris ea de re diploma ostentans, in principum etiam virorum amicitias se insinuabat.

4. Lubeca in Daniam, quae cimbrica Chersonesus veteribus fuit, venit; et humaniter a Federico rege acceptus, muneribus donatus, in Sveciam transmisit; et eius quoque regis liberalitate usus, Dantiscum ad Vistulae ostium nobile emporium, traiecit; unde pedibus Regium montem ad Albertum Brandeburgensem in Prussia regulum, se contulit, cum eruditione et nobilium linguarum intelligentia, tum officiorum dexteritate, facile sibi principum ultimarum gentium animos concilians. Atque Albertus quidem in Lithuaniam ad Poloniae regem proficiscenti, praeter munera, litteras quoque ad Nicolaum Radivillum palatinum Vilnensem, principem virum, dedit; quibus eum diligentissime commendabat: a quo Vilnam adveniens Lithuaniae caput, ubi Sigismundus Augustus rex frequens habitare consueverat, hospitio accipitur, ab eo ad regem perducitur, eique accurate commendatur. Ibi Despota, ut se in Palatini consuetudinem insinuaret, eiusque patrocinio, si posset, niteretur, hominis vi-

que uxore affinem credentibus humaniter acceptus, et in praecipuo honore est habitus.

6. Apud quos dum versatur, ut id quod animo parturiebat, facilius aliquando pareret, nihil habuit antiquius, quam ut linguam eius quoque gentis addisceret, sibique quam multos ex omni nobilitate adiungeret. Quod utrumque ingenii commoditate, et elegantia morum paucis mensibus est assecutus. Praedicabat etiam se a Valachis ortum, maioresque suos ibi regnasse, cuius rei satis belle a se confictam historiam afferebat. Quod barbaris hominibus, et non modo aliarum gentium, sed suarum etiam rerum ignaris, haud difficile erat persuadere; in eoque ita felix fuit, ut brevi rudem illam nobilitatem totam sibi addictam haberet. Alexander autem, propter insignem ac inauditam paene feritatem, suorum odio flagrabat; quippe cuius iussu multis hominum milibus desectae nares, praecisae manus, effossi oculi essent; quorum bona pars miserabiliter visebatur illo tempore, passimque in omnium oculos incurrebat. Atque hanc naturae atrocitatem avaritiae aequabat, ut incertum esset caede an praeda magis laetaretur.

7. His confisus Despota, coepit clam apud nonnullos, quos maxime infensos Alexandro sciebat, cruentas eius rapinas insectari, et detestari immanitatem: interdum illorum aerumnas cum miseratione deplorans, interdum increpans vix diguam servis patientiam, et degeneres animos, quos non desperatione abiicere, sed audacia, in qua unicum perfugium est miseris, ad se ipsos tuendos vindicandosque a saevo perditi hominis dominatu, acuere deberent; res magnas sine magno periculo nec incipi nec perfici; ipsos tamen, si viri esse voluerint, haud difficile negotium suscepturos; sin

desides metu terreantur, in foeda servitute contabescendum iis fore. Haec quamquam libenter ab iis, et suam fortunam miserantibus audiebantur, nemo tamen tyranni metu hiscere audebat. Quod tanta in Alexandro erat saevitia, ut quos suspectos aut exosos haberet, vel levissimis de causis, non solum ipsos morti dabat, sed integras nonnunquam tollebat familias, publicatis et ad se conversis earum bonis. Qua ex re, cum pari invidia, magnas sibi divitias comparaverat.

8. Sed his Despotae sermonibus ad Alexandrum delatis, cui pridem suspecta esse coeperat nimia sagacis hominis apud suos gratia, eum veneno tollendum mandavit Verum re per amicos Despotae enunciata, confirmatis iis, quos ausuros aliquid, et studere sibi intellexerat, cohortatusque ut teterrimi tyranni iugum aliquando deiicerent, seque eis non defuturum pollicitus, provincia excessit, et ad Maximilianum Ferdinandi filium, Hungariae tum regem designatum, sese contulit, ab eo summis precibus contendit, ut se auxilio atque opibus contra immanissimum tyrannum Turcis addictum iuvet: quam parvi negotii res sit illam beluam, infensis populis, exturbare regno, edocet; simul demonstrat quantam opportunitatem habitura sit ea provincia, ad arcendos finibus Hungariae Turcas, si in amici hominis, et ei omnia accepta referentis, potestatem pervenerit: ac ne vana afferre, et inani spe ductus haec postulare videretur, binas littteras principum nobilitatis nomine Valachia ad se perlatas protulit, singulorum chirographo signisque consignatas; quibus si armatus provinciam ingrederetur, regnum, trucidato sive expulso Alexandro, sibi pollicebantur.

9. Nec falsa haec narrabat; Valachorum enim prin-

cipes, ut sunt versuto ingenio, postquam Despotam ad Maximilianum confugisse, ac bellum moliri cognoverunt, Alexandrum prodere, prodendi Despotae simulatione aggrediuntur. Ad eum adeunt, et si permittat, rationem se invenisse aiunt, qua Despotam vivum in eius potestatem dedant: proditionem simulantes, Despotam in Valachiam vocaturos: facile spe regni pellectum in laqueos perductum iri. Re probata, binas litteras Despotae scribunt, alteras de Alexandri sententia; alteras quibus de suo consilio Despotam certiorem faciebant, et ut serio adventum maturaret, etiam atque etiam hortabantur. Verum Maximiliano multa pollicito, rem ex die in diem ducente, quod sibi omnia prius diligentius exploranda iudicabat, consilium sibi ipse capit, et multorum opibus, qui eo tempore novas res in Polonia molientes eum magna tentantem sibi devincire cupiebant, collecta haud exigua manu, plenus fiducia in Valachiam ire contendit; nihil dubitans, Valachos crudelem Alexandri dominatum perosos, simul atque armatum sese ostentasset, ab eo omnes defecturos.

10. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus ipse copias in eam provinciam duceret; unum multo facilius per Russos; alterum per Ceculos populos, qui Transilvaniae montes incolunt, brevius, sed difficile, atque impeditum. Placuit per Russiam ire. Ea est provincia, quâ a Valachia flumine Tira dividitur, sub imperio regis Poloniae; cuius iussu, advenienti Despotae Palatinus Russiae (sic enim provinciarum praefectos Poloni appellant) vir bello clarus, magno equitatu sese opposuit. Despota et numero, et robore militum, et rebus omnibus impar, ne congredi quidem ausus, dissipatis copiis, ac nonnullis minoribus tor-

mentis, et omni militari instrumento amisso, rursus ad Maximilianum refugit. Forte offendit apud eum Albertum Laschium polonum, Hieronymi filium, illius quo internuntio cuiusque ope et consilio, Iohannes Vaivoda Transilvaniae a Solimano Turcarum tyranno rex Hungariae appellatus, et constitutus fuit, virum paternos gerentem spiritus, aetate, opibus, et gratia apud Maximilianum florentem, rerum novarum, et gloriae cupiditate incensum. Hunc communicatis consiliis amicitia sibi adiungit, magna spe, et pollicitationibus pellectum: ac per eum a Maximiliano impetrat, ut Hungariae praefectis mandet idoneo militum numero ad dictam diem Laschio ut praesto sint: ipsi per Rutellium Sequanum, Viennae Germanorum atque Italorum delectum habent.

11. Haec dum parantur, ut Alexandrum metu liberatum, et eo imparatiorem invaderet, Despota in in Chesmarco Laschii oppido, morbum simulat; emissisque rumoribus ingravescentis morbi, paulo post, quo Alexandri speculatorem falleret, quem Chesmarchi esse compererat, mortem suam enunciari iubet; atque ut eius rei maiorem fidem faceret, occlusum feretro, et atris tectum pannis, se pro mortuo efferri sustinuit. Interea Valachos, quos sibi fidos habebat, occultissimis nunciis confirmat, maturi adventus sui spem facit, et ut sese ad excutiendam servitutem comparent, hortatur. Cum milites convenissent, numero ad quatuor milia, quorum mille quingenti erant equites, atque in his ducenti Germani, eorum quos ab neglecto atque horrido cultu corporis, nigros vocant; plures Itali, Galli nonnulli, per Transilvaniae montes, minime repentino eorum adventu munitos, deiectis agrestibus incolis, in Valachiam transcenderunt.

12. Hoc cognito Alexander, quo nuper solutior metu nunciata Despotae morte fuerat, eo vehementius novo nuntio perculsus, extemplo, ne si quid instaret adversi, omnium simul rerum discrimen subire cogeretur, uxorem cum liberis, et pretiosiore suppellectile ad Danubium praemittit, atque ibi eventum rei expectare iubet. Ipse copiis tumultuarie coactis, Despotae occurrere properat, et cum eo conserere manus, ante quam suis res novas moliendi spatium detur. Sed tyrannorum ingenio, ut in dominatu atrox, ita in periculo timidus, cum ei, ex conscientia, in se unum stricti omnium gladii viderentur, commisso vix proelio, acie excessit, et deposito clam regio ornatu, militari veste assumpta, cum paucis servis, quibus salutem suam committere audebat, nunquam intermisso cursu, ad Danubium pervenit, protinusque Byzantium ad Turcarum regem perrexit. Cuius cognita fuga, qui eius partes tutabantur, et acre cum Despotae militibus ad Pontem (id loco nomen est) proelium miscuerant, amisso regni vexillo, terga verterunt. Valachi missis, qui frustra Alexandrum persequerentur, magnis in eius caput propositis praemiis, ingenti laetitia Despotam suscipiunt, et parentem et liberatorem suum conclamant. Itaque Despota sine proelio, sine sanguine, atque adeo sine controversia tantam rem, tam parvo negotio confecit, et quasi ad accipiendum paternum regnum, non ad occupandum alienum venisset, continuo Vaivoda a Valachis salutatur, amplaque provincia potitur, salutis anno ·M·D·LX·

13. Est Valachia, quam Dacos olim et Getas incoluisse arbitramur, in duas divisa partes; quarum altera, quae ad meridiem vergit, montana et aspera, Valachia transalpina appellatur. Altera plana, agro

virisque opulentior ad septentriónem spectans, Moldavia dicitur; utrique Vaivodae imperant, sic enim ipsi suos regulos appellant; utraque Turcarum vectigalis. Moldavia in latitudinem duodecim dierum iter expedito patet, tantundem in longitudinem; et qua ad Euxinum pontum porrigitur, longissimo tractu ad Biallogradum usque pertinet; sed ea sunt loca vasta, et ab omni cultura hominum deserta, propter continuas Tartarorum incursiones. Agri summa est fertilitas, verum homines minime agriculturae dediti, frumenti tantum seminant, quantum sit ad annuum victum satis; sementes, non ante kalendas apriles faciunt. Vino non quidem carent, sed multum utuntur mulso, quippe qui melle abundent. Pecudum vero incredibilis paene copia, boves duodecim trahendo aratro iungunt, hisque alendis magis propter egregia pascua, quam colendo agro student. Vitulum caedere religio est. Porro ex Valachia educitur illa boum vis, quorum carnibus non proximi modo populi Hungariae, et Russiae, verum etiam Poloni, Germani, atque ipsa denique Italia, et civitas in primis Venetiarum, magnopere vescuntur. Hos Veneti hungaricos boves appellant, ceterisque eius generis carnibus praeferunt. Boum nundinae in Valachia quotannis septies, magna mercatorum celebritate, in patentissimis campis habentur, ad quas singulas multa admodum boum milia compelli solent, ubi triduo in unius capitis pretio, quo reliqua multitudo exaequatur, constituendo a mercatoribus consumpto, quod raro tres aureos nummos excedit, omnis illa boum vis paucarum horarum spatio divenditur, inque varias regiones abducitur. Ex ea re magnum quaestum faciunt nobiles, qui armenta alunt, ipseque adeo Vaivoda inde maxime ditescit; nam et ipse magnum boum numerum

ex suis praediis quotannis vendere solet, et ex his nundinis magnopere eius augentur vectigalia. Regulo ad quadringenta milia aureorum nummûm in aerarium ex totius provinciae proventu a quaestoribus quotannis inferuntur ; quorum sexaginta milia tributi nomine Turcarum regi penduntur.

14. Oppida Valachi perpauca habent, pagos vicosque incolunt, casis trabe paleaque exaedificatis contenti, quibus vim hiemis arceant. Tres arces a recentioribus Vaivodis communitas habent; Suchiavae, quae Vaivodae est regia ; Chotini ad Tiram, Nemeti ad Seretum flumina. Ius scriptum habent nullum, sed omnia regis aut iudicis arbitrio permittuntur, reguntur-que per manus tradita consuetudine. Accusator si ter conceptis more gentis verbis iuraverit, vera esse quae defert, reus damnatur. Item debitor, si solvendo se non esse, iure iurando affirmaverit (tanta religioni fides!) debitum remittitur. Si quis spoliatus fuerit, quod mercatoribus haud raro accidere solet, ab iis repetit ablatum, in quorum agro iniuriam accepit ; atque ei iubente principe ex communi eius municipii aut pagi tributo satisfit. Lingua utuntur sua, eaque haud magnopere latinae dissimili. Latinorum enim coloniam, post devictam a Traiano imperatore gentem, eo deductam ferunt. Verum diuturnitate temporis, et barbarorum permixtione, depravato sermone, latinas voces, vel mutatis litteris, vel sono ipso horridiore, sic proferunt, ut a nostris hominibus primo non nisi adhibita attentione et diligentia, intelligantur ; sed ubi paulum assueverunt, facile totam linguam assequuntur.

15. Christianae fidei ritus, ut a Graecis acceperunt, ita studiosissime colunt. Matrimonia viri vel minimis de causis saepe solvunt, remisso uxori nuncio, pen-

sisque fisco duodecim denariis. Belli magis, quam pacis, studia sectantur. Cum Scythis, sive Tartaris tauricam Chersonesum incolentibus, quo a fossa, quam toto duxerunt isthmo, Prsecops eorum lingua appellato, Prsecopienses dicuntur: continentibus fere bellis, seu verius latrociniis (vix enim umquam accidit, ut iusto bello contendant) exercentur: aut enim eorum incursiones repellunt, aut ultro ipsi in eorum agros incurrunt. Genus ipsum hominum vafrum, procero firmoque corpore, et bello ferox; armantur praelonga hasta, clypeo et falcato gladio, turcico maxime armatu; pauci ferream clavam, plerique securim afferunt. Tanta autem audacia proelium incunt, tantaque hostium contemptione, et fiducia sui, ut saepe haud magna manu vel integros finitimorum exercitus fuderint: suis magis dissensionibus debilitati, quam bello victi, a Turcis subacti sunt. Quadraginta milia equitum, si totis decertandum sit viribus, conficere possunt: peditum fere nullus est apud illas gentes usus, tum quia vilissimo genere hominum constant, tum quia celeritate et copia equorum inutilis redditur. Equos habent paucos, sed summi laboris; stabulis haud magnopere assuescunt; vel media hieme pascuntur in agris, et quotidiana exercitatione necessitateque edocti, gramen tegentem glaciem ungula frangunt, quamvis ferreis soleis careant.

16. Vaivodas reges suos Valachi instar numinis venerantur, summeque colunt: eosdem tyrannice fere imperantes, cum eorum dominatus pertaesum est, non solum regno eiiciunt, sed omnibus interdum cruciatibus necant; ac perpaucis necessitati naturae, aut vi aliqua morbi consumi contigit. Nobilitas plebem servorum paene loco habet, rex ipse nobilitatem. Petrus

conspiratione nobilium regno expulsus, fugiens, aureos nummos, quibus colligendis persecutores tardarentur, dispersit, atque ita eorum manus evasit. Idem paulo post, cum Stephanus, quem in eius locum barbari suffecerant, amore turcicae puellae captus Mahumetis se impiae sectae addixisset, et ob id iniquam tyrannidem Turcarum more exercens, obtruncatus a popularibus esset, revocatus in regnum, universam paene nobilitatem sustulit, novos ipse nobiles legit. In principatu adipiscendo iis, qui opibus pollent, multum affert momenti decora facies, proceritas, et forma corporis, quam barbari maxime in suis regibus requirunt, usque eo, ut siquis forte membro aliquo captus, aut cicatrice, aliove corporis vitio deformis fuerit, ei vel nobilissimo, minus nobilem excellenti forma, facile, praeferant. Post Petri mortem, Zoldam tumultuariis multitudinis suffragiis Vaivodam conclamatum, biduo post immissi equites ab Alexandro, quem exulem socii regem elegerant, in vico quodam ab omni praesidio imparatum oppresserunt, atque ei confestim, ante quam sui opem ferre possent, nares amputarunt; quod ubi in vulgus cognitum est, universa ab eo multitudo discessit, atque Alexandrum regem recepit, cum quem a Despota expulsum iam diximus.

LIBER II.

1. Horum igitur regnum adeptus Despota, primum omnium in eam curam incubuit, ut imperii et Vaivodae insignia a Solimano, cuius uti diximus Valachi sunt vectigales, impetraret; sociusque et Vaivoda appellaretur. Nam Alexander qui post fugam Byzantium se receperat, Solimani animum in Despotam mo-

dis omnibus incitabat : rumores sparserat Despotam cum magnis Germanorum auxiliis, adiunctis Valachis, in Thraciam impetum facturum, atque ipsam imperii sedem Byzantium invasurum. Quae res cum reliquis omnibus Turcis, tum ipsi regi non parum terroris attulisse dicitur, quod et se imparatum opprimi posse, intelligeret, et hominem graecum a graecis hominibus, Turcarum imperium indignissime ferentibus, cupidissimis animis exceptum iri non ignorabat; et sunt, qui praeclaram tunc affligendi subita nec opinata irruptione turcici nominis, occasionem praetermissam existiment.

a. His delationibus Alexander iam perfecerat, ut se quamquam ob nefarios et crudeles mores invisum, armis reducendum rex decerneret. Verum Despota missis celeriter Constantinopolim oratoribus gentis nobilissimis, Alexandri scelera insectando, et profusissime largiendo, celeriter Bassas in suas partes traduxit; et per eos Solimano commendatus, virtutis amantiori, quam barbara fert consuetudo, additis veteri tributo decem milibus aureorum nummûm, rem obtinuit; et Vaivoda est appellatus, atque insuper muneribus a rege honestatus. Post haec cum Sigismundo Augusto rege Poloniae, a quo transitu in Valachiam prohibitum diximus, in gratiam redit, et antiquum foedus, quod Valachis est cum Polonis, renovat: Laschio ob navatam operam Chotinum oppidum cum munita arce in finibus Russiae ad flumen Tiram, quod incolae Niester appellant, attribuit; et iuris dictionis aequitate, et humanitatis specie, suorum studia hominum tenere instituit. Atque, ut animum haudquaquam fortunae imparem ostentaret, ea nobilium frequentia celebrari assidue regiam volebat, ea aulam opulentia

luxuque auxerat, ut cultu corporis, et splendore vitae, magnos reges superare conaretur.

3. Sed nihil est, quod aut mutet, aut certe aperiat magis uniuscuiusque mores, quam imperium, et adepta supra leges potestas: largitorem in inopia habitum, vix dum insidentem in regni solio, summa cogendae pecuniae seu libido, sive ut ipse ferebat, necessitas invasit: nam aerarium, thesaurosque regios Turcis apud Constantinopolim largiendo exhaustos habebat; praeterquam quod Alexander fugiens gemmas, et caelati argenti magnum pondus secum abstulerat, sibi vero novo homini, et ad illud fastigium incerta fortunae aura subvecto, et adhuc ab amicis inopi, ad patranda quae animo agitabat consilia, stabiliendumque regnum, pecunia maxime opus esse existimabat. Igitur sumptui parcendi gratia, pernicioso ut mox patuit consilio, Germanos et italicae nationis milites, quorum potissimum opera adiutus, et quorum fides et virtus ad omnes casus reservanda fuerat, cum Rutellio missos fecit, atque Hungaris incertae fidei hominibus, parva mercede conductis, salutem suam commisit, et corporis custodes adhibuit; ita ludente fortuna, ut regnum fortuito partum, inconsideratius etiam amitteret. Hoc facto, ad augendos annuos fructus edixit, ut aratores sationum quique suarum iugera duplicarent, et vectigalia omnium rerum tota ditione auxit. Quod etsi ad commendanda regni initia, et ad iungendas sibi hominum voluntates minime opportunum, et iis inexpectatum accidit, qui sibi optimum et perbenignum principem polliciti fuerant, tamen haud iniuste factum ab eo pecuniarum indigente videri poterat, si intra hos fines immoderatam cupiditatem continuisset.

4. Verum fortunae ludibrio, futuri animum igna-

rum, et infectum ante vilnensi impietate, ad templa multo auro argentoque referta (est enim illa natio admodum dedita religioni) adiecit; et fit fere, ut qui novas secuti sectas, a veterum religione et romanae ecclesiae observantia discedunt, primum omnium sacerdotum bonis fortunisque inhient; et ii maximam pietatis laudem ab eorum disciplinae doctoribus ferant, (tanta est partium rabies!) qui divino cultui splendorique dicatas res diripiunt, fana diruunt, sacerdotes irrisionibus contumeliisque vexant. Id Despota, ut ratione ab se fieri non cupidine videretur, primo perraro adire templa, abstinere eorum sacrificiis, mox etiam irridere, et per iocum obiectare principibus indignam viris credulitatem, qui tantum tribuerent inveteratae vulgi opinioni, ut se paterentur anilibus superstitionibus obligari; pia mente sensuque, non inani caerimonia, et verborum praestigiis rite coli placarique Deum, cetera ex hominum commentis esse. Ad hoc saepe in sacerdotes iocans dicta cum aculeis contumeliarum iacere, monachos aversari maxime, perinde ac si eorum aspectu laederetur: post liberius, sacrum (quod missam appellamus) detestari, et acerbe insectari maledictis; opiniones de Deo falsas esse arguere; disserere ipse de divinis praeceptionibus, suam sententiam confirmare sacrorum librorum auctoritate; denique non obscure ferre, daturum se operam esse, ut vana abrogarentur sacra, ritusque, et infixus eorum mentibus error evelleretur.

5. Offendebant haec homines suorum sacrorum retinentissimos, eo magis, quo minus expectaverant, minusque refellere ipsi quae a Despota dicebantur, ob ignorantiam earum rerum, poterant; maiorum enim institutis fideque insistentes, religiose magis quae docte

Deum colere didicerant. Commovit vero vehementer, quod Despota Lismaninum nescio quem doctrinae a Iohanne Calvino inventae magistrum, et alios eiusdem sectae homines in dicendo exercitatos, e Polonia acciverat, per quos his de rebus populus erudiretur. Horum, ut est quisque maxime confidens, ita acerrime invehi solet in missam, et sacrum illud, inexpiabile commissum appellare; divinum illum panem, quo verissimum ac sacrosanctum Iesu Christi corpus, maioribus mysteriis, quam quae capere intelligentia nostra possit, continetur, pro ridiculo habere: simulacra Dei, divorumque passim deiicere, confringere, incendere, omnes divinorum officiorum caerimonias respuere, et suam cum sacrarum litterarum testimoniis sententiam convenire, arroganter affirmare. Ac Despota privata sacra facere domi, ad ea primos quosque amicorum invitare, recusantibus adesse irasci, adgredi interdum et commonere singulos, ut tandem se respicerent, et animos a vanitate ad solidam religionem revocarent. In his paratos aculeos et maledicta in sacerdotes contorquens, inscitiam, ignaviam, mores, totam denique vitam eorum criminibus exagitare, per illorum maxime turpitudinem, sacris religionique odium struens. Secundum haec ubi sententiam voluntatemque suam satis se indicasse arbitratus est, properata cupiditate, detrahere delubris aurum, sacra vasa, vestemque, et ut quaeque pretiosiora erant, multis locis auferre. Quod per se indignum, Valachi eo ferebant acerbius, quod se insuper derideri putabant, praedicante Despota ea se religionis studio incoepisse, quo sublata superstitione, in cuius usum illa comparata essent, veram pietatem cultumque, ad eam diem sive neglectum, sive ignoratum, restitueret; daemonum esse mancipia qui secus sentirent.

6. His rebus languescere primum, deinde prorsus extingui hominum in illum studia; post offensis animis etiam accendi odium. Sic enim intelligebant, et imminere eius cupiditatem universis sacerdotum fortunis, qui dictitaret, iniquum esse, tam iners, et ventri deditum genus, tam bonis praediis saginari; et nimirum, cuius libido rebus sacris non parceret, iis absumptis, multo minus a privatorum facultatibus temperaturam. Flagrantem iam harum rerum infamia, in maximum invidiae incendium coniecit novum et sane a christiana consuetudine ac religione abhorrens facinus. Cruces erant aliquot argenteae satis magni ponderis, caelatae auro, ac pretiosis lapillis distinctae, et sanctae non reliquiis magis, quas inclusas continebant, quam ipsa vetustate habitae. Eas Despota e sacrariis ereptas conflari, et in monetam cudi, imagine sua insculpta nummis, iussit. Id vero ita indignum omnibus visum est, tantumque inde odii ac doloris exarsit, ut prorsus constet id factum Despotae exitium attulisse. Tanta tum quidem rei offensio fuit, ut plerique illa uti pecunia religioni haberent. Sic alienatis omnium animis, cum sacerdotes omnibus iniuriis expositi sacrorum causam non desererent; sed monendo hortandoque nobiles ad tuendam, quam a maioribus acceperant religionis fidem, accenderent; apparebat non solum omnes delati regni paenitere, sed paratis ad rebellionem animis, et natura infidis, duces modo deesse; praesertim quod multorum sermonibus increbuerat, ipsum pseudo Despotam esse, et nequaquam Heraclidum gente ortum.

7. Huc accedebat quod militibus, quos circum se habebat solvendis stipendiis, tributum aratoribus plebique imposuerat, cuius consilii auctores ipsi fuerant

nobiles, qui eo facto populares, quos adhuc Despota iustitiae opinione retinebat, penitus avertere ab eo cupiebant: secreto vero ipsi in privatis colloquiis Despotam carpere, seque spe sua deceptos queri, qui nefarium tyrannum, animi vitia humanitatis specie occultantem, pro optimo rege ultro accersivissent; cuius immanis avaritia sanctissimis, et ad eam diem ne a Turcis quidem hostibus violatis immortalis Dei delubris, sacrilegas manus iniicere non esset verita. Qui cum pietatem religionemque omnem exuisset, Christumque ipsum Deum colere desiisset, potentibus quibusdam externis hominibus gratificans, novas religiones cultusque pro sua libidine induceret, et prae quaestu nihil sanctum existimaret. Iam qui se Alexandri tyrannidis ultorem glorietur, Alexandro ipso scelestiorem existere. Illius enim saevitiam hominum multis exsatiatam esse, huius impietatem caelestibus divis inexpiabile bellum intulisse, qui de templorum insignibus atque ornamentis, summa maiorum religione dedicatis, tanquam de hostium spoliis praedas agat: se quoque illo piaculo universos teneri, et nisi sceleratae audaciae obviam eant, gravissimos ipsos poenas Deo persoluturos. An suas iniurias saepe tyrannorum suppliciis ulti, tantum in Deum scelus impunitum esse sinent?

8. His vocibus, quae saepe inter ipsos iactabantur doloris et indignationis plenae, alii alios querendo accendebant; atque ita occulte, nihil ut persentisceret Despota, qui suis confisus fatis, sic despexerat inculta et dominatui assueta ingenia, ut tamquam in servorum familia, cuncta auderet, quaecumque animo cum praesenti felicitate, tum maiori spe inflato, collibuissent, nihili pendens gratia inde an offensio se-

queretur. Rem ingentis invidiae, et sua sponte ad furorem, et ad ultima consilia inclinantem, haud mediocriter impellebat praetorianorum (et ii doctrinam spernentem ecclesiam sequebantur) intoleranda licentia, cum in sacerdotes, tum in ipsam quoque nobilitatem; cuius querelas saepe reiecerat Despota, omnia indulgens militibus quo sibi fideliores; magisque addictos efficeret. Ergo iisdem auctoribus, quibus Alexander electus fuerat, Mozuccha ferocis ac turbidi ingenii viro, et Spanzuchio regiarum copiarum praefecto, principibus nobilitatis, clam eius interficiendi consilia inibantur. Hos enim praeter publicum dolorem violatae religionis, privatum instigabat odium, quod contemptos se ab eo, atque neglectos existimabant, qui cum eius recipiendi auctores fuissent, eos minime participes fortunae haberet, quin infensum sibi propter eorum apud nobiles gratiam et auctoritatem intelligebant.

9. Hoc ipso tempore Albertus Laschius, cuius opibus adiutum Despotam, et cui Chotinum attributum supra demonstravimus, ab eius amicitia discesserat: nam ex occulta suspicione, simultate inter ipsos orta, cum Laschius in Polonia abesset, Despota per simulationem obeundi regni Chotinum venit; et ingressus arcem, emisso Laschii praesidio, suis militibus custodiendam tradidit. Qua iniuria incensus Laschius, sumptus octoginta milium aureorum nummûm, quos in bellum se fecisse aiebat, ab Despota reposcebat; ille plus viginti milibus insumptum negabat. Dum internunciis disceptationibusque contendunt, Laschius ingratum hominis animum execratus, iniuriae impatiens, et vindictae avidus, Demetrium Visniowieczkium in Despotam excitat; et icto cum eo foedere, consilii

socium sibi adiungit. Is erat natione lithuanus, non longe a Valachorum finibus illustri ortus familia, opibus, clientelis, et eognationibus valens; et militaris virtutis scientiaeque opinione, magnae apud finitimos auctoritatis; quamquam inconstantiae labe notatus, quod modo Turcis, modo Moscis vicinis gentibus militans, neutris fidem servaverat. Is ad spem Valachiae occupandae erectus, quod ei communis erat cum Valachis religio, quod cum iis aliquam affinitatis coniunctionem haberet, et nonnullos e nobilitate sibi amicitia et familiaritate devinxerat, a quibus eodem tempore sollicitabatur, cognita gentis alienatione a Despota, ne occasionem tantae rei amitteret, delectum habere, milites undique conquirere, et magno conatu bellum parare instituit; et Laschium monet, ut idem faciat, et coniungere vires approperet: nam opportune tegendis consiliis, utrique a Sigismundo Augusto rege imperatum erat, ut copias compararent, quas contra Moscos, quibuscum regi tum bellum erat, ducerent.

10. Despota illis diebus uxorem sibi desponderat Christinam excellenti forma virginem, filiam Martini Sborowschii Cracoviae castellani, qui magistratus secundum regem et episcopos, principem locum in senatu Polonorum obtinet, ut hominis potentis affinitate res suas constitueret ac firmiores redderet. Quae coniunctio cum externo et incertae religionis homine, Valachis sua sponte, et indignatione polluti a Despota patrii ritus incitatis, stimulos admovit. Nam qui Despotae studium in alienos suam contumeliam ante interpretabantur, seque negligi quod peregrinis pateret existimabant, illa sibi affinitate penitus imponi in tolerandae servitutis iugum credebant; et brevi fu-

turum, ut omnibus gratiae locis ab uxore occupatis, ipsi praefecturis ceterisque commodis et honoribus patriae excluderentur; et quod ipsa servitute gravius foret, suis elatos praemiis incedentes Polonos naturales hostes suos viderent; nec integrum posthac amplius fore Deum accepto a maioribus ritu colere, quod Martinus infestus eorum sacris, ad ea funditus evertenda adveniret. Hic fuit Martinus nobilis idem ac magnis divitiis praeditus vir, quas ab se partas habebat; ceterum potentiam usitata iam multorum via nactus. Erat ei elatum, ac minime quietum ingenium: itaque ad hasce novas excogitatasque opiniones adhaeserat, peropportunas iis, qui novae religionis specie novas sibi opes moliuntur. Ad eum igitur illa animi ferocia, illis copiis, illo honoris loco validum, ac praeterea felici septem filiorum prole, qui senem iam viri et ad honores certa spe ingressi circumstabant, totius illius nationis novas res, novitate religionis quaerentium, quae se late in Polonia diffudit, principatus quidam delatus est. Qua ex re summam potentiam adeptus, regi ipsi paene metuendus evaserat. Cum eo Despota altiora quaedam spectans, et novas amicitias in Polonia quaerens, affinitatem inierat, et Succhiavae novam nuptam, ipsumque Martinum socerum expectans, regiis sumptibus nuptias apparabat.

11. Quod tempus Valachi non omittendum rati, simul veriti, ne si Martini adventum expectarent, eorum consilia vel impedirentur vel aperirentur; Despota nuptiis, et pulcherrimae virginis expectationi intento, cogitata patrare constituunt; atque occasionem capiendi arma captantibus opportune sors obtulit. Nam Demetrius Visniowieczkius, quem supra a Valachis ad spem regni sollicitatum, una cum Laschio bellum De-

spotae moliri diximus, cognitis quae Valachi de interficiendo Despota, deque eligendo novo rege struebant, omne momentum in celeritate positum ducens, ne Laschium quidem expectare statuit, qui tercentos equites, ex iis qui sclopetis utuntur ex Italia conducere parabat; quorum genus, expeditamque operam, et ad eam ipsam expeditionem, et ad cetera belli consilia, magno sibi usui fore confidebat; quibus qui praeesset, eosque in Poloniam adduceret, Petrum Franciscum Ferufinum in Italiam proficisci iusserat. Igitur Demetrius coactis quatuor milibus equitum, Valachiae fines ingreditur: quod ubi Succhiavae cognitum est, coniurati ad Despotam adeunt, Demetrii copias fama maiores esse aiunt, et quanto cum periculo homo promptus et peritus belli armatus imparatos offensurus esset, demonstrant: hortantur ut arma capi, et ad prohibendos hostes contendi iubeat.

12. Despota quamvis Demetrium Laschiumque, quorum consilia ante comperta habebat, contemni a se videri volebat, tamen adventante iam illo, ac paene praesente, deposcentibus suis, quod ipsum eorum in se fidei et amoris argumentum ducebat, de sua salute laborantium; imperat ut milites parent, et copias in hostes ducant. Hoc impetrato, Valachi celeriter armatam multitudinem convenire iubent, ac ut pari dolo Despotam omni praesidio spoliarent, ab eo petunt, ut Hungaros, quos penes se habebat, una mittat; fore enim ut cetera multitudo veterani militis exemplo acrius, si usus ferat, proelietur. Id Despota primum negare, dehortantibus amicis, qui Valachis nihil temere credendum apertissime monebant; sed persuasus a Mozuccha, a suis nihil ne suspicans quidem hostile (ita hominis vigilantiam secundae res, et inanis quaedam futurae

magnitudinis, quam fato sibi portendi putabat, fiducia extinxerant) maiorem partem illorum militum, quibus unis corporis sui custodia, salusque continebatur, a se abduci passus est. His Iohannem Cancellum ex Norciae municipio praefecit, atque ei bellica tormenta quinque attribuit. Coactis copiis coniurati rem ita ordiuntur, ut Spanzuchius ad exercitum sit, et cum eo Tomsa regiae domus praefectus, quem in Despotae locum sufficere, atque Vaivodam creare statuerant, virum forma corporis et nobilitate praestantem; Mozuccha ad tollendam omnem suspicionem apud Despotam maneat.

13. Rebus ita comparatis, sexto idus augusti, eo ipso die, quo praetoriani milites hungari ad exercitum venerunt, qui viginti milia passuum a Succhiava consederat, Tomsa convocatis subito militibus, et nobilissimo quoque adhibito, exercitum alloquitur. Et exorsus ab instanti periculo belli, et ab iusta Dei in Valachos ira, gravissime in Despotam invehitur, cuius ea scelere contracta esset, appellat tyrannum, Dei totiusque religionis contemptorem; deplorat suam omniumque calamitatem, qui adumbratae virtutis specie decepti, ignotum hominem ultro dominum adscivissent, falso Despotae nomine egregie cunctis imponentem; spoliata passim templa, sacratas cruces, ceteraque maiorum pietatis monumenta cessisse impiae cupiditati, promiscue omnia sacra profanaque praedae loco habita, contemptas patrias caerimonias; peregrina ex execranda sacra ambitiose inducta; sacerdotes nefarie mulctatos, atque omnibus ignominiis affectos, quod sacram suppellectilem, quod Christi Dei cultum, ut a patribus acceperant, tueri a scelestissimi tyranni impietate avaritiaque conati essent. Nec satis haec; uxo

rem quoque ab inimica gente petitam ; eamque superbo Polonorum comitatu stipatam adventare ; his mox dominis serviendum, hos domi forisque omnibus belli ac pacis muneribus praepositos esse habendos ; se vilia corpora externis etiam servitiis iam addici. Quicquid denique superbe, quicquid impotenter ab eo factum, recenset. Postremo etiam atque etiam admonet, ut pristinae virtutis memores, tandem aliquando tyrannis parere dedignentur, et temere ab illis immerenti delatum imperium, iustissime eripiant ; si se sequi velint, auctorem profitetur.

14. Tum vero tamquam patefacto aditu, occultata ad eam diem odia in Despotam erupere ; conclamant omnes, collaudantque Tomsam, et coeptum peragere iubent ; se ultorem sacrilegiorum, se vindicem religionis et publicae libertatis non desecturos ; et ut fit in repentinis vulgi motibus, certatim in Tomsam laudes, maledicta in Depotam coniiciunt ; eius caput, ut devotum diris, ut Deo divisque omnibus invisum, detestantur ; illius sanguine pollutam religionem expiandam fremunt. Atque eodem ducente Tomsa, qui opinione sua opportuniores nactus, et quo gravius Despotam violassent, eo sibi obnoxios magis futuros ratus, nova oratione ad facinus accenderat ; continuo ad opprimendos praetorianos convolant, quos depositis armis, securos tabernacula tendentes, ad unum omnes cum duce interficiunt. Mozuccha hoc celeriter cognito, clam Succhiava ad Tomsam profugit, relicto apud Despotam Bernoschio, qui simulata fide quid consilii caperet in tam subito casu exploraret. His rebus Despotae nunciatis, in Succhiavae arcem cum familiaribus, et Hungarorum quod reliquum erat praesidio se recepit ; nam ad ostentandum bellicum vigorem, et

aulae suae luxum, positis in agro tabernaculis, uxorem excipere parabat. Sed Sboroschius cum fines iam Valachiae attigisset, harum rerum nunciis acceptis, retro in Poloniam abiit; neque amicorum hortatu, neque filiae lacrimis homo, ut habitus fuit rei quam officii diligentior, permoveri postea potuit, ut obsesso genero auxilium ferret.

15. Valachi summa rerum ac regno ipso ad Tomsam, quem Stephanum, grato genti nomine, appellaverant, ut initio constituerant, delato, de obsidendo Despota agitabant; nam expugnationem arcis sine muralibus tormentis, ne tentandam quidem censebant, egregie cum natura, tum opere, quantum eius gentis fert consuetudo, munitae. Succhiava urbe occupata, arcem circumdare instituebant; cum subito affertur, Demetrium magna manu Succhiavam appropinquare. Stephanus relicta obsidione, ut spatium cognoscendi vires Demetrii haberet, copias quindecim a Succhiava milia passuum removit. Demetrius positis ad urbem castris, Piasseczchium polonum in arcem ad Despotam mittit, qui ei suadeat, ut tradita arce, in Demetrii fidem amicitiamque se conferat; et ab eius gratia et liberalitate dignum illo obsequio praemium expectet; quandoquidem retinendi regni spem nullam haberet, ad quod ipse Valachorum consensu vocaretur.

16. Ad ea Despota, audax esse consilium respondit, et inanes Demetrii spes, cui et nihil esse cum Valachis, et ipsos eo neglecto alium regem fecisse, quorum ipse imperium, quando etiam assequeretur, retinere propter infensos Turcas non posset; suam esse Valachiam, et iure et armis partam; neque quorumdam factiosorum rebellione, regnum sibi eripi, qui pecunia thesaurisque regiis munitissimam totius

gentis arcem in potestate haberet, omnibus rebus et ad propulsandam vim, et ad sustinendam, vel longissimam obsidionem instructam: auxilia se ab amicis regibus expectare, eaque brevi affutura; quibus non modo tumultum sedaturus, sed in auctores severe animadversurus esset; se tamen Demetrium, si sibi cum illis copiis, quas adduxerat, militare vellet, honestissimo loco habiturum, eique amicorum omnium principatum delaturum; atque eius operam restincto bello maximis praemiis compensaturum. Regno vero labore parto temere alteri cedere, cuius foret stultitiae?

17. His ad Demetrium relatis, conditionem homo cum natura ferox, tum nova spe regni inflatus, totam irrisit. Verum a spe potiundae arcis deiecto, litterae a Valachis iis, a quibus fuerat ante sollicitatus, redduntur, quae nunciabant illum sero advenisse, Valachos regem sibi ex suorum numero delegisse, in cuius verba omnes iurassent, ab eo discedere nefas esse. Itaque hortabantur uti domum reverteretur, et ne quid ultra tendere auderet. His nunciis hominis impotentis animus sic exarsit, ut minaci responso Valachis dato, se non rediturum domum ante quam sceleratae perfidiae poenas ab iis caperet, protinus eodem die ad hostes profectus mille passus ab eorum copiis consederit. Longe erat militum numero inferior Demetrius, cui vix quatuor millibus equitum, cum ingenti Valachorum multitudine esset congrediendum, sed ingenii ferocia et temeritate Valachos ipsos fidentissimum genus hominum anteibat. Itaque qua vindictae, qua regni cupidine acrem animum stimulante, simul veritus hominum existimationem, si milites nihil ausus egregii facinoris reduceret, rem fortunae committere statuit; et ne hostibus cognoscendi paucitatem suorum

tempus daret, intempesta nocte nihil tale suspicantes, et quod inter utrasque copias Siretus fluvius intererat, levi septos munimento adoriri parat.

18. Igitur fluvium media nocte tripartito suos diversis locis traiecit, et magnis sublatis clamoribus, ut speciem iusti exercitus praeberet, hostes a tribus partibus maximo conatu, maiori etiam animo aggreditur. At Valachi, quibus Demetrii vires perspectae erant, optimo usi consilio, nequa in tenebris perturbatio fieret, loco se non moverunt; et Demetrianorum impetus excipientes, satis habebant sustinere, et rem in lucem perducere. Orto die dispersos et nocturno labore fessos magna vi aggressi, maiorem partem eorum interfecerunt, Demetrium ipsum vivum ceperunt; qui perspecta suorum caede, desperatis rebus, cum nullum fortis ducis officium illa nocte praetermisisset, in proximam silvam fuga se receperat; ibique eum diem, quod erat pedibus aeger, delituerat. Postridie ab aratore inventus, ei qui sit aperit, magna pollicitus praemia, si ab eo extra fines Valachiae in tutum locum perduceretur. Promittit callidus rusticus suam operam, hortatur ut tantisper expectet, dum tectum currum, quo veheretur adducat; impositum deinde curru, clausumque ne a quopiam cerni posset, recta ad Stephanum deduxit, in proximam Podoliam se duci existimantem. Quem Stephanus ut conspexit laetus custodiae tradidit, hortatus ut adversam fortunam, cui res humanae omnes subiacent, forti animo ferret; paulo post eum cum Piasseczchio, et selectis captivis ducentis Constantinopolim ad regem Turcarum misit, ut eo munere tyranni sibi animum gratiamque conciliaret.

19. Solimanus ceteris in servitutem traditis, Demetrium et Piasseczchium crudelissimo et plane barba-

ro genere mortis, quod Turcae Hispanorum vocabulo *gancho* appellant, interfici iussit; quod cum apud se paucis ante annis ordines duceret, arcem ad Euxinum mare per defectionem occupaverat, quae vix magno negotio a Turcis, eo expulso, recepta fuit. Genus hoc est tormenti: tigna duo iusto intervallo in terra defigunt, his trabem transversam ab uno ad alterum ductam affigunt, e qua paribus spatiis adunca pedalia ferrea, instar aquilae rostri, acutissimis mucronibus prominent. In haec revinctis post tergum manibus, atque manibus ipsis pedibus alligatis, per fenestras insuper aedificata tignis materia perforatas, praecipitatum corpus gravi casu infigitur, et longo supplicio cruciatum exanimatur. Sed Demetrii mortis barbari impatientes, illum antequam vita deficeret, sexcentis sagittis ludibundi confixerunt. Atque ita interiit vir ob generis claritatem, et ingenium militaremque virtutem, minime dignus tam foeda fortunae iniuria.

LIBER III.

1. Interea Laschius, audita Valachorum rebellione, revocato ex itinere Ferufino, quem ad conducendos equites in Italiam illis diebus miserat, confectis quatuor circiter milibus armatorum, in quibus multi erant Germani, atque Itali nonnulli, in Valachiam, ut se Demetrio coniungeret, contendebat. Provinciae appropinquans, victum Demetrium, caesas eius copias, ipsum in potestatem hostium pervenisse cognoscit. Quo nuncio vehementer commotus, Camenetii, quod est oppidum Poloniae regis, non longe a flumine Tira, ancipiti consilio substitit; quod neque dimittere magnis sumptibus collectos milites volebat, neque Vala-

chiam ipse per se tentare audebat. Pluribus in capiendo consilio consumptis diebus, demum Despotae precibus victus, eius opem crebris nunciis litterisque implorantis, et se se eius fidei sine exceptione permittentis, cui modo bellum omni conatu inferebat, sic res versante fortuna, ei obsesso venire subsidio, atque novo sibi nec opinato beneficio devincire statuit.

2. Hoc constituto, dum a vicinis Hungaris, qui Despotae studerent, auxilia convenirent, quibus se coniungeret, fatali Despotae mora, expectabat. Verum his cunctantibus, ne se regii pueri, ut copias dimitteret, et ab inferendo Valachis bello abstineret, denunciantes assequerentur, Tiram ponte ex scaphis lintribusque facto milites traduxit, et Chotino recepto, maiori animo quam viribus, munito agmine ad Despotam ire perrexit. Tribus a Succhiava milibus passuum, naso auribusque decisis germanus miles occurrit, se tam foede mulctatum, quod cum Despota fuisset, Despotam ipsum interfectum, eiusque caput hastae infixum ad spectaculum circumlatum, renunciavit. Nam Valachi victo Demetrio, atque eius equitatu deleto ad obsidendum Despotam omnibus copiis convenerant; qui interea dum illi demetriano bello distinentur, magnam frumenti vim, et omnis generis commeatum in arcem importaverat; et ad id praesidium quod habebat, quingentos equites, partim Hungaros, partim Graecos adiecerat. Hos quotidie arce emittebat, et levibus proeliis cum hostibus iniquo eis loco contendens, magnis illos incommodis afficiebat. Nam et bellica tormenta quinque, quae cum praefecto militum, et parte praesidii amiserat, eis eripuerat, et palantes singulosque excipiens, plures eorum interfecerat. Quibus rebus fiebat, ut vulgus, (quod plerumque solet maxime Va-

lachorum) ingenio mobili, et eius saepe negligens quod nuper summe cupiverat, partim desperatione victoriae, partim belli labore, partim etiam metu, quod auxilia quamvis incertis rumoribus adventare ferebantur, missionem a ducibus flagitabat; et vix magnis precibus impetrata est paucorum dierum mora, dum e Transilvania milites conducerentur, quorum labore bellum gereretur.

3. Est Transilvania finitima Valachiae regio, in qua regnum obtinet Iohannes adolescens, eius Iohannis filius, qui de imperio Hungariae cum Ferdinando Caesare, ope Turcarum diu, excidio gentis, contendit. Cum eo adolescente Despotae inimicitiae intercedebant, quarum erat causa, quod cum Valachiae reges Cizovum, et Chechillam oppida in Transilvaniae finibus multos annos possedissent, a Matthia rege Draculae moldavo dono data, eorum Iohannes petenti Despotae possessionem negaverat; quam rem inique ferens Despota, per litteras Iohanni superbe comminatus fuerat, se eam ditionem etiamsi in mediis praecordiis recondidisset e pectore evulsurum. Et cum superiore anno Ceculi Transilvaniae populi, ob graviora imposita tributa rebellassent, atque in Iohannem arma sumpsissent, a Despota sollicitati dicebantur; quem missi etiam veneni ad illum interficiendum multi insimulabant. Ab eo Stephanus Transilvanorum auxilia petiit, quos Despotae militibus, qui fere Transilvani erant obiiceret, et quibus interpretibus ad eos subornandos uteretur. Missi sunt pari numero peditum sexcenti equites, quorum adventu omnium rerum facta est commutatio, ac tunc primum Despota sensit se obsideri.

4. Illorum enim dux militum haud ignarus belli gerendi, arcem paucis diebus circumvallavit, ut ne-

mini ne singulis quidem egredi vel ingredi sine certo periculo liceret. Praeterea suos milites quotidie ad moenia arcis admovens, iubebat ut quem quisque notum aut municipem haberet ex Despotae militibus evocaret, hortaretur, ut desperatis auxiliis, salutis rationem haberent, ne ultima experiri, et pertinacia sua neci, extremisque cruciatibus, si expugnarentur alieni hominis causa se se obiicere vellent, et inanem constantiae famam certa pernicie quaererent: utrosque inter feram gentem, et eorum nomini inimicam versari: utri vincerent, Transilvanorum sanguine victoriam constare necesse fore: proinde incolumitati consulerent. His multa ad spem largitionis, si portas aperuissent, addebant. Referebantur haec colloquia ad Despotam, qui militibus suis, adiectis minis, ne cum hostibus colloquerentur, frustra interdicebat; nam barbari, privati commodi et salutis potius, quam fidei et iuris iurandi rationem habendam existimantes, ad defectionem prorsus spectabant; iamque eo audaciae progressi erant, ut aperte imperium detrectarent.

5. Quare Despota cum perfidiae indignatione, tum vero magnitudine periculi vehementer, ut par erat, commotus, ut unius poena reliquos ab incoepto deterreret, Petrum Divum ceculum centuriorem, quem praeter ceteros turbulentum, ac praecipuum illius motus concitatorem esse intelligebat, per speciem consultandi, in conclave accersitum graviter obiurgat; arrogantius respondentem, et suam fidem in suspicionem vocari contumacissime indignantem, servus aethiops venabulo transfixit. Qua res ad terrorem patrata, maturandae proditionis causa fuit. Clamantis enim voce exaudita, fit concursus militum ad curiam, minaci interrogatione, quid Petro factum esset quaeritantium. Cum

clamore omnia et trepidatione miscerentur, exiluit, auctoritate sua tumultum ut sedaret Despota, et quemque ad stationem domumque suam reverti audacter imperavit; sed ab irato milite, mortem, nisi se intus reciperet ipse, intentante reiectus, rediit in conclave. Paulo post, cognita Petri nece, Transilvani secessionem faciunt, et legatos ex suorum numero ad Stephanum mittunt, qui ita cum eo pacti sunt: uti Stephanus omnem pecuniam regiamque suppellectilem universam, quae Despotae fuerat, eis permitteret, tutoque cum praeda et armis extra regni fines in Transilvaniam deducendos curaret; ipsi contra portas aperirent, atque Despotam cum duodecim, quos ipse dixisset, familiaribus in Stephani potestatem traderent.

6. Hoc patrato consilio, Despotae significant, se, quod diutius obsidio tolerari non possit, et quia Despota contra fidem datam Petrum interfecisset, convenisse cum Stephano, ut postera die arcem dederent. Hoc audito, incusatis iis, et questus, quod principis sui, et sociorum salute neglecta, privatum commodum pluris quam fidem et iusiurandum fecissent, Despota quamquam exigua rerum spes superesset, tamen per internuncium ab iis petiit, ut sibi saltem fugae potestatem facerent. Transilvani se non futuros impedimento respondent. Convocatis igitur, quos fideles cognoverat, consultisque quid facto opus esset, statuunt, ut intempesta nocte, occulta arcis parte e moenibus se demittant, et per notas semitas elabi conentur. Haec paranti et mox fugituro Despotae, barbari nunciant, se salva fide, fugae potestatem facere non posse, quod Stephano promisissent cum arce eum quoque dedituros: atque eodem tempore custodias omnibus locis ponunt. Fugae spe abiecta, Despota de salute penitus de-

sperans in intimum conclave solus recessit, ibique diu commoratus, demum in proximum cubiculum lacrimans prodiit; vocatisque ad se Italis et Graecis aliquot, quorum in omni re fideli fortique opera fuerat usus, fortunae iniuriam conqueritur, quae sibi facultatem eripiat, gratiam illis pro summis eorum in se meritis, et singulari fide referendi; et fleus flentes complexus, annulos gemmasque, quas magni pretii habebat, inter eos distribuit, et sui erga illos amoris, et grati animi pignus habere iubet; ac quidquid praeterea ex argenteis vasibus, totaque suppellectile vellent, potestatem tollendi facit; consuluit tamen, ut iis, quae facile occultari possent, contenti, cetera negligerent, quae illis periculi plus quam commodi allatura essent; fore enim, ut Valachi datam Transilvanis fidem, minime servantes, quique arcem prodiderant, quique receperant, omnes hostium habeant numero, et apud quem plurimum repertum fuerit, eum maximum vitae discrimen aditurum; ipsi tamen cum hungarico ornatu amicti essent, Hungaris sese aggregarent, et eandem potius cum eis fortunam subirent, quam privatim sibi consilium caperent.

7. Narravit nobis Dionysius eius medicus, consiliorum fere omnium, maxime eius belli particeps, Despotam in commemoranda calamitate sua, fassum vindice Deo in ea se incidisse mala, quod adipiscendi primum, deinde propagandi regni libidine, ut quorumdam potentium hominum studia sibi conciliaret, divinae religioni illusisset; atque eos, qui tunc aderant, in quibus fuit Dionysius, testes esse iussit, se novas religionum sectas omnes reiicere, atque execrari, Christumque Deum, sicut sacrae praescribunt litterae, et maiores fecerunt, pura a se mente coli, et ad eam

diem animo magis quam specie cultum. Adeo non eadem nobis ferocia in Deum, neque idem contemptus manet religionis, ubi fati inevitabilis necessitas urget, ac dum vitae fiducia praesentibus commodis servientes, divinis praeceptis ad nostras cupiditates abutimur! Iteratis dehinc saepe amplexibus, cum e singulorum collo divelli vix posset, collacrimantes omnes dimisit; noctemque illam, quae ei suprema fuit, partim fletibus, partim precibus Deo placando insomnem duxit. Albescente deinde die in atrium, ubi milites Transilvani, ne qua dilabi, aut erumpere posset, omnes armati observabant, exiit; atque eos rogare, et omnibus precibus obtestari instituit, ut ad octavum diem deditionem differrent; dum aut vitae ab hoste impetrandae viam, si qua esset, inveniret, aut certe de morte cogitandi illud quicquid esset temporis haberet: post id spatii sacramentum se eis, quod sibi dixissent, remittere, quo soluti religione liberam de se ex eorum arbitrio statuendi haberent potestatem. Id barbari demissis ad terram oculis, pertinaci perfidia sibi integrum esse pernegant.

8. Tum Despota adesse supremum fatum cernens, quod vitari non posset, cruciatus, quorum est ea natio excogitatrix mirifica, praesertim si regem ipsum ultura sit, metuens, appellare singulos, obsecrare, ne se eorum ducem, cuius stipendia biennium meruissent, cui sacramento obligati essent, de illis large semper et humaniter meritum, tam indigne violarent, ac sibi ipsis nominique Transilvanorum aeternam illam ignominiam inurerent; et a se potius servatae fidei, quam violatae a perfidis rebellibus praemia expectarent. Id si impetrare non posset, quandoquidem constitutum haberent, suo exitio propria com-

moda pacisci, at illud saltem in extrema calamitate ne negarent, ut se ipsi potius interficerent, quam ad supplicium et ludibrium furentibus illis beluis, per summam crudelitatem dederent; nec se invitum militis manu casurum, et ipsos satis magnum beneficium novo regi daturos, si se mortuo arcem ei tradidissent. Simul haec locutus, nudato collo in genua procumbens, iugulum cum precibus lacrimisque feriendum praebebat. Magno profecto et singulari saevientis fortunae exemplo, eum, qui paulo ante rex, fama, copiis, spe visus felix, quem finitimi populi sibi regem appetierant, quem vix plura regna capere posse videbantur, tanta repente prostratum ruina, ut occidi supplex poscceret, nec tamen impetraret; cum nemo repertus sit in tot militibus, qui pius ne in scelere quidem esse vellet. At barbarorum ne ita quidem fracta feritate, maerens in conclave se rursum recepit, cedens ac permittens se fato, et tempus quo dederetur expectans.

9. Rebus omnibus paratis, barbari prodire iussum circumsistunt, et spem faciunt fore, ut vivus Constantinopolim mittatur, indutumque insignibus regiis, et sceptrum manu gestantem arce educunt; quae edito sita loco, atque oppido imminens, declivem admodum ab ea parte, ubi hostes armati instructique in equis ipsum opperiebantur, descensum habet. Sepserant egressum longa corona ab uno latere primi Valachorum, ab altero Transilvani, quos Despota ut conspexit, si tantum, inquit, fidei in meis militibus vestrae gentis hominibus fuisset, quantum in vobis ad eos sollicitandos subornandosque industriae et diligentiae fuit, neque ego regno, neque vestrum nomen fama spoliatum esset: sed quae res mihi exitio, eadem solatio est,

quod proditus non victus dicar. Inde ad Valachos conversus, vos vero, inquit, quantas huius defectionis poenas, et quam mature persolvetis! neque enim meo interitu inultum abibit vestrum scelus. Ceterum uti sunt miseri, qui rebus omnibus destituti, ab una spe nunquam deseruntur, incertus supplicio afficiendus, an Turcarum tyranno tradendus esset, cuius oratorem in hostium castris iam pridem esse cognoverat, et eius rei spem Transilvani exeunti iniecerant, proximum valachum sibi antea notum ad se accersit; timide adeuntem, ac refugientem, manu prehensum, ad seque tractum sciscitatur, morti ne damnatus esset? Ille metu simul, ac pudore conterritus, vix illud tantum, ignorare se, respondit.

10. Ductus inde ad legatum Turcarum, qui prope adstabat, regni vexillum, quod sibi exeunti praeferri iusserat, de manu oratori tradens, vexillum hoc, inquit, mea virtute, et regis Solimani beneficio partum, defensurus eram contra omnes eius hostes; sed quando non victus a quoquam, sed a meis proditus, necessitati cedere cogor, salvum tibi illud, ut ad regem referas tuum reddo. Legatus seu viri aspectu, et miserabili eius casu commotus, sive hoc a Solimano mandatum tulerat, vivus sibi, Constantinopolim ducendus ut dederetur regis verbis imperavit; cunctantibus denunciavit contra regem facturos, nisi parerent. Valachi ad Stephanum ducendum respondent, cuius esset ea de re arbitrium; atque ita reclamante oratore, equo impositum, Stephano obviam ducunt, qui iam e castris equo et ipse insidens veniebat. Cum in conspectu esset Stephani, ut imperatum fuit equo descendit, et pedibus proxime accedens, quamquam eum vires iam animi voxque defecerant, foedae mortis ine-

tu curaque abiectum, tamen monuit Stephanum ne secundae fortunae ita fideret, ut regnandi initium a crudelitate faceret, et vicissitudines humanarum rerum, quibus et ipse subiectus esset, vereretur. Deinde petiit ut iis omnibus, quorum in se fuerat egregia fides, parceret, et incolumes finibus excedere pateretur. Postremo neu se, quem nuper regem habuerat, indigna rege morte afficeret.

11. Cum Stephano ipsi, barbarisque miserabile id spectaculum, paulum omnes silentio tenuisset; Despota quod non uti putaverat, subito raptus ad supplicium esset, attollens paulum animum, spemque iterum vitae, flectendique misericordia barbaros erigens, suppliciter Stephani clementiam implorat; obtestatur, ut se satis iam fortunae perfidiam expertum edoctumque, nihil ne in regno quidem ab illius violentia et temeritate tutum esse, nec se posthac amplius eius potestati commissurum, in monasterii alicuius septa inclusum, reliquum vitae agere, et animo ab humanis curis vacuo, religiose Deo servire pateretur. Verum qua re maxime placaturum speraverat, ea accendit omnium in se animos; ad commemorationem enim religionis, qua parte gravissime premebatur, ita revocatum odium est, et tamquam subiecta flamma incensum, ut continuo exortus a circumfusis undique sit clamor, atque indignatio rogantium in quae vellet monasteria includi! An in ea quorum fana sanctissima expilasset, quorumque indignissime antistites habuisset? Tum Stephanus tyrannidem ei et impietatem obiiciens, canem, quae vox apud barbaros plena est contumeliae, appellans, equo bis pepulit, stravitque; resurgentem clava percussit, et ut eum occideret, servo a pedibus, natione Tartaro, imperavit. Qui stricto gladio unico ictu cer-

vicem praebenti abscidit; caputque ut ab omnibus spectaretur, hastae praefixit. Cadaver spoliatum, atque multis vulneribus concisum, terrae mandarunt.

12. Hunc exitum tulit Iohannes Basilius, Pari et Sami Despota habitus, et ex humili loco ad Valachiae regnum insano fortunae lusu sublatus; homo utique memorabilis, si quantum audaciae in affectando aggrediendoque regno, tantum in regendo consilii habuisset. Verum ille coeptu minime christiano, simul abolita veteri religione, gratum se multis potentibus viris facturum, simul nova inducta, gloriam et auctoritatem constitutae ab se tamquam verae Dei colendi rationis, initurum apud imperitam multitudinem arbitratus est; et affinitate cum Sboroschio, magno et potenti homine, non confirmaturum modo nullis dum certis praesidiis nitentem dominationem, sed ad vastissimas quoque spes, quas insano animo alte fovebat, aditum sibi aperiturum putavit. In utroque, ut exitus docuit, vehementer est falsus. Nam et violanda religione, atque illa fanorum direptione, in impietatis et avaritiae infamiam odiumque suorum acerbissimum incurrit, et externis nuptiis nobilitatem sua sponte alienatam a se plane avertit; non solum indignantem ex suis coniugium Despotam aspernari, a quibus tantum modo beneficiorum accepisset, sed multo etiam magis reputantem, sese praeteritis, ac reiectis brevi rerum potituros Polonos, homines ingeniis ad omnes aulae artes captandique principum voluntates egregie institutos. Mediocri omnino quam regia fortuna sapientius est usus; ingenio tamen acri et audaci fuit; et quem, sicut si ex ipsius conditione spectes, nullam in eo excellentem virtutem reperias, propter quam dignum indices regno, ita si regem consideres, indig-

num dices eo ludibrio, et tantae calamitatis ictu: quamquam meritas ille solvisse poenas videri possit, qui ambitione praeceps, impiorum hominum sectas propagare, sacrosanctam Dei religionem pervertere aggressus sit, cuius cultu atque observantia maiores nostri, per summam innocentiam ac pietatem rem christianam tot saeculis conservaverunt; nisi sera quidem, sed tamen utili errati confessione, dignum se misericordia praebuisset.

13. Stephanus eo interfecto, laetus primo arcem intravit: mox secum reputans, quod Despotam Solimani iniussu regno, atque contra eius legati imperium vita quoque privaverat, timere tyranni iram; neque tam regnum adeptum se, quam Despotae ereptum intelligere. Itaque anxius sollicitusque, quibus rationibus suam probaret causam, agitare; et nusquam adversus tyranni indignationem, nisi in avaritia purpuratorum spem habere. Moris est Turcarum regum, ut maximi imperii administrationem paucis servis committant: servum vero regis appellari, et esse, quod vile ac turpe apud nos, ipsi summo honori ducunt. Ex horum numero delecti quatuor, quorum industria ac fides per varia pacis ac militiae munera probata est, imperium regunt. Hos Turcae Bassas Visirios vocant; quorum principis, qui regium signum collo appensum gestat, tanta plerumque est apud regem gratia, fides, auctoritas, ut dare atque adimere regna, pacem, bellum, servo potestas sit. Nam reges ipsi, quod ita a suis coluntur, ut tantum non pro diis habeantur, summae maiestatis putant, quam minimum sui copiam facere, raro prodire in conspectum. Praeter hos quatuor, et qui praeterea illis domestica munera administrant, nemini ad se, nisi gravi de cau-

sa, aditum patere sinunt. Per hos admissis semel ad se salutandum exterorum regum legatis responsa dantur; his interpretibus mandata regi feruntur; denique hos penes omnium rerum ac consiliorum fides. Hanc ipsi facultatem venalem habere, neque id regi suspectum, qui suam gloriam ducit, quos ipse servos habet, eorum gratiam ab aliis maximo emi. Hos adire sine donis, sive externo sive socio impudentia est: ut paucis absolvam, totius imperii copiae ad hos, atque per ipsos ad regem transeunt. Namque eorum ut quisque est regi carior, ita eius animum novis subinde exquisitisque muneribus tenere studet. Quibus vita functis, congestarum opum ac divitiarum hereditatem non liberi adeunt, sed ipse dominus cernit: atque hae interdum tantae sunt, ut proxime fama fuerit, octuagies centies mille aureorum nummûm, ex una Rustenii hereditate ad Solimanum venisse.

14. Hunc ipsum Rustenium Stephanus conciliandum sibi pecunia iudicabat: per hunc, si explere muneribus barbari animum valeret, effici posse ut sibi a Solimano admissum facinus condonaretur, ac Valachis id publice deposcentibus, imperare iuberetur. Verum exhaustas regni opes, regias fortunas a Transilvanis in praemium sceleris auferri. Stultum igitur id pati ratus, suos ad Laschium opprimendum proficiscentes Transilvanos abeuntes persequi iubet, et nequem elabi non spoliatum permittant, etiam atque etiam praecipit. Valachi protinus iussa faciunt, ac bidui iter progressos adepti, omnes diripiunt fugantque, et integram ad Stephanum praedam referunt. Ea res Laschio haud dubie saluti fuit: nisi enim ferocientes recenti victoria barbaros diripiendi Transilvanos cupiditas avertisset, supremo obiectus discrimini, tan-

tae multitudinis vim minime videbatur laturus. Is accepto de Despotae casu nuncio, ut supra docuimus, quamquam periculi magnitudine vehementer perturbaretur, ac perculsas suorum mentes animadverteret, non tamen abiecit animum, cohortatus milites, ut ne quid barbaros aliis occupatos rebus timerent, sed conferti intentique iter maturare conarentur, instructis copiis pedem referre coepit; et ut se adversus insultationes hostium communiret, totum paene agmen, maxime ab ea parte qua hostis irrupturus videbatur, plaustris, quorum more gentis magnum numerum ducebat, ita circumduxit, ut prope septi castris milites iter facerent, perturbandique et incessendi facultas hostibus adimeretur. Hoc modo progressos, nusquam apparente hoste, metus incessit, ne qua essent comparatae insidiae. Cuius rei curam simul ac suspicionem augebat, quod per illam silvam recessus esset, in qua commemorabant patrum memoria Iohannem Albertum Poloniae regem, ingentem cladem a Valachis, duce Stephano feroci atque impigro rege, accepisse.

15. Haec paventibus nunciatur, caedi silvam, atque ingentes prosterni arbores, quibus obstructae viae remorentur et impediant iter. (In id opus sive missu Stephani, seu sponte sua agrestes homines strenue ac naviter incumbebant.) Laschius nihil cunctatus, quod in ea re et sua et suorum salus vertebatur, celeriter expeditissimum quemque equitum praecurrere iubet, ipse quam ocissime potest per carrorum impedimenta agmen trahit. Equites ingressi nemus, cum nullum operi adiunctum armatorum praesidium offendissent, facile adventu suo disiiciuntin fugamque dant operas, ac teneri ab se silvae aditus, et hostile nihil magnopere apparere Laschio renunciant. Addi-

ta hinc doli suspicio, militi non sublata cura. Itaque sollicitos trepidosque desperatio cepisset; sic enim concusserat omnium animos insidiarum metus, ut quacumque coniicerent oculos, exilientes contra insidiatores, et se circumveniri a barbaris videre sibi viderentur, nisi ardor Laschii et oratio sustinuisset; qui animadverso pavore, circumire omnes, ac sua quosque lingua appellans, hortari, rogare, ecquid inconsideratae multitudinis, ac sine duce, sine imperio, sine ordine excurrere assuetae, vanos impetus perhorrescerent? Non ausuros irrumpere; et si auderent, non eis impune futurum; obiectis pro munitione curribus ipsos ex tuto dimicaturos; facile repelli posse vel a solis sclopetariis feroculas barbarorum incursiones; retinerent modo ipsi pristinum vigorem animi, ac suo quisque loco, ordine atque silentio pergerent.

16. Haec Laschius toto agmine pervolitans monebat, thrace maxime agili insidens equo; ex quo suspicio incessit milites, ipsum aliter animo affectum, diffidentem rebus, in fuga et pernicitate equi spem habere. Quod ubi Laschius sensit, desiliens equo, iam inquit, milites quod erat ducis officium vobis praestiti, providi pro necessitudine ut vobis quam optima pugnae conditio sit, si hostes impetant: qui vobis consilio prospexi, manu exemplo sum futurus, aut vos incolumes hinc reducam, aut hic vobiscum occumbam; haud enim tanti est vita, ut eam vestrae saluti et meae famae anteponam; licuit mihi domi acceptis a patre copiis otioso frui, nisi me huc paternae virtutis aemula cupiditas gloriae duxisset; hanc vos fidei, hanc animi mei obsidem habete: sed confirmo vobis milites, nisi meam de vestra virtute spem opinionemque ipsi fefelleritis, non incolumes modo hinc, sed

magna nostra cum gloria evademus. Verum, ut ut res cadat, fugientem certe Laschium nemo viderit. At quos fugiamus, milites? Hostes qui nondum conspecti sunt, et qui optandum est ut se nobis dent obviam, quo clarior receptus hic noster victoriâ sit. An vos multitudinis fama terret, non armis congredi, sed voce tantum incessere hostes solitae? Deponite istum timorem indignum illa audacia, qua nuper subsidio Despotae per medias hostium copias vadebatis; et pergite fidentes duci, ut vobis dux fidens obviam dari sibi hostes ita non timet, ut exoptet.

17. His summa vocis atque oris alacritate pronunciatis, ita languentes militum animos erexit, tantusque pudor cepit falsae suspicionis, ut omnis ille metus in amorem ducis conversus, paene maiorem pugnandi quam evadendi cupiditatem accenderit. Ipse autem Laschius eo die cum necessaria ducis munera obire pedibus, polonico praesertim cothurno impeditus, nequiret, equo tamen militari abstinuit, neque militum precibus, id ut ne faceret, rogantium cessit. At Valachi interea, direptis Transilvanis, ad quatuor milia equitum ad opprimendum Laschium praecurrere iusserant, qui magnam itineris partem emensum assecuti, ubi se se ex silvis ostentantibus nullam fugam, aut trepidationem, et munitum agmen animadvertunt, primo substitere, mox turmatim procursare, tentare, clamoribus ac barbarico ululatu incedentes terrere. Nihil his contra perturbari Laschius, sed paratus intentusque, ac milites assidue excitans, tenere institutum iter. Valachi, postquam perrumpere conati ultro se a sclopetariis, quos Laschius inter plaustra scienter disposuerat, plumbatis glandibus cum detrimento repelli vident,

persequendi finem faciunt: Laschius milites trans Tiram in tutum reductos dimisit.

18. Stephanum non multo post, eadem quae Despotam fortuna tulit. Nam stabiliendo regno omnibus curis intentum, dum quantis potest muneribus legationem ad Solimanum instruit, Alexander antevertit. Is, ut initio memoravimus, Valachia eiectus a Despota, Byzantii exulabat; sed Despotae nece audita, precando, ambiendo, ac maxime largiendo, per Bassas Solimano commendari studebat. Erat Solimanus vehementer Valachis iratus, quod cum ab se Despotam regem tanto studio opereque depoposcissent, eius imperium vix biennium tulerant. Quocirca eorum inconstantiam, et adversus reges saevitiam graviter puniendam existimans, sat poenarum exacturum arbitratus est, si eis Alexandrum dominum imponeret, cuius infinitum adversus Valachos odium animi feritas superaret. Huc accedebat, quod genti inquietae ac bellicosae hominem suo beneficio, quam eorum arbitratu, regnare malebat. Itaque Alexandrum in Valachiam armis reducendum decernit; atque ei iustum turcarum militum numerum attribui iubet. Praeterea tauricanis Tartaris scribit, ut ei Valachiam intranti cum magna multitudine equitum adsint.

19. His auxiliis Alexander regno recepto, horribile memoratu est, quas strages ediderit, quantamque in omnes crudelitatem exercuerit. Immanis barbari animus recenti adhuc dolore acceptae iniuriae aestuans, et iampridem caedibus gaudens, suorum sanguine satiari nequibat. Tartaris pro navata sibi opera integram regni regionem praedae concessit, qui senibus atque imbelli aetate occisa, aedificiisque incensis, quindecim milia capitum christiani nominis in

servitutem abduxere. Ipse tyrannus cum totam paene nobilitatem trucidasset, praeter eos qui se cruentis eius manibus fuga eripuerant, in convivio, quo Turcarum legatum de suis rebus ad regem Poloniae euntem acceperat, triginta nobiles nuper captos, ipso inspectante Turca, necari iussit. Stephanus ipse, cum in proximam Russiam profugisset, captus a Polonis direptusque, paucos post dies Solimano postulante, cum Mozuccha et Spanzucchio, Leopoli in foro securi percussus est. Hisce autem cladibus ac vastitati nulla obnoxior terra: nam cum regum tyrannide gentis mobilitas et contumacia certare propemodum videtur, et pati et inferre caedem laetantis: ut probe Commendonus Cardinalis patronus meus, quocum ego legato obeunte Poloniam in Russiam veni, cum ei a peritis res Valachorum recenserentur, magnam tragoediarum scenam, illam sibi provinciam videri dixerit.

EXPLICIT.

(1) Nota sunt haec itinera ex ipsius Commendoni Cardinalis vita a Gratiano nostro elegantissimè scripta, et Parisiis anno ·M·DC·LXIX· Cramoisianis typis edita.

EIUSDEM

ANTONII MARIAE GRATIANI

EPISCOPI AMERINI

DE IACOBO DESPOTAE FRATRE

AD NICOLAUM THOMICIUM ADOLESCENTEM ILLUSTREM

LIBER UNICUS.

1. Pari audacia, infeliciori etiam exitu, huius frater Iacobus, cui Didascalo cognomen fuit, regnum in Cypro insula affectavit: tanto quidem ille fastidiendus magis, quanto humilioribus ab artibus instrumenta regni petierat. Nam quibus adiumentis homines vix ad mediocrem fortunam pervenire solent, iis graeca calliditas ad regium sibi fastigium munire viam conata est. Quod dicere institui brevissime, si prius quibus rebus confisus, tantum facinus conceperit, paucis exposuero. Ex quo, Thomici, intelliges nusquam infirmioribus regna stare fundamentis, quam ubi, variatis opinionibus, non eadem omnibus religionis fides, neque sacris neque sensu eodem colitur Deus; tum enim divisis animis, cuique vel levissimo in promptu est ciere partes, et per concionum licentiam commotis studiis, excitare seditionum flammas, quae ubi accensae sunt, haudquaquam facili negotio extinguuntur.

2. Cyprus insula, postquam Iacobus postremus regum, diem suum sine liberis obiit, et Cornelia uxor seu necessitatibus compulsa, seu Georgii fratris oratione et precibus victa, relicto regno in Italiam navigavit, omnis sub Venetorum ditionem concessit: et nobilitas ut tum invita sic nunquam libenter alterius

quam regis imperii patiens fuit: quamquam enim communicato cum magnis et claris familiis connubio se se Venetis miscuerit, et eorum moderato et aequabili prope septuaginta annorum imperio, oblitterata illius temporis memoria videatur, tamen permanet insitum animis regii nominis desiderium. Plebes, praeter quam quod omnis natura inconstans mobilisque, et novarum rerum cupida, Graecis maxime innata levitas est. Haec communi civitatum morbo adversa nobilitati, et eadem pertinacia, qua olim in sacris conciliis consentientibus ceteris patribus, uni Graeci, etsi cessere tum quidem, postmodum ad ingenium redeuntes, publicam auctoritatem neglectui habuerunt, suo more sacrorum caerimonias colit, et ingenti odio ab iis dissidet qui romanae ecclesiae religione et ritibus continentur, quorum est tota insula satis magnus numerus. Quod quidem odium saepe in populares tumultus erumperet, nisi magistratuum metu omnes cohiberentur, qui veteri concessu Graecos suis uti sacris permittunt; praeter quam nobiles, quorum tamen ipsorum permulti infecti vulgi superstitionibus, respuere Latinorum rationem videntur; quamvis palam id facere, quod lege nobilitati Graecorum ritibus interdicitur, non audeant.

3. Agrorum cultura penes servos est, non aliunde coëmptos captosve, sed locorum incolas, et dominis in ipsa servitute natos; quam miseram duramque ita serviunt, ut queri non vereantur acerbiorem ne apud vicinos quidem barbaros perferri. Et ab ingenita Graecis animi sollertia, nec agrestibus hominibus cupido libertatis abest, aliquanto etiam, quam pro illa fortuna, in qua nati sunt, maior; et arrepturi per quodvis facinus videntur eo cupidius, quo minus spei ostenditur meliore aliquando conditione fore. Hi paroeci a

Graecis appellantur, eademque iis religio est, quae reliquae fere Greeciae. Est et aliud genus libertinorum, qui aliquo merito a dominis manumissi, ac suo iure libertateque utentes, nihil ab agrorum cultu discedunt. Horum tamen iuventus in militiam describitur, delectu per insulam habito, edocenturque ac instituuntur per praefectos, ut et servare ordines, et signa sequi, et ferire hostem sciant; paratique et instructi armis sint, ut si res postulet, usui rei publicae esse possint. Is nobilitatis, is plebis et agrestium status erat, cum varius inter seque discors religionis sensu, tum maxime in contraria scissus studia.

4. Didascalus igitur harum rerum nihil ignorans, multis peragratis Europae nationibus, moribus institutisque cognitis, comparato usu multarumque peritia linguarum, et omnibus rebus ad sese insinuandum instructus, in Cyprum venit. Ac primo quidem nihil se prodens, inter infimam plebem latuit; donec aperto Nicosiae ludo, pueros mercede docere instituit: et quia haud paulo plus in homine doctrinae erat, quam quanta esse in iis solet, qui grammaticam artem profitentur, et ipse non litterarum modo, sed morum quoque et colendae religionis praecepta tradebat, diligentissimeque sine discrimine omnes instituebat, quicumque ad se mitterentur pueri, brevi eruditionis ac diligentiae fama reliquos magistros antecelluit; unde ei Didascali cognomen est inditum. Labori suo nec pretium ullum statuerat, nec quod afferebatur recusabat, sed aeque et egentium et copiosorum filios habens, operae gratiam quam praemium magis quaerere; qua sane ratione utrumque consequebatur. Clarus ea iam arte, non solum ab iis coli, quorum gratuito filios erudiebat, sed etiam multis ex nobilitate carus esse coe-

pit; itaque eius in dies magis ludus celebrari. Ipse nihil remittere, sed assiduitate et labore quam plurimorum studia colligere.

5. Ubi se adeptum intelligit, quantum effici illa arte posse videbatur, parum in ea dignitatis esse ad id quod agitabat animo reputans, rem desinit; et cuius ante documenta dederat, medicinam exercere instituit; quod studium in Graecia natum, ut pleraque omnia obsolevit apud graecam nationem, veteris omnium bonarum artium laudis, nihil iam praeter fastidiosam commemorationem retinentem. Ad eam Didascalus nec parum doctrinae, et ingenii plurimum afferens, et nonnihil etiam exercitationis, incredibile est quam brevi illa quoque facultate claruerit. At ne hanc quidem quaestuosam habere, sed parem omnibus diligentiam adhibens, et christianae humanitatis laudem captans, infimo et pauperrimo cuique maxime operam dare: hos solari verbis, curare studiose, pecunia etiam, quae ei ex ubere suapte natura arte abunde suppetebat, iuvare; atque ad hanc in egenos liberalitatem adiicere speciem pietatis, et eximium quoddam studium patriae religionis. Quibus rebus ita cepit popularium animos, ut a plerisque indigentium pater appellaretur, et magnam apud ipsos quoque nobiles opinionem sui effecerat, cum iisdem animi bonis, tum praeterea intelligentia nobilium linguarum, notitia atque usu variarum rerum, et maxime diserto comique sermone; ut iam non ars ipsius magis ab affectis morbo, quam ab omnibus consuetudo appeteretur.

6. Ubi satis gratiae, satis etiam auctoritatis collectum videt, cum familiaribus primo, ut ostentationis suspicionem fugeret, prodere genus, patriam, maio-

res suos, et fidem eodem privilegio firmare, quod ei Carolus quintus sicuti Despotae fratri indulserat. Creditum est eo facilius, quod nec ante aperuisset, et a vanitate et mendacio hominem, mores et instituta vita satis vindicabant. Itaque re non eius ulla venditatione, sed amicorum studiis sermonibusque vulgata, crescere in dies hominis fama; oriundum clarissimo loco, indigna demersum fortuna, propria emersisse virtute: magnam enimvero vim esse verae nobilitatis, eam non inopia, non solitudine, non ullis domesticae difficultatis tenebris occuli posse. Quantum vel in ipsa egestate viri animum, quam liberale ingenium enituisse! Haec amici saepe iactando, eiusque virtutis praedicatione augendo, ut plerumque solet, et efferendo verbis, magnum eius nomen non Nicosiae solum, sed tota insula fecerunt: et Nicosia regia civitas in medio insulae posita, populi celebritate et omnis nobilitatis frequentia, regni paene totius instar habet.

7. Ipse autem consilio intentus, postquam progredi coepta videt, nihil cunctari quin protinus illam viam ingrederetur, quam initio sibi destinaverat animo. Igitur nihil omissa medendi exercitatione, ad populum de religione concionandi munus, ipsis etiam hortantibus et adiuvantibus amicis, invadit. In quo maximam omnium de se expectationem vicit ubertate et pondere orationis. Homo ingenti naturae dono ad illam facultatem factus, ita sese ad eam ipsam omnibus studiis exercitationibusque conformaverat, ita eloquentiae vim integritatis opinio praefulserat, et sustulerat acceptus antiquae stirpis rumor, ut cum de sacris religionibus, de hominum moribus, de futurae vitae, quae bonos manet, felicitate dissereret, et ad eam per innocentiam petendam, concionem adhortare-

tur, prope humanae admirationis modum apud imperitum vulgus excederet. Hunc certe ingenii, et pietatis, cuius maxime laudem aucupabatur, ostentandae campum nactus, celeriter omnium sic est generum studia consecutus, ut quoties allocuturus populum esset, ingens ad ipsum multitudo tota urbe confluueret, eiusque nomen in omnium ore versaretur. Itaque maximos brevi patriae religionis amores excitavit; et par inde odium secutum est in omnes, quicumque a Graecorum sacris disciplinaque dissentirent; ut elata suopte ingenio gens, vix contenta arbitrio suos colendi ritus fore videretur, siquam occasionem res novandi nanci sci posset.

8. Porro autem in antiqua Graeciae gloria commemoranda, Didascali exultabat oratio; illic ingenia, opes, imperium olim floruisse, illic doctrinas, illic omnes liberales artes natas et perfectas esse; illinc morum, fidei, humanitatis, omnium bonarum rerum disciplinam ad alias gentes dimanasse, denique ibi veram christianae religionis laudem, et totius pietatis magistros extitisse. Haec saepe iactabundus concionabatur. Huiusce Graeciae imaginem magno verborum apparatu magnifice expressam, tamquam spectandam oculis audientium proponebat; quo, quam nunc ea deformata, quot spoliata ornamentis esset, quam misero servitio obruta intelligentes, dolentius tantae maiestatis interitum quereretur. Hinc misertum tandem Graeciae esse Deum, et tempus non abesse, quo depulso servitutis foedissimae iugo, in pristinam magnitudinem splendoremque esset reditura, tamquam Dei nuncius pollicebatur; ad quod ipsos praeparare iam animos, Deumque iustis placare precibus iubebat. Atque huius rei tantam apud ignarum vulgus fidem, tantam

spem iniecerat, ut et veterem dignitatis et amplitudinis florem recuperaturam esse Graeciam persuasum haberent, et per neminem magis, quam per ipsum qui praedicaret, recuperanda haec esse confiderent.

9. In hac vero veteris Graeciae laudis et religionis ostentatione, quamquam orationis suae ita moderabatur, ut cum de christianae fidei placitis dissereret, Graecorum cultum sensumque efferens laudibus, atque omnibus rationibus confirmans, reliquasque omnes sectas incessens, verbo nihil laederet Latinos, tamen offensionem non effugit. Accusatus quod de catholica religione (id ne Graecis quidem fas est) detraxisset, habendi conciones facultate privatur, et discedere urbe iubetur. Paruit ipse quidem; sed quo moderatius illam ferre iniuriam visus est, eo amicorum studia magis ad se defendendum excitavit. Itaque adnitentibus multis, probata et cognita calumnia, continuo restituitur. Ea damnatio per insulam sermonibus celebrata, mire hominis nomen et existimationem auxit; tantum abest, ut ullam in partem dignitatem minuerit. At ipse, simul ut in celebri et frequenti civitate aemulationem atque invidiam, quam exoriri senserat, evitaret, et maius absentia desiderium sui faceret, simul ut agrestium animos, quorum maxime spe totum eius consilium nitebatur, pertentaret alliceretque, relinquendam sibi Nicosiam, atque obeundam insulam decrevit.

10. In agris opinione sua etiam maiorem de se famam apud servos libertosque invenit. Quacumque iret, magni undique ad ipsum concursus fiebant; alios spectandi hominis atque audiendi cupiditas, alios de sua aut suorum valetudine percunctandi, alios alia trahebant: omnium ipse de se spem non tuebatur modo con-

cionum laude et approbatione, sed ingenti pietatis simulatione studiosissime augebat; et plerosque morborum periculis, scientia medicinae liberans, in eam admirationem sui adduxerat, ut sunt Graecorum ingenia maxime agrestium ad omnem superstitionem proclivia, ut artem hominis in miraculum verterent; et divina mente praeditum, non humana ope, sed divino monitu agere omnia dictitarent. Id ipse nec abnuere prorsus, nec palam affirmare, sed quorum curabat morbos, eorum verbis augens periculum, admirabiliora sua remedia facere studebat. Nec minori cura tum concionibus, tum privatis collocutionibus sanare aegritudinibus animos laborabat, deterrens a vitiis, ad virtutem ac probitatem abhortans; astute interim id agens, ut servorum dum fortunam oratione solatur, libertatis cupidinem refricaret; quam his artibus plane ita accendit, ut Dei benignitate liberatorem hunc sibi demissum caelo, qui praeter suam ipsorum spem, suis cervicibus saevum servitutis iugum depelleret, taciti, tamquam timentes ne quid eius conatibus impedimento esset, gauderent.

11. Insinuaverat iam, planeque inseruerat in omnium animis eam, quam de se volebat, opinionem. Itaque progrediendum, atque instandum coeptis ratus, secreto cum per se, tum per quosdam, quos consiliis non tam conscios dum, quam socios sibi adiunxerat, dabat operam ut pro cuiusque ingenio varias omnibus ordinibus cupiditates iniiceret. Et quamquam ita sese plebi, et agrestibus tradiderat, ut ab nobilibus, propter ipsorum superbiam luxumque, alienus videri vellet, tamen in iis quantum poterat regum desiderium renovabat: quae conditio maiorum, quae amplitudo olim sub regibus fuisset, subinde disseri inter ipsos

curans; habuisse eos domi cuius animum conciliare ofciis atque praesenti obsequio possent, a quo honores, a quo praemia virtutis atque industriae sperarent; quae nulla sub segni Venetorum imperio, cuncta in patricios suos avertentium, essent. Atque hos inter nobiles sermones serebat. Populares magnum in nobilitatem odium habentes, novarum rerum cupiditate; servos, libertatis; libertos, praedarum spe; omnes, religionis facibus (ea enim via ingressus, reliqua sibi aperuerat) contra rem publicam et venetum nomen facile accenderat. Tantum tamen fuit in homine huiusce rei artificium, ut cum ad novandas res omnium animos erectos haberet, nemo quo eius spectaret animus, aut sensit omnino aut prodidit, cuncti publicae utilitatis amantem praedicarent.

12. Iam satis opum, satis auctoritatis ad omnia movenda, cum libuisset, contractum intelligens, adsciscere sibi aliquos consilii conscios statuit, quibus administris adiutoribusque ad reliqua peragenda uteretur. Erat tum in insula epirotis equitibus, queis custodia maritimae orae mandata est, praefectus homo graecus Megaducus nomine, qui stirpem suam ad illum Megaducum referebat, qui in illa Byzantii expugnatione, qua unum omnium maximum christiano nomini vulnus inflictum est, imperatori proximum dignitatis locum obtinuerat. Summum ad omnia momentum affectanti res Cypri is erat Megaducus futurus, cui duo equitum milia, maximum regni robur, qui circumductis stationibus maritima totius insulae loca amplexi custodiunt ac speculantur, parebant. Quod cum Didascalum minime fugeret, hunc omnium primum aggressus, eius virtuti assentando, ac antiquam nobilitatem commemorando; in spem potiundi regni, ab ingenii vanita-

Cypri, cum vellet, occupaturus esset, atque inde Venetos eiecturus, si in regis fidem clientelamque reciperetur; cupide admodum a barbaris auditus est, iam pridem eius insulae occupandae occasioni imminentibus, et pro insita ferocibus animis superbia, indignanbus in Asiam usque, ac paene in imperii sui viscera fines venetam rem publicam protulisse. Verum quia res magna movebatur, neque satis fidei erat in nuntio, dum omnia certe exploraut, et modum agendae rei componunt, bona spe bonoque animo esse cyprium iubent.

14. Peractum haud dubie fuisset maximum facinus, et polluisset graeca audacia regiam maiestatem, pudendis obsessam captamque iam artibus, nisi Dei bénignitas, et felicitas rei publicae illam labem avertisset. Erat tum forte Constantinopoli cretensis quidam, cui pecuniaria levis controversia ante cum hoc ipso nuntio intercesserat. Is graeca calliditate praeditus, cum adversarium suum cerneret frequentiorem esse apud Bassas, facilioresque aditus habere, quam et hominis conditio, et consuetudo barbarorum ferre videbatur, primo mirari unde illi haec gratia, atque hinc observare diligentius hominem coepit. Cum ipso demum congressus, percunctatur, et quid ei tantopere negotii esset Byzantii? Ille civilem amici causam fingere, ei se operam dare. Cretensis quo minus simile vero videbatur civilem causam agentem, tam familiariter ad Bassas admitti, ad quos vel regum legatis saepe difficiles aditus esse sciret, eo magis suspicari id quod erat, ipsum aliquid contra rem publicam agitare; id quale esset intelligendi ingens hominem cupido invasit: et cum neque ab ipso expiscari, nec investigare uspiam facile esset, vafricie plusquam graeca hanc viam excogitat.

15. Hominem confícta causa in ius vocat. Ius Byzantii venetis civibus sociisque legatus rei publicae dicit. Cum ille citatus venisset, cretensis pauca de causa locutus, quae et nulla erat, et malam defendi ab se videri ipse volebat, insolenter se iactare coepit, minima legati reverentia. Facile eum alter rifutavit. At legatus qui cretensis contumaciam aegre quamdiu diceret sustinuerat, malam causam impudentiori lingua agentis, non solum secundum adversarium ilico pronunciat, sed hominem magno convicio excipit, et omnibus probris insecutus, multaque acerbe interminatus, e conspectu abire iubet. Ille quasi iniuriam legati iniquissime ferret, maerens fremensque discessit. Una cyprius egreditur, ut insuper dolori illuderet. Cretensis iram omnem in legatum intendere, illum accusare, stomachari vero indignam servitutem, ipsam aperte perstringere rem publicam tanta quidem acerbitate, tanta animi commotione, ut cyprius qui ob coepti facinoris conscientiam laeto haec animo accipiebat, adversarium oblitus, amice hominem solaretur. Ille digrediens gratias ei agere, et omnia reconciliati animi signa prae se ferre. Postera die cyprio dedita opera occurrit, roganti ecquid iram remisisset, iratum se quidem multa pridie dixisse, respondet, plura, si posset, ratione facturum. Quis enim illorum iam superbiam ferat, queis non publice solum, quod ipsum est deplorandum, serviendum sit, sed tot esse dominos habendos, quot nascantur Venetiis patricio genere? Ecquis ipsorum non se regi aequari vult? Quis vero non regiam superbiam exercet? Se quidem sancte iurare, amico in Venetos animo nunquam futurum, et quia facultas sibi non sit ulciscendi improbos tyrannos, Deum precari ut impiam stirpem eradicet. Haec

atque alia huiusmodi, quae studiose ad invidiam confingebat, saepe cum in Venetos evomeret, ut ea non ab recenti ira, quae deferbuerat, sed ab constanti voluntate dici viderentur, fidem fecerunt infesti in rem publicam animi.

16. Itaque cyprius, qui tantae rei, quam agebat, molem aegre solus sustinebat, peropportunam ratus sibi futuram acris et industrii hominis operam consiliumque, cretensem seducit, et eius comprehensa dextra fidem postulat religioso quae enunciasset silentio tecturum, adiutoremque ac socium patrando negotio futurum. Accepta fide, rem omnem ei ordine aperit; Cyprum in Didascali potestate esse, servos, libertos, plebem, nobilitatem suo quosque captos hamo teneri; Solimani auctoritatem auxiliumque expectari, ipsum liberaliter omnia polliceri. Cretensis mixtum cum admiratione ingens animi gaudium simulare, collaudare ipsum, Didascalum in caelum ferre, qui tantam rem et suscipere, et conari primus Graecorum sit ausus: multa deinde ultro interrogat de statu negotii, ac multum inter se de omnibus rebus collocuti, postremo ad exequenda quae statuerant digrediuntur. Cretensis recta domum contendit, et totam rem sicuti acceperat Cretae insulae praetori perscribit, et quanto in discrimine Cypri res sint, nisi celeriter occurratur demonstrat; scriptas deinde litteras legato rei publicae ostendit, atque totam rationem coniurationis patefacit. Legatus attonitus sceleris simul et periculi magnitudine, cretensis fidem industriamque satis laudare cum non posset, hominem complexus, nunquam cariturum suis praemiis tantum in rem publicam meritum recipit; atque ei mandat, ut pergat cyprii consilia actionesque explorare, et omnia ad se deferat; et confestim

litteras ab eo scriptas per exploratoriam navim (celerrimum id navigii genus) in Cretam mittit. Inde pari celeritate in Cyprum perlatae sunt.

17. Erat tum in insula militaribus rebus praefectus Iohannes Matthaeus Bembus, prudens atque efficax vir, et eius sceleris eo acrior vindex futurus, quo minus tantam ipse pestem in sua provincia versantem senserat. Is ubi ex constantinopolitanis cum legati tum cretensis litteris de nefariis Didascali consiliis et coniuratione cognovit, se ipsum accusans, quem tanta res fefellisset, nihil interea periculo terretur; sed tota cogitatione ad ultionem incumbens, et nihil tam metuens quam negligentiae crimen apud senatum, siquod incommodum accepisset res publica, quod tantum intestinum malum suae provinciae prius Constantinopoli enunciatum, quam ab se intellectum esset; re cum paucis suorum communicata, flammam ante opprimere quam erumpere posset intendit; ac Didascalum vagantem per insulam, et confirmantem suorum animos, Paphi quo tum forte ad concionandum venerat, comprehendi, et ad se Nicosiam deduci continuo iubet; missis qui praesidio essent trecentis equitibus. Id Bembi iussum, etsi prius peractum est, quam suspicari quisquam posset, tamen ante quam Nicosiam perveniret Didascalus, quae Papho milia passuum centum distat, tanta ad famam capti eius excita multitudo ex oppidis agrisque Nicosiam sese effuderat, ut facile appareret studiorum plus satis eum omnis generis comparasse ad quodvis facinus exequendum.

18. Itaque Bembus, et qui ei veneti cives in consilio aderant, cum tantum insulae motum perspicerent, veriti ne si vivum diutius asservarent, eis eriperetur, resque in apertam seditionem ac vim erumperet, cui

obsistere ipsi non valerent, ea ipsa nocte, quae diem adventus eius secuta est, tollendum hominem decernunt; et pro temporis angustia acri de illo quaestione habita, ante quam lucceret, ad supplicium tradunt. Ductus, cum in curiae vestibulum exiisset, vociferari, ac fidem opemque suorum implorare coepit. Tum Bembus iniici in os linteum, et gulam reluctantis laqueo frangi imperat. Quod ubi factum, asello, qui tum forte oblatus est, cadaver imponunt, delatumque ad carnificinam, altero pede, quod proditorum supplicium est, patibulo suspendunt, dispositis deinde armatis, imperio dato, ut quemcumque tumultuantem cernerent, extemplo opprimerent. Ubi illuxit, edici a praeconibus per urbem iussit, ut omnes, sive servus sive liber qui eo triduo Nicosiam venisset, civitate sine mora abiret, ac domum quisque suam rediret. Confluxerat ad tam triste spectaculum universa paene civitas, stupentesque maerore intuebantur modo se ipsi, modo ducem suum: cum praeconis vox iubentis abscedere foro, et in suam quemque domum divertere, audita est. Edicto, quod neque auctor quisquam existeret, quem multitudo sequeretur, et fora compitaque armati tenerent, maesti dolentesque paruere; ita tamen ut animi dolor in omnium vultibus cerneretur, constaretque ducem iis ad furorem, non voluntatem, deesse. Exivere eo die Nicosia supra octo hominum milia; ex quo intelligi potest, quantas liber ac integer vires fuisset habiturus, ad quem sola comprehensi fama excita tot hominum milia concurrissent.

19. Ita Bembus culpam non detectae coniurationis, extinguendae celeritate praeclare correxit; et Venetiis eodem paene tempore et factam et oppressam esse, patres acceperunt. Extinctum sic deflevere tota insula

omnis generis homines, sic indigne peremptum palam ferebant; ut praetor edicto praecipere necesse habuerit, ut ne quis Didascalum post haec ullam in partem nominaret; gravi defuncturum poena, qui nominasset. Hoc tum metu coërciti sunt, quominus quod statuerant in divorum numerum relato, divinos ei honores publice decernerent. Quin habeant animo, ita absterreri non possunt (tanta caelestis eius mentis opinio occupavit imperitae multitudinis sensum, et in Graecorum pectora facile omnis superstitio illabitur!) ut ad eius tumulum, quem in solo, ubi humatus est, coniectu lapidum excitarant, mulierculae paroeciique supplantes saepe videantur, eundem mortuum apud Deum admissorum deprecatorem sperantes, quem vivum salutis auctorem et vindicem libertatis stulti sequuti fuerant.

EXPLICIT.

ANTONII MARIAE GRATIANI

EPISCOPI AMERINI

EPISTOLARUM AD NICOLAUM THOMICIUM

LIBRI DECEM.

LIBER I.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Videor loqui tecum cum ad te scribo, eaque re ita recreor, ut nulla magis desiderium tui sustentem. Scripsi ternas tibi ex itinere litteras; alteras ipsa digressûs nostri die, alteras Ferraria, tertias Pisauro. Sed pisaurenses, nautae dedi nescio cui, qui vereor ne earum litterarum primam iacturam faciat, si navis ex tempestate levanda sit. Has habes quartas Laureto missas, quo heri ad vesperum venimus. Maximam mihi laetitiam attulit loci huius fanique sanctissimi aspectus, propter difficillimi illius morbi mei, quo apud Russos laboravi, recordationem, salutisque impetratae gratiam. Cum enim omni fere humana ope destituerer, Divae beneficio servatus sum; cui secundum Deum salutem acceptam dum refero, gratesque et vota persolvo, incredibile quoddam gaudium animo cepi. Ipse Cardinalis (1) rem divinam fecit, nobisque omnibus sua manu salutarem hostiam porrexit. Cras discedemus religione omnes pleni. Renaldus lippitudine sua laborabat, sed convaliturum brevi speramus. Salutat te Car-

(1) Scilicet Commendonus, quocum Gratianus ex polonica legatione redux erat.

dinalis et comites omnes. Tu Pomorschium (1) nostrum salvere iube plurimum meis verbis, et vale etiam atque etiam, mi amantissime et suavissime Thomici. Laureto ·VIII· cal. novembris 1566.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Veni Romam a Cardinali praemissus postridie cal. novembris, ipso quo Venetias litterae mittuntur die; sed tempus ad te scribendi non habui. Cum tamen abs te mihi binae litterae advenienti redditae essent ·XVI· et ·XI· cal. novembris datae, his vehementer sum lactatus. De rebus tuis, deque constantia tui promissi, studiorumque tuorum ratione, grata mihi fuerunt quae scripsisti omnia. Graecis litteris hortor te ut incumbas; magno tibi erunt et ornamento et adiumento ad ceteras artes, ad quas videris factus consequendas. Perge, mi Thomici, ut coepisti, magno et erecto animo, et saepe cogites quantam de te expectationem concitaveris. Enitere ut eam non sustineas modo, sed etiam vincas. Ac mihi crede, si ingenii istius nervos intenderis, eo pervenies paucis annis, quo aspirare pauci possunt. Gratulor tibi episcopi posnaniensis adventum, quem tibi et litteras et mandata et cetera quae expectabas a patre attulisse arbitror. Ei meis verbis salutem referes plurimam. Reginam Poloniae a patre tuo Viennam ad Caesarem fratrem deducendam ferunt. Sed hoc tu melius ab episcopo cognosces. Cardinalis Urbem ingressus est pridie nonas sollemni obviam itione, et concursu maiore quam ipsius tulisset voluntas. Sed ita

(1) Erat hic polonus homo, quem Thomicio adolescenti ad patavinam academiam studiorum causa proficiscenti pater custodem adiunxerat.

Pontifici placuit. Officiis nunc adeuntium ac visentium nos amicorum detinemur. Cum ab his quieverimus, scribam ad te pluribus; nam haec scribens, centies sum interpellatus. Vale ·VI· id. novembris.

3. GRATIANUS GEORGIO POMORSCHIO.

Etsi quas ad Thomicium meum litteras scribo, eas tibi communes esse intelligo, tamen has ad te proprias dare volui, non ob aliam causam quam ut te ad scribendum provocarem. Ne sis, quaeso, in officio negligens, mi Pomorschi: quamvis enim tam altas radices egerit noster amor, ut litterarum adminiculis non indigeat, tamen haud exiguus est absentium amicorum fructus, litterarum sermo; quem fructum ego dabo operam, ut uberrimum a me capiatis. Tu mihi Thomicii mei amorem conserva, et cave ulli rei parcas, qua re ipse aut tu indigeas, aut nostri praestare istic possint. Valetudinem et tuam et Thomicii mei diligenter cura. Vale. ·VI· id. novembris.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Tu ne id veritus es, mi Thomici optime, ne aut tui immemor sim, aut in scribendo negligens fuerim? praesertim ad te, cuius desiderio ita teneor, ut nihil mihi sit iucundius quam tecum per litteras colloqui. Quotus enim dies abit, qui non tui tuorumque sermonum iucundam habeat recordationem? quo tui saepe mentio a nobis non fiat non solum apud nostros, sed etiam apud eos qui te non noverunt? quibus ingenii tui praestantiam atque illam morum suavitatem qua omnium tibi animos devincis praedicans, fructum

quendam eximii mei erga te amoris capere mihi videor. Vide quantum absit ut me negligentiae aut oblivionis accusare possis. Scripsi ego ad te ex itinere, post illas litteras quas Ferraria dedi, Pisauro primum, deinde Laureto; ac satis accusare ipse non possum tabellariorum negligentiam ne dicam an improbitatem? Quamquam perierint licet quas ex itinere dedi litteras, non est quod dubites quin ego te scribendo sim expleturus; tu modo mecum certare hoc officii genere velis. Curtium rediisse Patavium laetor, teque hominem allocutum, ac doctrinam et mores eius probasse. Velim vos in eadem perstare sententia. Vir est melior quam quantus est de illo sermo, qui tamen est maximus, et quam uno congressu intelligi possit. Mihi quidem de te saepissime cogitanti, nihil occurrit et tibi et tuis studiis accommodatius. Contubernium Polonorum, praeter quam quod crebras interpellationes habiturum est, discendae italicae linguae magnum impedimentum afferet, quod negligendum tibi non arbitror; ac ne illud quidem, et cum medico et cum viro optimo et humanissimo et nostri peramante esse te, qui nec valetudine sis firmissima, et litteris des operam. Diligenter quaeso rem expendite, et id consilii capite, quod vobis vestrisque rationibus magis expedire videbitur. Vale etiam atque etiam, et a Cardinali salve. Romae ·XVI· cal. decembris 1566.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Cum tuas litteras avide ut soleo expectarem, praecipiendum mihi hoc temporis ad te scribendi duxi, antequam adveniant tabellarii, quod eorum adventu tanta saepe litterarum turba opprimor, quibus necessa-

rio rescribendum sit, ut angustia temporis vehementer interdum urgeri soleam, et ad te, quem praeterire nullo modo possum, nonnisi raptim scribere cogar. Superioribus meis litteris hortatus te sum, ut de medico consilium ne mutes; idem nunc censeo; meliorem virum, humaniorem hominem, amantiorem tui, nostri etiam studiosiorem, non facile istic invenies. Delectabit, crede mihi, hominis consuetudo, probabuntur mores, proderit ipsa hominis ars qua excellit. Studiis praeterea tuis atque instituto vulgaris linguae nostrae perdiscendae aptissima ea mihi conditio videtur. Cum Polonis tuis ne licebit quidem etiam maxime volenti tam temperanter vivere, quam et actas et studia et valetudo tua postulant: saepius interpellaberis, nonnunquam etiam abduceris a libris studiisque tuis invitus. Linguae quidem, cuius intelligentia usu maxime acquiritur, minus certe impendes operae. Sed haec vos videritis. Ego quoniam te Iesuitam auditurum proximis tuis ad me litteris scripsisti, cum nuper cum Renaldo nostro et Carga apud eos in germanico contubernio essem, petivi ab eis ut mihi a Societatis magistro ad patavinos sodales suos litteras darent, quibus te diligenter commendarent. Facturos receperunt, et litteras mihi cras daturos, quas ego ad te mittam; non quod te commendatione indigere existimem, quem satis et dignitas et mores et ingenium commendat tuum, praesertim ad eos viros qui omnibus pro singulari eorum humanitate patent; sed ut apud eos ipsos testatum facerem singularem amorem erga te meum.

Vidimus germanicum contubernium, inspeximusque totum: admiratus sum cum multitudinem nobilium adolescentium, tum mirificum ordinem et rationem, qua et vivunt et reguntur omnes. Sunt etiam

iuvenes adulti permulti, qui eadem disciplina continentur, atque una omnes regula ad litteras, ad probos mores, ad pietatem diriguntur, ad quod ipsum est institutum contubernium. Consentaneas instituto leges habent, distributa tempora diei noctisque sic, ut quae divinis officiis, quae studiis, quae cibo, quae somno, quae exercitationibus corporis, animique relaxationibus dandae sint horae, quisque teneat. Ingenui cantus musicae et fidium permissi, negatae saltationes, quae levitatem habent. Ludi latrunculorum et pilae conceduntur. Atque haec omnia, ut dixi, statutis temporibus. Nemini datur famulus; ipsi sibi invicem ministrant; lectum sibi quisque sternit, qua in re imperitiam Iulii Savorniani, quem nuper his aggregaveramus, risimus, qui suum lectulum vix contexerat stragulo, incompositumque reliquerat. Ceterorum mira elegantia. Hic tu mihi; tantum ne tibi, inquis, ab re tua est otii, ut isthaec ad me scribas? Ego vero propterea adventum tabellariorum ad scribendum expectare nolui, ut tecum quasi cum praesente loquerer. Ut enim cum una eramus, omnia narrare et quicquid in buccam garrire solebamus, idem cur absentes per litteras non faciamus, cum otium est, non video. Ego certe si quid mihi superest temporis a munere et occupatione mea, quocum libentius et iucundius consumam, quam tecum, non habeo.

Sed hactenus iucunda; accipe nunc tristem nuncium qui de Regina Scotiae hisce diebus ad Urbem delatus est, quamquam incertis auctoribus. Memini me tibi aliquando ostendisse editum scriptum de quorumdam Hugonotiorum coniuratione, qui in Reginae caedem ipso conscio Rege conspiraverant. Vidisti tum quomodo subita paenitentia Regis e sceleratorum manibus

erepta fuerit. Quam ferro nequiverunt, veneno appetisse dicuntur. Ecqua barbaries, quae tanta immanitas usquam terrarum est, quam isti unius huius feritate facinoris non superarint? Et feminam et Reginam quod ea de sacris ac religione sententiam haberet, quam a maioribus acceperat, quam colit ecclesia Dei, quam ab ipsis acceptam apostolis inviolatam continentibus tot saeculis retinuit, necare veneno? nec eos aut regia maiestas aut sceleris ipsa novitas et atrocitas commovisse, quos vel ipsius aetas imbellisque natura deterrere debuit? Scilicet cuius rei hominibus auctores sunt, exemplo etiam esse volunt; et quod verbis docent, re comprobare. Librum enim pervulgarunt superioribus mensibus, quo licere populo necem regi moliri religionis causa tradunt; quo quid magis apostolorum institutis praeceptisque adversatur? Sed omnino huius sectae propria ac singularis crudelitas est, ut dubitari certe possit utrum faciant magis scelerate in homines, an de Deo magis impie loquantur. Horret animus ea recordari, quae facta ab iis proximo gallico bello hisce diebus legi, defossos homines vivos, in alios alligatos arboribus tormentorum globos certatim collineatos, avulsas aliis partes canibus obiectas, suspensos alios iis membris in quibus summus est pudor et dolor, sexcenta praeterea genera crudelitatis, quae ab impiis illis copiis piissimus quisque tulit, qui in sacrilegas earum manus incidit. At ista quamquam inauditae feritatis, in privatos tamen homines, flagrante bello, cuius summa semper fuit licentia. Si vero reges ipsi appetuntur ferro a sceleratissimo quoque, si grassari venenis licet, cuius tandem vita satis firmis praesidiis septa erit? Vides, mi Thomici, in quae tempora veneris; et eum aetatem istam, qua es, fluxam infirmamque longe prae-

curras ingenio, ita fac animum tuum instituas, ut Deum Deique cultum ac religionem habeas antiquissimam. Haec autem, etsi praeter id quod initio institueram ad te scripsi, tamen eo pertinebunt, ut intelligas quam tecum praeclare sit actum, qui nullo tuo consilio sed divino beneficio illarum pestium contagionem vitaveris.

His scriptis, redditae sunt mihi litterae tuae, in quibus de imminenti tibi gallica profectione scribis; quo magis videor praesagienti quodam animo superiora scripsisse. Te patris tui voluntati obsequi convenit. Equidem vellem te non tantum fundamenta doctrinae et eruditionis iecisse, sed etiam extruxisse altius aliquid quod magis appareret, ante quam te peregrinationibus dederes; neque omitteres istam cum urbis tum praeceptorum opportunitatem in tanto et aetatis et ingenii flore; sed, ut dixi, parenti obsequendum, qui fortasse alia quae nos non videmus spectat. Gaudeo te tam bona valetudine uti, cui rei ut des operam, te vehementer rogo. Miror vero nullas te litteras accepisse a nobis, cum ego nullum tabellarium praetermiserim, cui litteras ad te non dederim etiam ex itinere. Deiectum me illa spe, quam te Romae videndi paene certam conceperam, ita moleste fero, ut totus ille nostri digressus dolor renovatus sit. Sed nescio quod mihi Numen spem abiicere vetat. Vale. Romae ·IX· cal. decembris.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Cum exivissem nudius tertius ad visendum regis Poloniae legatum, qui dum multa in suum adventum apparantur, ·XX· ab Urbe lapide restitit, ita avide ad tuas litteras legendas hodie recurri Romam, ut etsi

meridie inde discesserim, tamen incitatis equis ante quam porta excluderer venerim. Recta ad tuas litteras, quae apud Cardinalem erant, pergo, quas quid dicam breves, cum paene nullae fuerint? Ita ne vinci te pateris a me, ut cum ego tam multis occupationibus et hoc ipso munere meo scribendi Cardinalis litteras assidue distinear, nullum praetermiserim tabellarium, cui non ad te longam epistolam dederim, tu in tanto otio tam breves ad me litteras mittas? Sed non est nunc tempus ad expostulandum, aut accusandum tuam negligentiam ne dicam, an amoris et voluntatis remissionem? Sed expecta alias a me litteras, a quibus ut dignus es vapules. Pomorschium appello, vel potius tibi diem apud illum dico, quo iudice poenas te mihi daturum spero. Sed plura non possum. Vale. Romae pridie cal. decembris.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Proxime brevitati litterarum tuarum irascebar; nunc vero cum ea ad silentium res etiam reciderit, quibus te accusem verbis? Quas tantas occupationes tuas fuisse putem, quae te ab amoris cursu revocarint? Equidem si te in litteris abdidisti sic, ut nullum tempus a studiis vacuum tibi concedas, laudo institutum tuum, teque in eam rem ad quam mihi natus esse videri soles, totum incumbere, valde laetor. Sed vide, mi Thomici, primum ne studiis ipsis tuis iniuriam facias, qui de iis nihil ad me scribas, de quibus studium meum et curam non ignoras. Deinde illud considera, praecipuam esse partem tuorum studiorum, qui scribendi laudem sectaris, frequentem et accuratam epistolarum scriptionem, quibus eodem tem-

pore et expolitur oratio, et amicitiae coluntur. Ad hanc exercitationem, quae et officii et laboris fructum habet, ego te provocare non destiti, non quidem mea causa, qui pridem cum Ciceroni tuo, tum studiis omnibus multam salutem dixi, et quem imbecillitas valetudinis et assiduitas muneris atque operae meae istam laudem appetere non sinunt, sed quod tuae hoc esse curriculum industriae, hunc campum quo tui vis illa atque acies exultet ingenii, semper iudicavi; quam ne negligas, pro perspecto tibi amore meo erga te, magnopere adhortor. Verum ut ad institutam accusationem redeam, qua te re impeditum fuisse dicam, quominus ad me scripseris, et promissi fidem non exsolveris, eam ne studiorum quidem quantumvis magna occupatio satis iustam excusationem habeat? Quam de animi tui constantia quicquam dubitare, malo accusare negligentiam, cuius non te modo iam, sed ipsum etiam quem nuper appellabam Pomorschium, condemno. Quid enim? Usque adeo mihi in amore non respondetis, ut rescribere ad meas litteras pigeat? Itane ardens illud vestrum erga nos studium refrixit? Hoc certe mihi persuadere nunquam potero, qui Thomicii mei liberalem animum, atque utriusque vestrum humanitatem perspectam habeo. Omnem ergo culpam negligentia sustineat, qua ita vos liberabo, si eam mihi ubertate atque frequentia litterarum compensabitis.

Razwillus dux Olicae •V• cal. decembris discessit. Ego illum unius diei iter sum prosecutus; ac dum Romae fuit observavi coluique iuvenem diligentissime; cuius ita mihi iucunda fuit paucorum dierum consuetudo, ut perpetuis me sibi vinculis amoris obligaverit. Hic vero eum se in omnibus rebus praebuit, ut cum modestiae et probitatis, tum catholicae religionis prae-

cipuam laudem tulerit. Quod divinae benignitatis beneficium eo fuit nobis admirabilius, quo eius omnem antehac institutionem alieniorem ab hac laude fuisse intelligimus. Pontificem maximum sancte veneratus est, et ab eo summa cum humanitate acceptus. Templa frequens adiit, rei divinae quotidie interfuit, reliquias sanctorum non curiose magis quam religiose inspexit. Et erant vestrum quidam, qui illi hoc munus divini beneficii invidentes, simulationis optimum iuvenem insimularent, et non religionis causa haec ab eo fieri criminarentur; qui mihi nec quid christiano homine dignum sit, satis perspicere videntur. Quid enim a libero nedum a principe alienius, quam contra sensum animi et vultum et actiones et sermonem ad aliorum voluntatem fingere? Quid vero christiano homine indignius, quam aliud sentire de Deo, aliud loqui? cum mortem ipsam appetere in confessione fidei gloriosum atque salutare semper habitum fuerit. Sancti illi viri qui nobis aerumnis et laboribus suis hanc christianae fidei disciplinam reliquerunt, quos cruciatus, quae supplicia subire maluerunt, quam vel unico verbo de professione fidei suae, quam cordibus infixam habebant, decedere! Cuius autem impietatis est de Deo sacrisque religionibus aliud occulte sentire, aliud gratiae causa ostentare! Ab hac certe indigna christiano homine simulatione abest ingenium, absunt mores huius optimi et praestantissimi iuvenis. Cum eo mihi de te creber sermo fuit, deque tua profectione in Gallias, quam ipse hoc tempore minime videtur probare multis de causis quas prudenter afferebat. Ipse qui Gallias universas excurrere cogitaverat, mutavit consilium, et visa Genua, quo per dispositos equos profectus est, in Poloniam contendit, ubi domesticis rebus compositis,

in Italiam se rediturum mihi confirmavit. Deus eius consilia fortunet! Bartius Regis legatus ad Urbem est, ingressum tamen suum differt certis de causis, qui quidem ingressus splendidissime apparatur. Lesniovolscium proxime Romam mecum adduxi optimum adolescentem et tui peramantem. A te mihi litteras ostendit polonice scriptas, ac aegerrime fert, se propter tuum discessum convictus tui spe decidisse. De te, de tuis studiis, atque adeo de tuis rebus omnibus litteras a te expecto. Salutat te Cardinalis, ego Pomorschium, atque ab utroque peto ut Pendasium et medicum salvere mihi plurimum iubeatis. Valete. Romae ·VII· id. decembris 1566.

8. GRATIANUS THOMICIO.

Quamquam longas ad te litteras hodie publicis tabellariis dederim, tamen ne Hieronymum quidem Rosdzrazonium Venetias sine meis litteris venire sum passus; qua in re meam diligentiam ita velim ames, ut imitere, qui abundans otio, ab occupatissimo homine studio atque officio vincare. Quod si mihi in amore respondes, ut certe respondes, (quid enim mihi exploratius amore Thomicii mei erga me?) mihi ad omnes meas litteras rescribas. Hieronymo ornatissimo iuveni mihique amicissimo catechismum Romae nuper ex concilii tridentini iussu editum, ad te perferendum dedi. Eum velim legas, nam praeter quam quod christianae religionis praecepta atque mysteria paucis comprehensa eo libro continentur, ita est eleganter atque accurate scriptus, ut cum theologorum loca pertractet, tamen ubi res ferat, incorruptam latini sermonis integritatem plane retineat. Vale. Romae ·VII· id. decembris 1566.

9. GRATIANUS THOMICIO.

Flagrantem tuarum desiderio litterarum, atque adeo subirascentem tibi, quod superioribus perbreves, proximis tabellariis nullas ad nos litteras dederas, placavit me planeque tibi restituit epistola tua, non longissima illa quidem, neque eiusmodi quae explere cupiditatem meam potuerit, sed amoris notis, et suavissimis ingenii tui floseulis insignis, quibus utrisque incredibiliter sum delectatus. Quod si plenior in scribendo fueris, nihil erit amplius quod in tuis litteris requiram. Et quamquam inopia rerum laborare non potes, ipsaque tibi studia tua satis magnam argumentorum segetem suppeditatura sint, tamen si cetera desint, vel illas ipsas fabellas mihi narrato, quibus molestiam calorum atque itinerum nostrorum levare interdum, interdum etiam me obtundere solebas. Age dum mihi Fritium illum tuum, atque excita festivum senem, ut quando necessitate disiungimur, commoditate litterarum efficiamus ut praesentes videamur. Non vulgari amore iuncti, mi Thomici, sumus; igitur tantam necessitudinem alamus litteris, excolamus officiis, tueamur obsequio, omnem vero ab ea removeamus negligentiam, qua torpet amor, eiusque comitibus silentio et taciturnitate extinguitur: has amicitiae pestes a nostra benivolentia profligemus.

Renaldus, non causa nostra, lippitudine cum leviter laboraret, insalubritatem caeli causatus, et necessitatem discedendi cupiditati praetendens, me repente deseruit ferus, neque hiemis atque ventorum nunc maxime furentium metu, neque ullis meis precibus retineri potuit. Consuetudinis tuae fructu privatus, in

huius amore atque assiduitate acquiescebam. Hoc quoque solatio spoliatus, quid mihi ad summam solitudinem deest? Ergo iacebo desertus in maerore ac tenebris, orbatus utroque amicitiae lumine. Neque enim is ego sum qui illis circeis poculis, de quibus scribis, immutari possim, quae ne libavi quidem unquam; et has omnes fucosas amicitias, atque omnem aulae splendorem cum unica profecto nostra ambulatione non confero. Crudelem igitur Renaldum, a quo quaeso poenas tu et Pendasius iniquae profectionis repetite, neque eum abire Patavio ante nonas ianuarii permittite. Haec illi animo in Asulanum suum properanti gravissima poena erit. Ego abeuntem prosecutus sum ad Roseum montem. Haec vero ad te scribebam ante lucem; sed cum iam exaudiam surgentium strepitum, immo vero cum iam vale dicat Renaldus, finem faciam scribendi. Illud tamen non praetermittam, laetari me summopere tua cum Pendasio consuetudine, viro optimo et doctissimo, cuius et eius similium amicitiae tibi, mi Thomici, et fructuosae semper et honestae erunt. Pomorschium salvere iubeo. Ad eius epistolam rescribam cum Romam rediero. Vale. Monte roseo ·XIX· cal. ianuarii 1566.

IO. GRATIANUS THOMICIO.

Ad litteras tuas ·VIII· id. decembris datas rescripsi ea epistola quam Renaldo dedi, brevius quam vellem, et quam mea superiorum dierum consuetudo ferebat, propter loci ac temporis angustiam; sed tamen pluribus fortasse quam tu velles, nam mihi interdum venit in mentem vereri ne te molestia afficiant meae litterae, cum intelligam iis te non modo ad scribendum

non excitari, sed plane fieri negligentiorem; quo iniuriam tu quidem facis amicitiae in qua nullus est absentium iucundior fructus, quam litterarum creber et familiaris sermo. Illud non assequeris, ut ego litteras ad te dare intermittam; quae si tibi molestae erunt, tuam scilicet negligentiam ulciscentur; si gratae, corrigent. Excute quaeso istam pigritiam, teque huic da exercitationi, qua nihil studiis atque instituto tuo utilius, nihil mihi optatius facere potes. Numera epistolas meas, quas ad te post discessum meum scripsi; numera, quas ad me dedisti; confer tuas cum meis occupationibus, victum te officio, victum amore fateare necesse est; atque ita quidem victum, ut ne certasse quidem videri possis. Quid autem te, quid ingenium tuum minus decet, quam certamen diligentiae, officii, benivolentiae defugere? Sed nolo vehementius te urgere. Tuas litteras expectabo, quibus si mihi non satisfeceris, incessam te assiduis conviciis.

Hortensia semina, de quibus ad me scripsisti curabo diligenter. Mandatorum tuorum memor, quae mihi proficiscenti dederas, effigies veterum Urbis monumentorum aeneis formis impressas ad te mitto, non tam ut eorum imaginem absens contemplere, quam ut admiratione antiquitatis ad ipsa visenda aliquando accendaris. Quibus adiunxi nonnulla sanctorum virorum atque ipsius praeterea auctoris et Servatoris nostri simulacra desumpta de optimorum artificum tabulis. Atque haec quidem non solum admirationem, verum etiam venerationem habent, eoque tibi gratiora arbitratus sum fore. Sed nactus opportunitatem, ante quam Renaldus vectoribus istuc ferenda apud me reliquit, neapolitanos mustaceolos, quos vocant, tibi mitto, Neapoli mihi his diebus allatos. Sunt autem lenocinia

quaedam ciborum, ac caenae et prandiorum capita, aromatum salubri et iucunda conditione commendata. Est enim illa urbs horum artifex et magistra delectamentorum. His adieci alutas ex serico violaceas et purpureas, et eleganter elaboratas pyxides odorati et artificiose conditi saponis eiusdem urbis his deliciis semper affluentis. Vale. Romae. •XIII• cal. ianuarii. 1566.

II. GRATIANUS THOMICIO.

Tamen a breviloquentia non discedis? Quid exilius litteris tuis? quid aridius? Esto superioribus diebus nihil ad nos scripseris iustis impeditus rebus; at iis exsolutus, quam mihi epistolam misisti! quam brevem! quam nihil habentem, praeter exiguam excusationem anterioris negligentiae! quae ipsa non tam excusanda, quam compensanda studio proximarum litterarum fuit. At nihil erat quod scriberes. Primum usque adeo es inops ab argumentis, ut complere duas pagellas etiam nullo proposito argumento nequeas? Deinde quam multa erant in meis litteris quibus responderes? quae omnia a te praeterita sunt. At eram, inquis, perturbatus litteris quas a patre gravius in me scriptas acceperam. Id quidem silentii culpam levat, brevitatem litterarum non excusat, quas pacato iam animo, ut ipse significas, scripsisti. Verum illud ipsum quicquid fuit doloris ex paternis litteris quod accepisti, communicare ac partiri mecum maxime debuisti, cui propter nostram coniunctionem idem apprime quod tibi futurum sciebas; a quo vel parem dolorem et sollicitudinem, vel consilium si minus prudens, fidele certe et benivolum, expectares. Atqui ego vehementer expecto quid illud sit quod de te improbi ho-

mines et malivoli ad patrem detulerunt, quod tamen laetor esse huiusmodi, quo tu nixus animo nullius criminis conscio, non magnopere commovearis. Haec tibi rectae mentis conscientia pluris semper sit quam hominum sermo; neque transversum unguem ab ea unquam discedas. Probi adolescentis est, qualem te ipsa finxit natura, culpam praestare, invidorum delationes non perhorrescere; neque enim opprimi aut occultari veritas atque innocentia potest, quae se per se ipsa in lucem vindicat. Hac tu fretus, studia tua alacri pacatoque animo persequere, quorum potissimum causa abes a patria, et tuis, et nobis ipsis qui maxime tui sumus, cares. Ac perge quo te vocat Deus, cui quin curae sis, dubitare non debes. Ipse te ex omnibus semper periculis pignerabitur. Sed, amabo te, illud quicquid fuerit, fac me certiorem. Aveo scire quo se usque efferat hominum nequitia. Tuum suspicor cum Deo et piorum parente ecclesia reditum in gratiam, patrem gravi ipsum errore obcaecatum offendisse. Id si ita est, quid commoveare? Factum hoc tuum praestabit Deus.

Patris labare illud consilium de te in Gallias mittendo, magnopere laetor; non studiis, mihi crede, non moribus, non denique incolumitati tuae expedire censeo illo mittaris; et urbem aptissimam litteris, sedem omnis liberalis fortunae relinquas; eas sequaris terras ubi nihil sanctum, nihil inviolatum, nihil tutum, omnia caedibus, insidiis, tumultibus permiscentur, ubi non hospes ab hospite tutus, nec socer a genero; totusque ille locus, quo ferreum saeculum depingere conatus est clarissimus poëta, in miseras nunc Gallias cadere videatur, in quibus quondam religionis humanitatis atque omnium bonarum rerum domicilium

fuit. Et hoc proh sancte Deus! paucorum efficere potuit impietas simulatione religionis dominationem appetentium. Sed quoniam in Gallias delatus sum, haec inde nuntiantur: Lutetia discessisse omnes Hugonotiorum principes, praeter Condeium quem sunt qui sperent improborum causam deserturum atque rediturum ad sanitatem. Huius frater Borbonius Cardinalis cum in consilio Portianum, quod in oppidum Cardinalis ditionis impietatis ministros immisisset, qui concionibus populum ab eius fide atque obsequio averterent, acriter accusaret, seque non multum eam iniuriam laturum palam diceret, Rex ipse Cardinalis verba secutus ita Portianum accepit, ut ille concideret animo. Sed Ammiralius Hugonotiorum caput et praecipuus concitator superioris belli, Portianum excusans adiecit, aequum esse ut Rex permissa cunctis sacrorum licentia ipsos quoque uti pateretur. Tum Cardinalis, quae inquit vobis in nostras urbes nostrosque clientes licentia permissa est? At tu, Ammiralie, qui Germanos in Gallias evocasti, patriamque feris nationibus pervastandam obiecisti, exitium Regi puero moliri sustinuisti, eumque quantum in te fuit regno spoliasti, dignus es qui inviso isto capite poenas persolvas. Qua certe de re si ad consilium referatur, ego te iudicio omnium damnatum primus mea sententia condemnabo. Quae a Cardinali approbante Rege dicta, atque etiam denunciante se daturum operam, ut sibi rem amplius cum puero non esse intelligerent, tantus illis metus est incussus, ut urbe protinus cesserint. Sed quoniam quieturi minime existimantur, Rex legionem Helvetiorum conscribi, et in Gallias adduci iussit. Reginam Scotiae veneni vim, adhibitis subito medicamentis superasse, incolumemque evasisse scribunt. Ex Hispania transmis-

surum Regem in Italiam confirmatur multorum litteris, et ad pacandos Belgas ob religionem tumultuantes cum magnis copiis iturum. Is quidem est Bartio Regis vestri legato optatissimus nuncius, qui ipcommoda longissimi itineris se sperat vitaturum. Vale. Romae •VI• cal. ianuarii 1566.

12. GRATIANUS THOMICIO.

Si scriberem ipse, retinerem institutum meum, et longiorem ad te hanc epistolam mitterem: sed dictavi propter morbum oculorum, in quem ex assidua superiorum dierum vigilia et scriptione incidi, ita molestum ut eorum paene mihi usum eripuerit, neque adhuc abstinentia ulla aut inedia depellere infesti humoris vim potui. Credo hoc mihi Renaldi imprecationibus contigisse, quem interdum irridere lippitudine illa sua laborantem solebam; de quo, quia nihil ad nos post suum discessum scripsit, eram sane sollicitus; quem si convaluisse et salvum ad vos venisse cognovero, facile feram eius morbum in me esse translatum, in quem morbi paene omnes coniurasse videntur; ita appetor ab illis assidueque exerceor: neque puto desistent, donec summa dies ab illorum importunitate me vindicet, quam tantum abest ut reformidem, ut etiam ultro interdum exoptem; nihil enim est miserius hac tanta valetudinis perturbatione, praesertim nulla spe melius aliquando fore: praestat profecto relinquere vitam, quam totiens interpellatam atque impeditam morbis ducere. Verum hoc Deus viderit; ego certe onus hoc impositum in ipso iuventutis aditu prope vivi cadaveris feram aequo animo quamdiu vixero, deponam aequiore cum tempus advenerit.

Te vero, mi Thomici optime mihique carissime, vehementer hortor, ut valetudinem tuam cures diligenter, câque secundum Deum et virtutem nihil tibi ducas in omni vita pluris. Praeclarum munus corpus bene constitutum, et haud scio an maius a natura homini tribui possit, illi tamen homini qui tanto non abutitur naturae dono. Fere enim ut quisque est corpore firmissimo, ita facillime in ea vitia praecipitatur, quae morbi infirmitasque valetudinis consequuntur; a quibus quia tu longissime abes, mi Thomici, atque isto adolescentiae flore, maturae aetatis in omnibus rebus consilium adhibes, valde lactor.

Novi apud nos nihil erat, quod ad te magnopere scriberem. Percrebrescit rumor de Regis Hispaniarum adventu, ad quem in Italiam asportandum omnes undique naves atque triremes, quae quidem eius imperio parent, Barcinonem ipsius litteris evocatae sunt. Bartius Urbem inibit ·VI· idus; ·III· dabitur ei senatus; utriusque diei pompam perscribet ad te Staritovius qui in ipsius legati domum migravit, atque omnibus rebus intererit; id ego ab illo petii. Orationem legati nomine habebit ·M· Antonius Muretus, vir in hoc dicendi genere magna semper cum laude versatus. Eam orationem, ubi fuerit habita, scriptam ad te mittam. Romae maxime qui loca prope flumen incolunt, in magno metu fuerunt; nam Tiberis continentibus aliquot dierum imbribus et nivibus auctus, quae australibus ventis solutae ex omnibus montibus profluxerunt, atque eorumdem flatu ventorum repulsa ab ostio vi atque impetu fluminis, ita tumuit ut superatis ripis proxima quaeque proluvie aquisque inundaverit. Suburbana prata plane obruta, ablata pars tecta illius ambulationis quae ab Hadriani mole ad palatium perdu-

citur; vinariae cellae plurimae completae, collisis effusisque doliis. Herbarum semina collegi permulta, quae ad vos mittam cum serendi et colendi tempora ac rationem didicero. Pomorschio salutem. Vale. Romae ·IV· cal. ianuarii 1567.

13. GRATIANUS THOMICIO.

Odi paene meos oculos, etsi oculi sunt, id est omnium rerum carissimi, quorum morbo fit ut ad te sicut soleo scribere ipse non possim. Dictare cogor, qua in re ita mihi displiceo, ut fructu illo qui est litteris ad eos scribendis, quorum desiderio afficimur, periucundus, privari mihi videar. Sed parendum necessitati, cui veniam dare erit humanitatis tuae. Quamquam licet mihi brevitate uti, te magistro. Non tua te fefellit de me opinio; legentem tuas litteras primum commovit furtum, quod domi tuae factum esse scribis; deinde Pomorschii periculo perturbatum, mirifice recreavit atque adeo extulit nuntius de patris litteris ad te allatis, mutatum aut certe reiectum consilium de gallica profectione, in quo tua profecto salus et incolumitas agebatur; suppeditatam abunde pecuniam, permissum ut diutius sis in Italia; quae omnia dici non potest quantam nobis laetitiam attulerint, tantam scilicet quantam tu ipse existimas, cui cognitus perspectusque est animus in te noster. Cum autem nos dico, Cardinalem quoque dico, cui ita carus es, mi Thomici, ut nemo pater de filii salute magis laborare posse videatur. Hac tu non tam humanitate parentis, quam benignitate Dei erga te, ita fac utare, ut ad ipsum Deum consilia atque cogitationes tuas omnes referas; iacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. Quod certe tu facies:

novi enim ingenii tui probitatem, novi indolem, novi pium erga Deum animum, cuius proximae tuae litterae quantam significationem habent! Quanti illa est cupiditas tua vitam ipsam, si res ferat, pro catholicae religionis veritate atque dignitate profundendi! Quam vero illa sapiens, quam christiana, quam supra aetatem tuam usurae huius lucis contemptio, atque caelestis illius et aeternae vitae appetitio! Macte; te enim curat Deus, qui quos fructus maturae olim istius virtutis capturus sit, praestituit. Sed fit nescio quo pacto ut cum ad te scribo, praeter id quod institueram, ad exhortandi rationem saepe delabatur oratio mea; quod totum velim amori tribuas, et summo cuidam studio erga te ac de te meo, perspecto tibi quidem, sed quo ego interdum provehor. In posnaniensis episcopi domum migrasse te laetor, et ut apud eum sis, quamdiu ipse Patavii fuerit, et optimi viri humanitate fruaris, te hortor. Donec iudicium fiat de sublata pecunia, caute nec unquam soli per urbem incedite, tenebras vitate insidiis aptas et nocendi cupidis opportunas. Quamquam magnopere iam Pomorschii pedibus confido. O illum virum, qui gladios pernicitate elusit! Ipsum et Iacobum Bresnicium salute impartire. Et tu vale, mi Thomici optime et optatissime. Vale et salve. Romae ·XI· id. ianuarii 1567.

LIBER II.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Quî tibi venit in mentem, me de tua constantia dubitasse? Nunquid igitur nobis nostro inter nos animo quicquam exploratius? Si pectus profecto tuum ut di-

citur videam, non sane mihi certior, quam nunc sim, de intimis tuis sensibus esse videar. Sint licet multae latebrae multique recessus in hominum animis, et multis simulationum involucris tegatur uniuscuiusque voluntas, nostra certe natura aperta semper et simplex, nihilque occultum, nihil obscurum, nihil fictum habeat. Ego te pigritiae in scribendo accusavi saepe, fidei nunquam. Et quamquam fructum quendam capi ex amicorum litteris dico, quo magnopere excitatur et acuitur amor, quo in genere tuam interdum diligentiam desideravi; tamen is ego sum maxime, qui amicitiae vim caritate, caritatem ipsam non tam officiis quam animo metiri soleo. At tu homo es mirificus qui ex meis litteris eum sensum, a quo omnis meus aberat sensus, pro epistolae argumento eruere, quam mihi ad multa de quibus ad te scripsi respondere maluisti. Fuit hoc malitiae, illud humanitatis tuae, quod nullum post hac tabellarium praetermissurum te, cui litteras non des, tam sancte polliceris; in quo rem facies et tua diligentia et nostra benivolentia dignissimam, mihique longe gratissimam. Ita valeam, mi Thomici, ut languentem me assidueque cum morbis luctantem nihil tam recreat, quam tuarum litterarum sermo. Ego tecum et copia et crebritate epistolarum libentissime certabo, neque me aut occupationes quibus me exsolvere non possum, aut valetudo quam penitus amisi, ab hoc certamine revocabunt. Tu modo fac ut vir sis, et congredi audeas, praesertim cum sis et ab otio et ab omni re paratior. Polonum hominem, etiam nobili genere ortum, a Turcis legatum Venetias venisse quod doles, facis tu quidem pie, et amanter erga patriam, cuius nomen vereris ne qua macula ex huius labe aspergatur. Attamen non hoc Poloniae igno-

miniosum quae illum genuit (quae enim civitas, non modo natio, est in qua non improbi multi nascantur?) sed ipsi perniciosum qui ambitione et inanium bonorum dulcedine elatus, aeternis se suppliciis destinat. Sed quando tu ab eo in convivium adhibitus es, aveo scire qui fuerint vestri sermones, quidve ipse de sacris religionibusque, quid de Christo ab se deserto loquatur. Hortensia semina misi ad te superioribus diebus, plura Neapoli expecto, quae ubi venerint, ad te perferenda curabo. Brzesnicio velim me excuses quod ad eius epistolam non rescribo, excludor enim angustia temporis. Saluta mihi et ipsum et Pomorschium, et vale. Romae ·XVIII· ianuarii 1567.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Amo, mi Thomici, dolorem tuum, vel amorem potius; ab hoc enim profectam intelligo illam curam qua te angi scribis valetudinis meae; quam quaeso curam nos deponamus, et committamus omnem Deo: ipse regit nos, et custodit nos, et fecit et creavit nos. Me quidem ita proximorum annorum morbi confecerunt, ut de lucro iam prope biennium vivere videar: ita vero mihi molesta est diuturna haec curatio perditae cuiusdam et profligatae valetudinis, ut mirum quam me mei ipsius satietas et fastidium ceperit, cui propter recens hoc malum oculorum ne illud quidem solatium relictum est, me cum libellis oblectandi. Sed haec ut dixi omittamus, ne commemoratione mearum miseriarum in parem te molestiam vocem. Semina herbarum dedi superioribus diebus Bononiensium tabellariis ut ad te perferantur sine vectura; nam si tabellariis Venetorum dedissem, pluris tibi semina conste-

tissent quam quanti sunt germinum fructus. Neapolitana nondum erant allata; expecto in dies; ad te cum venerint, continuo mittam.

Orationem de obedientia Pontifici maximo a Rege Poloniae delata, mitto ad te habitam a ·M· Antonio Mureto erudito homine et in dicendo exercitato: luculenta sane est, amplitudinem vestri regni, mores atque instituta gentis, et res a vobis gestas ita copiose complectitur, ut historiam condere quam ad rem dicere maluisse videatur. De legati regii ingressu in Urbem, ac de celebritate eius diei, quo illi senatus datus est, scribendi ad te negotium Staricowio dederam, cum essem ipse occupatior, sed ille insita vobis ad scribendum pigritia, quod receperat, ut ab eo intellexi, non praestitit. Is a patre revocatur in Poloniam. Cras ad visendam Neapolim proficiscitur, ut incunte quadragesima Romam redeat. Patavium, ut arbitror, veniet, ubi patris litteras expectare se velle dicit, quem de profectione sua in Hispaniam consuluit. Carnevalibus vehementer cupit Renaldus noster, ut Asoli sis apud eum, mecumque per litteras egit, ut te de eo rogarem. Quaeso igitur te ne pluris habeas armorum ludos spectare Patavii, quam viri optimi et suavissimi et amantissimi nostrum consuetudine et humanitate frui: atque illud tempus quod recepto more totum lactitiae atque ineptiis dandum esse videtur, cum homine amico ac percupido tui, atque id ipsum enixe postulanti agere, potius quam in spectaculis, quae nunquam periculo carent, velis. Quicquid statueris, Renaldum facito certiorem. Cardinalis mihi mandavit, tibi ut ad eas litteras quas ad eum scripsisti responderem; sed cum fessus scribendo sim, peto abs te ut hoc mihi remittas. Vale Romae ·VIII· cal. februar. 1567.

3. GRATIANUS GEORGIO POMORSCHIO.

Semina perlata ad vos iam arbitror, quae pridem Bononiensium tabellariis dedi; plura Neapoli expecto atque optimorum olerum, nisi me fallant olitores. Tu vero, mi Pomorschi, praeclare qui patrono tuo non tam quae terrae mandantur, quam quae animis committuntur caelestis religionis semina mittere optas. Haec autem, crede mihi, a Deo iacta sunt in isto adolescente, cui tu rector et gubernator es datus, quae herbescente adhuc eius ingenio excepta, cum id adoleverit, tanta ubertate fructus edent, ut eorum suavitatem minime aspernaturus sit pater; quamquam ut qui morbo laborant, sensus stupore, ciborum iucunditatem non sentiunt, ita horum ipse nunc fructuum gustum non habeat. Vale, mi Pomorschi, et a nobis omnibus plurimum salve. Romae ·VIII· cal. februarii 1567.

4. GRATIANUS TROMICIO.

Succensebam (quid enim negem?) tibi, quod nihil a te nobis litterarum attulissent proximi tabellarii. Haeccine diligentia? Hoccine toties iteratum promissum receptumque, neminem Romam venientem praetermittendi? Hiccine amor? Nosti reliqua. Quid quaeris? Acuebam me ad mirificam expostulationem, cum ecce tibi litterae a Iacobo Brzesnicio, quibus te Mantuam, ut abeunti ex Italia Olicensium duci occurreres, profectum intellexi; quem quidem Ducem nos vel ad Boristhenem pervenisse iam arbitrabamur, ita a nobis properans discessit mense novembri. At laetor te eo officio humanitatis perfunctum esse, vidisseque eum

ante quam Italiam reliquerit; a quo, cum eadem tibi aliquando peregrinatio instet, omnia cognosceres. Sed heus tu, videsis ne pluris Mantua tibi quam Asulus fuisse videatur. Iniuriam sibi abs te fieri putabit Renaldus qui te cupide expectat, et sibi a te promissum ait, et me sponsorem appellat. Si morem illi gesseris, vel regem te Asulanorum constituet. Sinat hoc Pomorschius noster ab se impetrare Renaldum. Quod si duriores vos praebebitis, in eam partem accipiemus, ut futuros Patavii ludos, amicissimi hominis cupiditati ac studio vos antetulisse, existimaturi simus. Valete. Romae cal. februarii 1567.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Tu vero vaticinatus es, qui me frustratum expectatione litterarum tuarum, id moleste nec tacite laturum existimasti. Ac veram quidem fuisse vaticinationem tuam, cognovisti ex litteris quas ad te cal. februarii dedi, in quibus velim ames aequitatem meam, qui certior factus a Brzesnicio, Mantuam ad Olicensium Ducem visendum profectum esse te, ne verbo quidem accusavi, cum tamen si meum ius persequi, quam tibi in scribendo non impigro indulgere maluissem, accusandi locus defuturus non fuisset. Cur non ante discessum scripsisti, cum esset ad quod mihi responderes? Quid vero fuit negotii proficiscentem aliquid litterarum exarare? An Mantuae denique quibus dares erant defuturi, si id cordi fuisset? Sed non agam tecum summo iure, neque ullam exquisitam diligentiam a te requiram, a quo non tam mihi molesta fuit officii illa praetermissio, quam iucunda excusatio. Placuisse tibi Mantuam, teque et Radzwillum humaniter

acceptos a Mantuanorum duce Mantuanisque omnibus gaudeo. Neapolitanas delicias, quas ad te misi, perlatas nondum esse miror. Renaldo prius reddentur, cuius est arcula, in quam illas conieci. Quaeres de illo, apud quem fortasse eris cum haec leges Asuli, quod ipsum fac quaeso ut sciam.

Lesniowolscio reddidi tuas litteras; decumbit is ex bubone in inguinibus nato. Afficiebatur maerore quod Bartium Regis legatum Neapolim sequi nequivisset. Iam vero putat secum praeclare actum; nam hodie allatum est, Baptistam Grisonum, Laurentium Gosliciun, Petrum Guiadoscium cum publico Neapolitanorum tabellario iter ad Bartium Neapolim habentes, inter Terracinam et Fundos spoliatos esse a latronibus, quibus illa tota infesta est regio; Grisono ereptos ·CCC· numos aureos, aliis item ablatum quicquid erat pecuniae et vestium, atque omnes fustibus male acceptos. Huius mali periculum Lesniowolscius, qui cum illis profecturus erat, morbo vitavit. Herbarum semina Neapoli allata nondum erant; non cesso urgere litteris eos quibus id negotium dedi; neque enim vereor ne illa nobis intercipiantur, nisi forte hortis etiam se oblectare latrones existimas. Polonis hominibus, quos mihi commendasti, non deero, eorumque egestatem eo libentius pro mea tenuitate sublevabo, quo illos et hanc et cetera peregrinationis incommoda religionis et pietatis studio subiisse scribis. Vides me ad singula capita ac paene verba tuarum litterarum tibi respondere? Quod si tu idem institutum teneres, neque tibi scribendi argumenta deessent, nec mihi accusandi te dares.

Belgarum motus sunt qui compressos aliqua ex parte proxima nostrorum victoria nuncient; pendent

tamen omnia expectatione adventus Philippi. Interea valent ubique arma. Hugunotiorum tanta est rabies, ut intercepto per seditionem sacerdoti exsecto pectore spiranti adhuc praecordia abstraxerint, inque oculos iniecerint. Quis divinae iustitiae iura perscrutari audeat? Hunc sacerdotem flagitiosum antea hominem fuisse scribunt, et ei vitae finis obtigit quem sanctissimis viris id ipsum optantibus et ultro se periculis obicientibus saepe negavit Deus. Viennae sperant a Turcis pacem fore, Turcarum rege voluptatum magis quam armorum studiis dedito; quod intelligens Caesar bellum malle videtur, si id paribus animo copiis instruere ac parare liceat. Cracovia scribunt, a Tartaris magnum incommodum acceptum esse in Russia, direptas vastatasque provincias Podoliae et Volhiniae, sic ut ad solitudinem paene sint redactae, multa hominum milia in servitutem ducta, incensis aedificiis, senibus et imbelli aetate necata, nunquam maiorem calamitatem ab illis beluis genti vestrae illatam. Moscorum Principem tamdiu vestros spe legatorum detinuisse, donec arcem non longe a Vitepsko communierit; expectari tamen adhuc ab eo de pace legatos, sed nemo est quin aut bellum parandum, aut iniquas conditiones contra polonici nominis existimationem accipiendas esse intelligat. Itaque bellum futurum scribunt, cui ut ipse Rex intersit postularunt atque impetrarunt Lithuani. In ipsam igitur flammam Radzwillus tuus. Tu vero interea te Patavii cum libellis.

Τέκνον ἐμὸν, σοῦ τοι δέδοται πολεμήια ἔργα,
Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Ad haec te nunc et ingenium et aetas et tempus hortantur. Curtium medicum et Pendasium philosophum

humanissimos et doctissimos velim salvere iubeas meis verbis, item Pomorschium et Brzesnicium. Tu a nostris omnibus salve. Romae.

6 GRATIANUS THOMICIO.

Etsi mihi deest quod scribam, nam neque novi est quicquam, neque ullas abs te litteras accepi, tamen sollemne meum retinebo ut ne quem tabellarium sine meis litteris Venetias venire patiar. Te autem existimo ad nos non dedisse eam ob causam quod Patavio abfueris in Asulano Renaldi nostri, ut cum eo id magnopere cupiente carnevalia ageres. Iuvat enim iam meditari causas quibus te excusem. Verum enimvero si te Renaldo gratificatum intellexero, me tuis litteris caruisse feram non moleste. Nos hic ieiunia religiosissime inivimus, ipso in hanc curam incumbente Pontifice maximo, ut hoc toto tempore non modo temperanter sobricque vivatur, verum etiam ut ne quid dissolutum in Urbe, ne quid alienum ab horum dierum religione committatur, caste integreque omnia peragantur, cum ut corporis atque sensuum vis effervescens abstinentia et temperantia comprimatur, tum multo magis ut expiatis ab omni flagitio animis, nosmet ipsos per innocentiam Deo commendemus. Itaque ipso Pontifice duce tota civitas mirifice se pietati dedidit. Semina dum haec scribebam Neapoli allata sunt: ea Bononiam Fulvio Ruggerio mittam, ut is ad te perferenda curet. Tu silentium horum dierum fac plenissima epistola mihi compenses. Vale, meumque mihi Pomorschium saluta. Vale •XV• cal. martii. 1567.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Opprimor, Thomici, ac nisi me hoc onere abiecto huic pesti eripio, funditus perii. Vix dum lucebat cum hodie ad opus surrexi, ac contiuenter fere nullo intervallo usque ad multam noctem scripsi; tanta fuit litterarum turba! in qua tamen te praeterire non potui, ad quem scribens ex diuturno labore, quasi in aliquo diversorio, requiescere mihi videor. O mi Thomici, quam tecum agitur bene, qui solutus curis omnibus, ingenio et aetate florens in iis doctrinae studiis arbitratu tuo volutaris, a quibus me fortuna arcuit semper atque repulit! At ego video mihi aut evolandum hinc esse, aut oneri succumbendum. Nam iam non valetudinis meae negotium hoc est; otiosa mihi aliqua et libera cessatio quaerenda, quam certe Romae non inveniam. Nam Cardinalis quidem cum languentem me graviterque affectum videt, cessare protinus iubet a scriptione, a lectione atque omni negotio prohibet, dolet, ac me sibi ullam operam dedisse nollet, se ipsum qui mandaverit, ac me simul qui obtemperaverim, accusat. Cum vero melius est mihi, quasi nunquam recasurus sim, ita denuo subicior oneri. Hinc, inquam, hinc evolandum in aliquam solitudinem. Quo, inquis, tu evoles? Quo putas? Ad te scilicet. Rides? Nae tu, si me salvum vis, etiam accerses.

Renaldus scripsit ad me litteras querelarum plenas de te, quod ludos Patavii spectare tibi tanti fuerit, ut Asulanum suum seque ipsum contempseris, atque biduo moratus cum eo, discesseris. At quos ludos? quorum exitus irridendos vos magis praebuit, qui quod miraremini habituros esse sperastis, quam eos ipsos

qui tanto apparatu nihil dignum miratione fecerunt. Patavium venisse Turcarum legatum, usumque hospitio vestro intellexi a multis, idque vos in suspicionem apud quosdam vocasse scrupulosos rerum speculatores. Perendie hinc in Poloniam proficiscuntur Staricowius et Dembinius. A Rosrazonio comite nuper accepi litteras Venetiis ante eius discessum datas, in quibus caput unum erat de te, cuius exemplum tibi mitto, ut ipse ex eo iudices quanta nos voluptate affecerit, et quam merito a nobis ameris. Cardinalis incredibiliter est delectatus. Tu vero macte virtute. Ego enim de tua praestanti indole ita semper iudicavi, ceteris etiam recepi, neque unquam sum veritus ne opinionem et iudicium de te meum falleres. Vale, Thomici optime et suavissime. Vale. Romae ·X· cal. martii 1567.

8. GRATIANUS THOMICIO.

Quantum mihi campum ad accusandum excusationes tuae aperuerunt! Scilicet tu in scribendo diligens, qui quaternis meis litteris tantula epistola trigesimo post die rescripseris? At etiam Pomorschium patronum adhibuisti, a quo nae tu es proditus magis quam defensus. Is enim te excusans breviloquentem, solere scribit omnia in ipsum reiicere litterarum diem. In quo ut cetera tibi iam condonem, hanc certe culpam non effugies. Cum enim neque ad meas litteras quod rescribas unquam, neque de te deque tuis rebus mihi quod scribas desit, utrumque ista procrastinatione amittis. Commodum tibi ad scribendum tempus praecipe, neque te in illas angustias redige; multa enim otioso occurrent, quae properanti excident. Sed haec hactenus. Quid vero est quod Alberto scribitur? in-

festum nocturnis latrociniis Patavium, et maxime Polonis a sicariis bellum indictum videri, petitos alios gladiis, alios lapidibus fugatos, Orhiovianam domum oppugnatam atque aegre defensam: hoc quaeso totum quid sit fac ut sciam; nam etiam in Pomorschii litteris in extremo erat, Polonos omnes Patavio cogitare. Expecto totum hoc quid sit. Renaldus valde tibi irascitur, neque adhuc placari a me potuit, nullam accipit excusationem, satisfieri sibi abs te prorsus vult, aut ante aut ad summum feriis maioribus, ut rusticatum in Asulanum suum eas, et ut ego sponsor pro te sim postulat. Ego vero mallem rusticationis socius esse; hic enim urbanos calores valde reformido, sed ferendi scilicet erunt. Tu Renaldum per litteras tibi restitue. Orationem de obedientia, Regis Poloniae nomine, Pontifici delata habitam a ·M· Antonio Mureto misi ad te superioribus diebus; vereor ut acceperis, nihil enim scribis. Staricowius Bononiam discessit, ubi litteras a patre expectare statuit. Ante quam in Poloniam proficiscatur sperat sibi permissum iri ut Hispanias visat. Eum Cardinalis per litteras Bononiam oratori diligenter commendavit. Romanae res nullae sunt quas ad te scribam, quiescunt hic omnia, ac in unis moribus corrigendis restituendaque vetere disciplina omnis opera consumitur, proceditque res egregie.

Externa haec fere nunciantur: venturum cum imperio in Italiam ducem Albanum a rege Philippo praemissum ad delectus conficiendos cogendasque copias; Regem ipsum secuturum comparato exercitu, ac protinus in Belgas ad sedandos illos tumultus concessurum, qui ipsa fama adventantis Regis paulum compressi videntur. Agrestes, qui superioribus diebus concionibus Hugonotiorum concitati arma ceperant, ac incendiis

direptionibus caedibus, qua furore agebantur, omnia complebant, clade a Catholicis accepta paenitere coeperunt. Quod modo ferrum in optimi cuiusque perniciem sumpserant, id nunc in ipsos auctores facinoris ac doctores suos intentant, et admissi veniam a regiis praefectis deprecantur. Aliorum quoque remissus videtur ille ardor animorum; est enim earum gentium et ad sumenda et ad deponenda arma subitum ingenium.

Caesar in paternis provinciis conventus agit, toto animo Turcarum bello intentus, neque eius studio deesse dicuntur populi, qui tam necessario tempore libenter ei suas fortunas offerunt. Sed omnium est opinio pacem a Turcis fore, quorum rex haud obscure a belli consiliis abhorret. In obeundis provinciis Caesar animum suum de religione provincialibus aperuisse dicitur, Catholicorum partes erexisse atque confirmasse: plerisque ex urbibus haereticos concionatores amovit; templa, monasteria, bona ecclesiarum permulta ab his occupata Catholicis restituit; quibus rebus mirum quam sibi bonorum animos adiunxerit. Tartarorum ille nimbus, qui tantam Russiae stragem intulit, si in turbinem vestri equitatus inciderit, disiectum ac dissipatum iri speramus. Ii se in Valachiam receperunt, atque aliis Tartaris domo evocatis sibique adiunctis, iter per Russiam ad suas sedes facturi putantur; quibus opponere se parat Palatinus Russiae Albertus Laskius et alii complures principes. Rex Poloniae conventum regni Petricoviam indixit, in quo bellum adversum Moscos decernetur. Tu quando isthinc cogitet posnaniensis episcopus, fac sciamus; cui et Pomorschio a nobis omnibus, me in primis, salutem dicito plurimam, et vale. Romae cal. martii 1567.

9. GRATIANUS THOMICIO.

Reddet tibi has litteras Iohannes Fishuns Ducis Bavariae legatus, vir inter suos clarus, et summae probitatis ac zeli, gravis, et mihi amicissimus. Huic nos de te, de tuo praestanti ingenio, de pietate, de humanitate ea narravimus, ut plane sit incensus studio tui. Eum cum Patavium venerit convenies; nam quin capturus hominem suavitate tua sis, eiusque expectationi de te responsurus, nihil dubito. Is Romae postulavérat a Pontifice, ut Ernestus Ducis filius coadiutor, ut appellant, episcopo frisingensi daretur; quod cum negatum propter pueri aetatem esset, illud impetravit ut procurator illius provinciae constituatur; ecclesiae ipsi episcopus praeficietur cum per aetatem licebit. Ad hunc tu Ernestum litteras legato dabis, quibus ei hanc procurationem, et hoc de illo Pontificis maximi et amplissimi Ordinis iudicium gratulere, ut quam semel inivisti cum magno regulo magnae indolis atque spei puero amicitiam, eam absens litteris tueare. Dabis etiam ad pueros nostros Oenipontem litteras scriptas germanice, ut ipsos currentes sane ad eam linguam perdiscendam cohortatione tua incites. Vale. Romae. •V• non. martii 1567.

LIBER III.

1. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Ex litteris, quas Pomorschius ad Albertum scripsit, altero pede laborare te intellexi, iacereque in lecto; hunc quidem morbum esse levem, sed tamen iacere

te. O vestros mirificos pedes! Da tu quidem operam ut convalescas, sed ita ut nihil festines, neque morbo vim afferas. Quid enim properato est opus? Recubes modo leniter, requiescas suaviter, vivas delicate et iucunde; et quamquam fides idem scienter admodum pulses, tamen praestat alium adhibere ne digitos defatigés tuos. Fac denique ut te cures molliter; et quod caput est, cave ut ne litteram quidem; nihil enim pedibus capitalius. At tu, inquis, morbum meum rides, cum ego tuo nuper angerer. Iocari libuit haec tecum, quando aliam non habeo scribendi ullam sententiam. Sed profecto extra iocum quaeso te, cum potes scribas ad me, neque committas ut ·XV· ipsos interdum dies sim sine tuis litteris, nam haec quidem iniuria est. Discessit Roma nudius tertius Bavariae Ducis legatus, qui cum nobis dixisset Patavium se venturum, ei ad te litteras dedimus, atque incendimus hominem studio tui. Ipse vir est sane probus et Principi suo percarus. Huic tu ad Ernestum Ducis filium litteras dato; eius enim ornatissimi pueri amicitia incepta a parvis, culta litteris, aetate aucta, ornamento tibi, utrique voluptati erit. Cwicovius cras cogitat Patavium, ut eius mihi praeceptor heri narravit. Expectabant nescio quam abs te pecuniam de qua mercatori pro vestimentis solverent; ea cum non venerit, et ipsi differre discessum nolint, praes ego pro illis sum; tu igitur in meo aere.

Qui Neapolim euntes Poloni spoliati a latronibus fuerant, ablata receperunt; nam latrones subito concursu ex proximis municipiis facto circumventi, in potestatem omnes integra praeda pervenerunt; praeda dominis reddita, de latronibus supplicium sumptum. Lesniowolscius Neapoli mansit apud Regis legatum,

vult Hispanias visere prius quam Patavium videat, si modo in Italiam Philippus rex non venerit, cuius adventus crebris quidem nunciis confirmatur, ac indictum iam esse iter et profectionem parari, sed ne his quidem apparatibus fides habetur. Valentiani Belgae omnibus rebus obsessi ac paene capti iam videntur. Eruptionem proxime summo conatu in obsidentes fecerunt, a quibus ita sunt in oppidum repulsi, ut ducentos suorum, in his valentissimum quemque, desideraverint; regiorum duo tantum ceciderint. Fracti hoc incommodo deditionem facturi viderentur, neque expectaturi ut quod fieri coeptum est, tormentis admotis moenia quatiantur, ac disiiciantur, nisi concionatorum et paucorum civium potentia et auctoritate deterrerentur; qui cum ipsi poenas, quas commeruerunt rebellionis et perfidiae, effugere se non posse intelligant, cumque pari scelere civitatem obstrinxerint, populum malunt secum ad exitium trahere, quam suis ipsorum capitibus falsae ab se ac inductae multitudinis culpam luere. Caesar ita paternas provincias obit, ut fidei et pietatis suae expressa ubique vestigia relinquat, mirificeque haereticorum audaciam retundat, et erigat et confirmet Catholicos; itaque in caelum fertur sermonibus ac litteris omnium bonorum. Episcopis, qui in Gallia defecerant a fide, superioribus diebus Pontifex maximus episcopatum abrogavit, atque novorum episcoporum nomina in eorum loca edi a Rege iussit. Obtemperavit decreto Rex, atque amotis fidei desertoribus, alios Pontifici probatos viros obtulit. Vale. Romae postridie non. martii 1567.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Binas abs te litteras eodem die accepi, alteras

postridie id. februarii datas, eas quas in fasciculum Cwicovii conieceras; alteras pridie non. mart. Hui binas litteras eodem die a Thomicio! Quis te iam amplius pigritiae accuset? Ac postremam quidem longissimam te de omnibus rebus epistolam Valentino Ponietowschio dedisse significas, quam quidem expecto avidissime. Sed vide ne me in falsam expectationem conieceris. Irrides me quod Patavium cogitare scripserim? Utinam tam facile cogitata perficere liceat, quam saepe his ex fluctibus in istum portum cogitatione deferor! Renaldum litteris interdum appella, atque salutem ei adscribe meis verbis. Post posnaniensis episcopi discessum, quam conduxeris domum quibusque contubernalibus usurus sis, fac ut sciam, et quando cetera desunt, domestica ad nos perscribe. Vale.

Acceptum in Hispania incommodum puto te audisse, ·XXX· onerarias naves, in quibus magna armorum et omnis generis bellici instrumenti atque ingens tormentorum apparatus erat, apud Malacam tempestate disiectas atque abreptas interiisse. Haec Hispani callido ac sollerti consilio simulatione belgici belli ad oppugnandum in Africa Algerium archipiratarum sedem comparaverant. Res enim occasionis esse videbatur, atque ea peropportune oblata, Barbaris distineri Hispanos sociorum bello arbitrantibus, et ideo imparatioribus, ac piratarum classe, quae stationem habere in illo portu consuevit, praedatum in nostrum mare profecta. His si nostrorum conatibus fortuna aspirasset, perfugio praedonibus detracto, magnum Barbaris frenum esset iniectum. At visum aliter Deo. Philippum regem huius naufragii nuncio ita perturbatum scribunt, ut triduum conspectu hominum abstinuerit. Iam vero quin venturus in Italiam non sit, nemo est qui dubitet. Atqui

de ducis quoque Albani adventu rumores valde refrixere. Sed de hac tota hispaniensi re certiores nuncii quotidie expectantur. Vale. Romae idibus martii 1567.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Duabus epistolis tuis his litteris respondebo, quarum alteram Ponictowschius attulit plenam suavissimi amoris tui, alteram a publicis tabellariis accepi stomachosiorem; non enim tam te purgas de litterarum missione, quam me accusas in eo quod tuam negligentiam insectatus sim. Audi, mi Thomici; si ita statueris, te tibi ipsi cariorem non esse quam es mihi, nihil mirabere si cessationem tuam non fero, teque aculeis excito; praesertim cum me neque occupationes meae, quibus scis quam soleam distineri, neque morbi quibus assidue vexor, usque eo interpellare unquam potuerint, ut ad te litteras mittere intermiserim, aut quemquam praeterea non modo tabellarium sed notum mihi hominem Venetias venire sine aliqua mea epistola sim passus. Fuere igitur obiurgationes nostrae amoris, non stomachi; quod genus quamquam ab amicitia nostra alienum non sit, tamen quando tibi molestum est, eo posthac non utar; attamen ita non utar, si tu, ut instituisti, ita perges; sin minus, at sentics.

De Radzwillo duce nihil ad me scripseras praeter quam te cum illo fuisse. Nunc laetor optimo inveni optimam mentem esse, ac de illorum eum via decessisse qui in circuitu ambulant, et quasi labyrintheis in flexibus errantes, postremo in terrificae illius beluae fauces iucidunt. Atque eo quidem laetor magis quo abs te illi primum exeundi viam monstratam, te illi glomerem lini, quo se ex illo errore explicaret tradi-

omnium rerum; nihil nisi seditiones, caedes, direptiones, templorum incendia nunciantur, quâ muniuntur invito Rege oppida, quâ diruuntur, quâ eiiciuntur Catholici, quâ haeretici obsidentur. Quibusdam in urbibus Hugonotii tabulas atque omne publicum instrumentum palam in foro atque concione combusserunt, ne quid extet veteris memoriae: novas ipsi conficiunt tabulas, novas leges condunt, pro arbitrio ac libidine statuunt omnia, atque evangelium iactant.

Antuerpiensibus summum impendere discrimen videtur, improbissimo quoque diripiendae opulentissimae urbis occasionem captante. In proximis oppido locis magna servorum, damnatorum, et agrestium colluvies omnium fortunis inhiantium quotidie cogitur. Negotia prorsus intermissa, fieretque vulgo mercatorum discessus, nisi retinerentur partim Aurangii precibus et auctoritate qui conservare urbem studet, partim metu obsidentium vias nebulonum. Scribunt, Aurangium ut tantis malis occurrat (quo animo Deus noverit) ad mitigandam plebem augustanae confessionis ritus caerimoniasque permisisse; ea vero concessione incitatos esse Hugonotios, qui sibi Lutheranos praeferri non ferunt. Gallici quoque motus in Allobrogibus afferuntur, transire alpes Bordilionem Regis praefectum cum septingentis equitibus cataphractis: missos a Rege, qui duas regiones Helvetiorum conducant. Haec quo eruptura sint, nescitur.

Ecce tibi novum monstrum. Cadaver Regis Scotiae occisi proiectum in agro inventum id. febr. Genus caedis, causae, atque auctores facinoris ignorabantur; sed non dubitatur quin ex religionis dissensionibus sint. Magni motus temporum atque omnium rerum conversiones imminere videntur, nisi nos Deus aspe-

xerit. Dissipatus erat his diebus tota Urbe rumor, apud Centumcellas effossum thesaurum, quae res in tanta pontificii aerarii inopia peropportune videbatur cecidisse. Nunciatum id fuit Pontifici ab ipso qui locum commonstraverat; missi qui inspicerent; aurea numismata circiter mille quingenta in veteri urna reperta renunciarunt; atque huc recidit illa thesauri spes quae totam urbem occupaverat. Sunt autem numismata communis aurei nummi instar, in quibus plerisque imago est Honorii imperatoris; atqui ita fulgent, ut si recentissime essent cussa. At ego sic omnia persequor dum tuae cupio satisfacere curiositati, in qua plane es ὀξύπτινος, ut verear ne arguta nimis haec tibi sedulitas videatur; nostri certe otii non est. Tu autem in eam partem accipies, me in meis summis occupationibus tuae memoriae libenter dare operam. Idem tu facito, et cura ut valeas. Romae ·XII· cal. aprilis.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Male de Robortellio. Me certe singulari molestia affecit, non quo amicum amiserim, nam ad hunc quidem dolorem iam obdurui; neque etiam propterea quod ipse usura huius lucis careat, quem luce frui sempiterna speramus, et quem satis aetati, satis nomini ac gloriae suae vixisse existimo; nemo enim nostra memoria in omni ingenuarum doctrinarum genere clarior; sed profecto quod in tanta doctorum hominum inopia, dignitas istius urbis, quae theatrum olim summorum ingeniorum fuit, diminuta admodum ac paene collapsa videtur eius interitu. Nam ut philosophis et iuris interpretibus floreat Patavium, tamen exteri homines, et nostrorum ut cuique praestans est ingenium,

earum maxime litterarum studiis ducantur, quae et sunt et vocantur humaniores, in quibus qui excellant, qui quidem suffici Robortellio possint, summam esse video paucitatem. Doleo praeterea alienissimo tuo tempore ipsum decessisse, teque fructu privatum atque usu eruditissimi viri. Ac vererer ne tuus ad hanc laudem aut interrumperetur aut retardaretur cursus, nisi te eo progressum intelligerem, atque iis esse naturae subsidiis munitum, ut si te ipse excitaveris, si ingenii tui nervulos intenderis, cuiusquam operam ad eniten-dum non magnopere desideraturus esse videaris. Com-motum esse te hac iactura, nihil miror, qui quanta sit in te probitas, quam mollis ad omnem humanitatem animus, probe novi. Sed hac conditione nati omnes sumus. Ac tu quidem, qui vitae prima nunc quasi spatia ingrederis, ferendis his casibus mature assuesce; saepe enim accidunt, ac nisi provisos habeamus, intolerabilem interdum dolorem faciunt.

Expecto quam nunc rationem studiorum institueris, ac ne graeca intermittas, valde te hortor. Ego, mi optatissime Thomici, sacris hisce diebus legi libellum Augustini inscriptum de utilitate credendi, in quo quam me multa delectarunt! quam apto huic tempori atque adeo his temporibus pabulo animum refeci ac recreavi meum! quam saepe te desideravi vel laudatorem, vel interpretem, vel socium iucundissimae maximeque salutaris lectionis! Lege, amabo te, hunc libellum, ex quo et fructum et voluptatem capies maximam. Perbrevis est, unica perleges die; scribito deinceps ad me tuum de eo iudicium. Cupio enim ut vel absentes de studiis inter nos communicemus. Vale. ·III· cal. aprilis. Romae 1567.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Grassatoribus istis, qui vobis periculum faciunt, Deus male faciat! Quod enim scribis de rapto ingenuo puero, intolerandum sane facinus. Cardinali certe ita res visa est indigna, ut cum Venetorum legato qui Romae est vehementer egerit, ut ad senatum hac de re scribat, quod de se facturum recepit, et curaturum ut Polonorum natio Patavii ab iniuriis vindicetur, habeaturque Cardinalis commendatione carior. Spero senatum, pro sua sapientia et in exteros humanitate, mandaturum magistratui, ut vobis vestram dignitatem retinere Patavii liceat, et de rapto puero diligenter perquiratur. Sed eum puerum intelligo negligenter admodum custoditum fuisse ab iis, quorum curae ac fidei commissus erat. Tu quid actum erit, scribito ad nos.

De te autem ego ita censeo, quando conductam habes domum Patavii, ut maneas usque ad maiores ferias, quarum nisi fallor initium fit ineunte iulio. Deinde protinus rusticatum exeas in Asulanum Renaldi, atque ibi reliquam aestatem agas. Hic mihi videor clamantem videre Pomorschium: hui rusticatum duos menses! Maxime. Quid enim potius facias? Sed ne me putet velle ut feriatum eas in Asulanum, libros illô tuos deferas omnes iubeo. Non sane video ubi illud tempus, quo vacationes Patavii et calores sunt maximi, aut salubrius aut utilius consumpturus sis, quam in summa amoenitate, summo otio, summaque commoditate studendi arbitratu tuo. Et quia illius temporis multum valetudini atque animo indulgendum est, supervacaneas operas interdum aucupio, interdum venationi

dabis. Aut si ab his te calores prohibebunt, ludes ante cibum pila; pransus ad vitandas meridiationes, quae nec utiles sunt et torporem afferunt, aut tesseris aut talis; pomeridianas horas falles aut latrunculorum ludo, in quo latrunculum te esse maximum narrat Pomorschius. Armaturam illam quam a Radzwillo duce dono accepisti seponito, atque nunc aliis exercetor armis.

Luditoque effigiem belli simulataque veris
Proelia, buxo acies fictas, et ludicra regna,
Ut gemini inter se reges albusque nigerque
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.

Haec tu bella gere, quibus te gloriatur Pomorschius saepius a se victum. Vir optimus est hic Pomorschius et amans tui; de te cum illo iucundissimos habuimus sermones, expiscatus sum ab eo omnia. Hanc autem iucunditatis plenam rusticationem condiet suavitas et humanitas Renaldi nostri et amor erga te singularis. Hoc meum consilium si probaveritis, fac me continuo certiorem, quo primus per litteras Renaldo significem, gratiamque huius rei ab eo ineam. Scio enim ei nihil posse accidere optatius.

Peracta hoc modo aestate, simul ac se calores fregerint, solum vertas et Bononiam te conferas suadeo; nam ut Romam venias tam cito, vix audeo sperare. Sunt Cardinali in illa civitate multae amicitiae, magnae cum primario quoque civium necessitudines, quibus ita te commendabit omnibus, ut sperem hominum natura hospitalium et amantium externorum te in oculis fore. Audies illic Sigonium doctum virum et in illo munere publice docendi diu cum laude versatum, et vestrae gentis ut audio perstudiosum. Ego ita censeo; vos quid constitueritis, fac me certiorem. De

Luca monacho quod quaeris, affirmare nihil possum; ipse mihi narravit iussum se in Poloniam redire. Scilicet Pontifici non placet, monachum ab suorum coetu diutius abesse; et homo disertus operam suam utilius in concionibus ad populum habendis erudiendaque plebe positurus videtur. Sed hac de re certiora omnia ad te scribam ubi Regis legatus Neapoli redierit, qui propediem expectatur.

Nova haec fere nunciabantur. Mille et quingenti Hugonotii ducibus Fonlentio et Tolesano prope Antuerpiam consederant, ac si qui tumultus in oppido orirentur expectabant, direptioni opulentissimae urbis inhiantes, atque omnia circum loca latrociniis infesta habebant. Ad hos opprimendos, missu magistratus, Beavoius cum decem cohortibus profectus •V• id. mart. inita pugna Hugonotios in fugam dedit, octingentos eorum cum ducibus interfecit, paucis suorum amissis. Hessels est oppidum in Eburonibus episcopi leodiensis. Hoc Hugonotii occupaverant, ac populo in suam sectam perducto, episcopi praefectum sacerdotesque omnes oppido ciecerant, direptis eorum domibus, templa auro atque veste detracta incenderant ac solo aequaverant, publicas tabulas ut omnis extingueretur antiquitatis et catholicae religionis memoria, in foro combusserant. Episcopus indignitate rei vehementer commotus, coactis celeriter quatuor milibus hominum ante ad Hessels pervenit, quam se Hugonotii communire potuissent; ac missis qui populum ad sanitatem revocarent, oppugnationem oppidi instituerat. Oppidani metu ac paenitentia ducti, episcopo se dedidernnt his conditionibus ut templa restituerentur, templorum ac sacerdotum damna illorum aere resarcirentur, omni haeresi abiecta catholicam religionem reciperent retinerentque, sum-

cursus obiectis impedimentis remorari studeant. Haec, etsi nullo certo accepta auctore, tamen ignorare te nolui. Tu si quid ad te de his rebus scripsit pater, vel omnino quid odoratus es, fac me certiorem. De tua mansione istic quid sentiam, scripsi ad te proximis meis litteris, ac expecto quid statueritis.

Egi cum societatis Iesu magistris ut de suorum numero electos duos viros ad posnaniensem episcopum mitterent Posnaniam, quorum ille opera ad instituendam iuventutem uti possit; quod quanto cum fructu catholicae religionis foret futurum, quae opportunitas urbis, quae episcopi, demonstravi. Responderunt, se libenter morem tam piae episcopi cupiditati fuisse gesturos, praesertim in ea dominicae vineae parte, ubi in summa messis copia, operarum paucitate laboratur; sed non esse consuetudinis eorum societatis, neque omnino licere per eorum leges, singulos sodales quoquam dimittere. Praeterea duo esse in Polonia iam instituta collegia, alterum Brauspergae, alterum Pultoviae, quibus vix aut ne vix quidem idoneos homines suppeditare possunt; non tam quod inopia doctorum hominum apud ipsos sit, quam quod mirus est concursus postulantium eadem principum ac episcoporum, quorum tantum est hac in re studium, ut magistri societatis statuerint, ante quam instituta collegia suo quodque numero expleverint, a novis deducendis prorsus abstinere.

Seminarium Romae discentium puerorum constitutum est, ut in eo adolescentes qui sacris initiari, ac in templis sacerdotibus ministraturi sunt, instituantur, quo illa clericorum munera caste scienterque obeant. Horum magnus quidem sed praefinitus est numerus, ac Pontificis maximi sumptibus aluntur. Ii cum tem-

plorum usui comparentur, plerumque romani sunt, pauci proximorum municipiorum; in litteris praeterea instituuntur erudiunturque diligenter. Quo fit ut in eorum disciplinam multi extra ordinem tradantur nobiles et ingenui adolescentes, qui in contubernium recepti quatuor pro victu nummos aureos singulo quoque mense pendunt. Horum est omnium eadem vivendi conditio, eadem ratio quae servatur in contubernio Germanorum, de quo memini me ad te scripsisse. Eosdem domi magistros habent, iisdem utuntur foris praeceptoribus Iesuitis, eadem prorsus utrisque institutio, iidem mores. Habes de seminario, in quod dabitur a me opera ut recipiatur is de quo scribis.

De Regis Daniae morte puto vobis falso nunciatum, in recentibus enim ex Germania ad nos litteris nihil tale scribitur. Nex Scotorum Regis confirmatur tum rumore et nunciis, tum litteris multorum. In Livonia copias Regis Sveciae fusas a Polonis caesasque scribunt; Regem vero vestrum artuum dolore laborantem Varsaviae restitisse, ac conventum regni in post id. aprilis reiecisse. In Russia nobilitatem esse in armis duce Alberto Laskio, et Valacho imminere dicitur, quo auctore in vestram provinciam Tartari irruêre. Moscorum legatos Lithuaniam attigisse, ac iter habere ad Regem, Crasinius scribit. Morte cuiaviensis episcopi valde afflictam esse scribunt Volscorum domum, ipsum tam grandem pecuniam debuisse, ut ·LXX· M. florenorum aeris alieni reliquerit. In eius locum suffectum iri putant Camnesnium, nam Vicecancellarius certam ploccnsis ecclesiae spem, et hoc ipsum munus quo nunc fungitur, commutare cum episcopatu cuiaviensi nolle videtur. Pragam venturus erat ad Caesarem Elector brandeburgensis: nam multa esse in Ger-

mania bellorum semina conspersa videntur, quibus occurrere Principes student. Qui enim Gothae a Saxone obsidentur, non modo Germaniae nobilitatem sollicitare ad arma dicuntur, sed cum gallorum principibus Hugonotiorum miscere consilia. Contra Saxo fretus Caesaris gratia damnatos poenis afficiendos contendit, ac variis artibus Principes in amicitia sua retinet: interim oppugnationi oppidi magno conatu instat, sed pari diligentia ab obsessis resistitur. Verum verentur homines ne haec magnorum motuum initia sint.

Ex Germania descende nunc in Belgas, ubi cuncta armis decernuntur. Dum apud Antuerpiam proxime pugnaretur, Hugonotii qui in oppido erant, suorum strage animadversa, capiunt arma, ac subsidio suis venire parant. Aurangius portas claudi iubet, et omnibus locis custodias ponit. Hugonotii furere tota urbe, intentare necem, minari incendia, tormenta bellica producere, vi erupturi. His Catholici conglobati se obiiciunt, praetorio ac foro occupato. Catholicis se Lutherani adiungunt, neutris ardor animi ad pugnam deerat. Sed cum Hugonotii numero se impares cernerent, Catholici Aurangii auctoritate moverentur, composita res est, ac tunc quidem discessum ab armis. Valentianenses omnium rerum inopia adducti, ad colloquium nostros vocaverunt, ut de deditione agerent. Sed cum interea accepissent Hugonotiorum augeri copias circum Antuerpiam, quibus a sociis in urbem intromissis fore sperabant ut oppido potirentur, dirempto colloquio ad arma redierant. At paulo post acceptis de Hugonotiorum clade nunciis, desperata venia, omnes fortunas unum in locum congesserunt, eas subiectis flammis incensuri, ubi teneri a Catholicis

oppidum intellexissent ; ipsi vero contraria porta fugae se mandare, ac pedibus salutem quaerere statuerant. Postremo monentibus quibusdam non esse de Regis et Catholicorum clementia desperandum, repetito colloquio Regi se dediderunt, eique se ac sua omnia permiserunt. Norchermius regiarum copiarum praefectus confestim ingressus urbem praesidio firmavit, animadversionem ad Regis arbitrium reiecit. Hoc successu multa variis in locis oppida praesidium Regis accepisse scribunt. Bredarodam hugonoticae factionis principem Ambsterdamo, quo potissimum se receperat, nobili Hollandiae oppido excedere iussum a civibus. Rumores de Philippi regis Hispaniarum adventu, qui superioribus diebus prorsus refrixerant, calent iam, constanterque nunciatur venturum. Constat ducem Albanum convocata Regis familia pronunciasse Regem in Belgas profecturum, mandasseque ex auctoritate Regis ut omnes ad cal. iunii parati instructique ad iter essent, eam enim diem discessui dictam. Ipsum vero Albanum antecessurum Regem. Animadversum vero esse eum in edicenda Regis profectione in Belgas, omisisse qua iter esset facturus. Si pedibus ex Italia an classe per oceanum, quo aut qua, brevi scietur, si, quod multi verentur, consilium non mutabitur. Vale. Id. aprilis 1567.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Quid ais? Nihil a nobis litterarum? Scelus tabellariorum non ferendum! ego enim dedi singulis, et quidem longissimas. An vero haec tua malitia est, qui rescribendi laborem defugiens, non esse tibi redditas meas litteras causaris ? Neque enim video quâ interire illae

potuerint, et te artificem esse mirificum fallendi intelligo. Ac ut redditae nondum essent, quas non. aprilis dedi, temporique non responderint tabellarii, certe eas accepisse debueras, quae ·III· cal. sunt datae. Nollem eas periisse, quibus petieram abs te, ut libellum Augustini legeres de utilitate credendi, quod eius me libri lectio ita delectaverat, ut illius mecum cum voluptatis tum fructus participem te esse cupiverim. Ad hanc tu mihi epistolam rescribas velim, si acceperis; sin minus, id ipsum significes.

Post captam in Belgis Valentianam, Regis praefectus copias ad Cameracum duxit, atque oppido multis hostium interfectis potitus est. Restant Boscoducenses et Antuerpiani, qui recipere in urbem praesidia recusant, in ceteris rebus facturos se pollicentur quod Rex imperaverit. Contra magistratus, nihil credendum Hugonotiis existimat, nullamque conditionem accipiendam, nisi praesidio militum imposito. Caesar Pragae contendere dicitur, ut Bohemi omnes, cum superiorum tum nostrorum temporum reiectis haeresibus ad archiepiscopi pragensis auctoritatem et catholicae ecclesiae fidem redigantur; ac de omnium ordinum sententia lex promulgetur, qua Calviniani qui ad sanitatem redire, atque illam sectam deserere recusaverint, excedere regno iubeantur. Svendium adventu Turcarum copiarum, quod impar adversariis esset, soluta obsidione ab Hustio recessisse scribunt. Constantinopoli item scribunt venisse illô Regis Poloniae legatum questum de Tartarorum et Valachorum iniuriis, qui contra ius foederis provinciam Russiae populati, magnam illis populis calamitatem intulissent. Itaque postulare Regem ut captivi reddantur, et ut poena in pacis violatores statuatur. Regem praeterea, quod hungarico

bello Caesaris partibus favisse diceretur, purgavit. Addunt, interrogatum legatum quo animo Caesarem nunc esse existimaret, alienissimo a pace respondisse, atque omnia ab eo comparari ad bellum. In hanc poloni legati vocem incidisse nuncios cum litteris a Transilvano missos opem adversus Svendium implorantes; atque eodem tempore litteras Buda allatas esse, Caesarianorum crebras excursiones in Turcarum fines nunciantes. Quibus rebus Turcam vehementer commotum confestim hungaris praefectis imperasse, ut omni copia auxilium Transilvano ferrent, ac suis mandasse ut bellum adversus Caesarem indiceretur. Sed hanc ab effeminati Regis, et omnia ad voluptates et ad vacuum curis vitae genus referentis, animo cito iracundiam abscessisse, repetitamque continuo de pace actionem, neque ullum extare maioris belli apparatum. Venisse tamen Constantinopolim paulo post a Transilvano legatos cum stipendio, quod is Turcis quotannis ex foedere pendit. Hos munera singulis Bassis afferre, adnitique ut Tyranno bellum adversum Caesarem persuadeant.

8. GRATIANUS THOMICIO.

Quid commendari te per has litteras Pendasio postulas? Num quis est humanior? num quis tui amantior? Unice te ab eo diligi fierique plurimi, et praesens intellexi et cognovi ex ipsius litteris. Cum enim ad eum fere nunquam scriberem sine tui commendatione, respondit proxime, seque nihil tam cupere ostendit, quam tibi operam et studium navare suum; non solum amoris nostri, cuius ille testis est, causa, sed etiam tui. Igitur da te in hominis intimam familiaritatem; intelliges in eo viro cum admirabili doctrina parem

coniunctam esse probitatem, morum vero incredibilem et integritatem et suavitatem. Ego potius tibi ut morem geram, quam quod necesse esset, dedi ad eum litteras, quibus tamen nostra et te non tam ei commendavi, ne iniuriam facerem officiosissimi viri humanitati, quam gratulatus sum quod in vicinam domum commigraveris, ut te secum quamdiu voluerit habiturus sit, volet autem quamdiu per munus docendi suum licuerit. Vide vero quam te me alterum esse iam putent. Vialis noster petiit nuper a me per litteras ut canem venaticum conquisitum optimum ad se mitterem: quod ut facilius quasi proposito praemio, bonus videlicet orator, a me impetraret, de venatione se mihi saepe missurum pollicitus est. Ac ne mireris, inquit, quod me tibi missurum dixerim, qui tercenta ipsa passuum milia abes a nobis; cum enim te dico, Thomicium tuum dico: huic cum misero, tibi ipsi misisse mihi plane videbor. Quid quaeris? Haec antiqui hominis, et amantis utriusque nostrum, de nobis opinio me mirum in modum delectavit.

De Pomorschio rumor a quibus emanaverit nescio, ac difficile esset auctorem invenire, de quo ne laborandum quidem est, sed laetandum non esse verum. Quamquam eius rei suspicionem auget, quod tu tibi in Poloniam redeundum suspiceris, ex litteris ne alicuius an ex coniectura? Mihi certe nihil posset accidere quod magis nolim. Rediit Ponietowschius, et cras ad te proficiscitur, vult enim nundinas Venetiis spectare, quarum instat dies. Huic perferenda ad te multa semina dedi Neapoli allata. Novi his diebus nihil magnopere est nunciatum. Pergit Hispaniarum rex suspensos habere omnes expectatione sui adventus, qui quanto studiosius apparatur, tanto magis simulari homines

suspicantur. A Belgis quidem qui in fide manserunt flagitatur. Etsi enim res in illis locis prospere gestae sunt, tamen nisi compressam flammiam praesenti auctoritate extinxerit, paulo post ab universo incendio periculum futurum videtur. Tarnonium diem apud vos obiisse, ex Cromeri litteris cognitum est. Scribit agentem illum animam vehementer a familiaribus haereticis sollicitatum ad deserendum catholicam fidem, quorum ille impiam pietatem execratus, e catholicae ecclesiae gremio de vita se migrare professus est. Vale ·VI· cal. maii 1567.

9. GRATIANUS THOMICIO.

Ut illa vera esse crederem, quae de patris animo atque consilio ferebantur, equidem non facile adducebar, quod aliena gravitate et prudentia illius viri mihi videbantur. Nunc cum neque tu litteras a tuis, neque omnino de eo iudicium ullum habeas, prorsus falsa esse mihi persuasi, et iactata ab iis qui te istis itineribus ad summam virtutis laudem contendentem deterrere aut remorari student. Verum ut ut est, amare tui satis non possum excellentis animi constantiam, qui religione et pietate nihil ducens antiquius, tibi Deo obtemperandum magis esse statuis quam hominibus. Et quemadmodum ex omnibus rebus humanis nihil esse in adolescente laudabilius intelligis reverentia et obsequio erga parentes, ita in his quae caelestia sunt, et salutem animae aeternam continent, unum tibi illum parentem audiendum esse ducis, qui nos caelo extorres adoptavit sibi filios, et infinitam a nobis miseriam, infinitam calamitatem, summis suis aerumnis suppliciisque redemit. Nam, ut Paulus ait, si patres carnis nostrae eruditores reveremur, quid est quod

non multo magis obtemperemus patri spirituum ut vivamus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiunt nos, hi autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem. Itaque te complexus cogitatione absentem, gratulor tibi tanto divini beneficii munere, meoque perpetuo de te iudicio laetor in dies magis.

Ne autem ne commoveare, mi Thomici, quicquid tibi adversi vel struunt vel ominantur ii, qui te Deo partum restitutumque dolent, eorum capiti erit. Patrem habens praestanti virum prudentia, ac si non optimi in ecclesia sensus, quod depravatus sit eius animus, et iisdem machinis quibus tu nunc appeteris, a recta salutis via deductus, tamen haerentem et quid potissimum in tota fidei ratione sequatur ambigentem, deprecatore te reducet ad ecclesiae auctoritatem Deus; a qua cum discessimus, quasi spoliata navis gubernatore impellimur huc illuc fluctibus, neque cursum tenere, neque omnino quo intendamus expertes rationis et consilii scire possumus. Una enim est ecclesia ab illo capite Christo emanata, bonorum omnium fons, una norma, una regula salutis, qua hominum mentes ad caelestis iter patriae diriguntur. Hac aut odio abiecta, aut errore deserta, vagamur incerti in tenebris, et anxius animus ubi requiescat invenire non potest. At factum est quorumdam, ambitione ne dicam an scelere? an utroque? ut ea quae sit, non ignoretur quidem, nam id efficere adversarius generis humani nunquam poterit, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam; sed certe aut decepti atque inducti permulti a sanctissima antiquissimaque parente desciverint, ac tot adeo ecclesias ex factiosissimi cuiusque libidine condiderint, ut quam quis vindicat, atque

ex Christi praeceptis institutam confirmatamque contendit, quantum in ipsis fuit, omnibus in dubio positis, christianae religionis vim auctoritatemque sustulerint.

Horum primus Lutherus tamquam perfrictis aggeribus, quibus pelagi vis excludebatur, irrumpentibus aquarum agminibus, haec in ecclesiam monstra intromisit, a quibus infinitam paene hominum multitudinem, atque ipsius quoque omnem scholam absumi quotidie cernimus. Et quidem constitutam a Deo et praescriptam fidei rationem evertere conantes, in sacrarum litterarum auctoritate omnes delitescunt, et miseri videntes non vident, et audientes non intelligunt, has ipsas litteras ab ea se ecclesia accepisse, quam odio amentes tanto opere impugnant. Ut enim est apud Augustinum in eo libello quem scripsit de utilitate credendi, qui Iesu Christi acta dictaque et evangelia litteris mandaverint, plures extitere; nos tamen ceteris reiectis, solummodo illorum libros recepimus ac retinuimus, hisque fidem habemus, quos catholica comprobavit ecclesia. Igitur si quae sunt in sacris libris minus explicata, quae certe sunt, quem potius interpretem Christi voluntatis adhibebimus, quam ecclesiam ipsam, cuius auctoritate permoti Christum illa tradidisse credimus? Ab hac quid constantissime dicatur potius, quae fundamentum est et columna veritatis, animadvertere, quam aliorum pernicie, sua etiam peste, inanem sibi gloriam et famam doctrinae quaerere deberent ii, qui se evangelicos appellarunt, et nominis dignitate abutuntur ad imperitos alliciendos; quos captiosis argumentationibus ita circumscribunt decipiuntque, ut cum eas dissolvere ob inscitiam non possint, desciscant plerique a veritate. Fide, inquiunt, iustificamur. Non quaero quam vere; illud dico, lubricum hoc esse genus orationis,

et homini non acriter intelligenti paene praeceps. Atqui eo iam deducta res est, ut (quod olim veteribus accidebat in deligenda quam quisque sectam philosophorum amplecteretur) plerique infirmissimo aetatis tempore aut obsecuti amico cuidam, aut una alicuius quem primum audierunt oratione capti, de rebus incognitis iudicent, et ad quamcumque sint disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhaerescant, neglecta atque adeo derisa catholicae ecclesiae longe alia docentis auctoritate.

Hoc apud antiquos cum nullo neque rei publicae neque cuiusquam periculo fieret, tamen temeritatis nomine reprehendebatur, quod de rebus difficillimis non nisi considerate statui censebant oportere. A nobis fit in re maxima, et ex qua non animus modo, cuius salus omnibus rebus anteferenda est, supremum adit discrimen, verum etiam summae regnorum rerumque publicarum perturbationes eversionesque consequuntur. Hi demum fructus sunt ecclesiam contemnentium et abeuntium in adinventiones suas, tantumque sibi tribuentium, ut se solos scire omnia, solos verum invenisse glorientur; qui post Christum natum aliter atque ipsi docent, senserunt, eos suppliciis apud inferos mactari sempiternis. Quo quid potest dici indignius? quid magis impium? quid etiam magis absurdum? Qui cum omnes ab uno fonte profluxerint, tamen ita inter se dissident assidueque digladiantur, ut quam quisque sententiam velle innuerit ipse, vel ab alio inventam adamavit, eam pugnacissime defendat, et se solos beatos fore, solis sibi compertae veritatis gloriam vindicare audent. Nae ego horum impudenti impietate stomachari interdum ita soleo, ut errare malim quam cum ista dicentibus sentire. Sed benedictus Deus qui

nos in ecclesia sua continet; nec cum impiis in circuitu ambulare permittit, eamque nobis mentem dedit, ut pro ecclesia quae omnes omnium charitates complectitur, ne mortem quidem oppetere si res ferat recusaturi simus. Unam igitur cum divino vate, mi Thomici optime, petamus a Domino, hanc requiramus, ut habitemus in domo Domini omnibus diebus vitae nostrae.

Sed ego quid ago? Paene disputationem in epistolam inclusi. Redeo ad illud. Tantum abest ut hoc timeam, ne te pater de optimae mentis sententia conetur dimovere, ut prorsus in ea spe sim, te patri olim auctorem redeundi ad salutarem fidei sensum futurum. Quid vero minus credibile, quam illa prudentia virum pati se eo perduci, ut quo filio omnium fortunam superasse videri potest, ei irascatur quod monstratam a Deo salutis viam ita sit ingressus, ut veterem familiae laudem pietatis ac religionis paene intermissam restituturus atque etiam illustraturus esse videatur? Spargant licet ista invidi; tu, mi Thomici, quod facis, constanti fac sis animo ac bono, de patre optime et speres et sentias. Cardinalem certe habebis, cui aeque carus sis ac patri. Vale. Romae ·VI· idus maii 1567.

IO. GRATIANUS THOMICIO.

Liberalis Ponietowschius qui adhibiti erga illum nescio quid officii magnae humanitatis instar praedicat! Nos quidem eximia probitate et nobilitate virum sumus amicitia et benivolentia complexi eo libentius, quo nobis abs te studiosius commendabatur; ac si quid fuisset, in quo navare illi operam potuissemus, intellexisset quanta sit apud nos suavissimi Thomicii nostri com-

mendatio. Hanc vero voluntatem nostram vir optimus pro facto accipiens, facile ostendit, eundem se animi habitum erga nos induisse. Igitur tu, qui huius amicitiae conglutinator extitisti, conservator quoque fac ut sis. Ei, si apud te est, salutem dic a nobis plurimam; sin discessit, adscribito. Ex Pomorschii litteris ad Albertum, annum tibi ad manendum in Italia prorogatum esse a parente intellexi, quod mihi accidit periucundum, non solum quia te diutius esse apud nos laetor, verum quia ex hac prorogatione deprehenditur rumorem de alienatione patris confictum dispersumque fuisse a malivolis atque iis qui te iniectis terroribus minisque, ab ecclesiae studio, susceptoque verae laudis et gloriae itinere avertere cupiant; quorum inanes conatus utinam aliquando una ridere nobis liceat! Tu Patavii ne permanendum tibi proxima hieme, an alio transeundum sit, fac ut sciam. Istius te domus conductione delectari magnopere audio, quod et loco sita sit commodo et salubri, et quod hortulos habeat ubi te oblectare sine interpellatoribus possis. Quod si ita est, puto te Patavio non discessurum, praesertim quod te aiunt gladio accinctum (malo enim dicere quam alligatum) incedere, ut iam nihil sit quod a patavinis grassatoribus, qui infestam vobis superioribus diebus urbem ita reddiderant, ut discessionem facere cogitaretis, timeat Pomorschius noster, nefarias facinorosorum hominum impressiones pedibus eludere solitus.

Novi nihil magnopere affertur. Pacantur Belgae, et ad Regis imperium redituri videntur. Regis soror Antuerpiam ventura erat ad res eius urbis componendas. Diruta ab Hugonotiis templa ubique summo studio restituuntur. Gotham captam, venisseque hostes in Caesaris potestatem audivisse te arbitror; de Groma-

chio eiusque sociis supplicium sumptum; Vinariensem ducem in custodiam traditum, eiusque omnem ditionem fratri accessisse. Vale. Romae ·XII· cal. maii. 1567.

II. GRATIANUS THOMICIO.

Non amicitia modo Pendasii te, sed intima familiaritate, uti lector. Perge eum docentem diligenter audiendo; tuni, quod istam aetatem decet, adhaerendo eius lateri, stude fieri quotidianis viri optimi summique philosophi sermonibus doctiorem. Huic quod etiam scribis in morali nunc potissimum philosophia operam daturum, mirifice probo consilium tuum quod hanc sapientiae partem, in qua vitae sita est honestas omnis, ab eo maxime accepturus sis qui illius praecepta tam verbis apte explicat quam moribus, et vita cum virtute semper acta exprimit. Tu, mi Thomici, quamquam ea vis sit ingenii atque animi tui, ut nihil arduum tibi, nihil difficile volenti atque adnitenti arbitrer fore, tamen tanta scito te in expectatione esse, ut elaborandum tibi magnopere sit, ut summae cuidam hominum de te opinioni, ac nostrae mehercule in primis praedicationi iudicioque, respondeas. Suscepisti onus grave et Patavii et Pendasii, ad quos tamquam ad mercaturam bonarum artium profectum te quotidie debes cogitare. Itaque cum omnia tibi a natura suppeditata sint, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor est potius quam voluptas) tantum fac ut virtute atque industria tua et urbis auctoritatem decores et magistri. Disces enim a principe huius aetatis philosophorum, et disces quamdiu voles, tamdiu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non paenitebit. Licet enim verbis iisdem mihi

affari te, mi Thomici, quibus affatur filium ille noster, et ad haec ipsa studia haudquaquam tibi spe atque indole parem cohortatur. Atque eo quidem licet magis, quo et Ciceronem filium tu fama ingenii longe antecellis, et haec illi a patre charitate et studio maiori, quam tibi a me dicuntur, non tradebantur. Quis autem ille est Polonus, quem tu collegam in condiscipulatu habiturus es? non enim eius nomen adscripsisti. Ledesmae tuas litteras reddidi, qui te vir sanctus assiduis precibus Deo commendat. Mi Thomici, ego studio tuae laudis provectus te ad studia litterarum hortor, ita tamen ut valetudinis curam antiquissimam tibi esse velim. Cave enim putes quicquam esse miserius iis qui imbecillo infirmoque corpore utuntur; quae quidem infirmitas studiis maxime accersitur, nisi his modus adhibeatur. Vale, et a Cardinali plurimum salve, salvereque Pomorschium nostrum iube. Romae ·IX· cal. iunii. 1567.

LIBER IV.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Postridie idus eodem, quo vos die Avernia profecti, ·XIII· cal. Narniam venimus itinere usi percommodo; nam ab turbido caelo, et paene assidue pluviam minante, hoc tulimus boni, quod caloris et pulveris molestiam non subivimus: quod quidem nobis eo accidebat iucundius quod communem vobiscum esse cogitabamus difficiliori via iter habentibus. De adventu tuo Bononiam, deque confectis mandatis illic meis expecto abs te litteras. Patavinae urbis praetori praefectoque commendaberis Cardinalis verbis a torcellano

episcopo. Eos ubi conveneris, quam te acceperint humaniter, scribito ad me.

Quam Poloni cladem Moscis duce Romano breslaviensi palatino, intulere, sic scribitur: erat is regiis copiis in Moscorum finibus praepositus, atque eam partem Lithuaniae custodiendam acceperat, qua Duina fluvius labitur. Vir navandae operae cupidus, si qua sibi ex hostium negligentia occasio rei gerendae daretur, intentus observabat. Nec fefellit res ipsa hominis spem. Nam Moscorum duces, quod coeptam esse pacis tractationem intelligebant, securi communire arcem in illis locis instituerant. Consederat autem non longe ab eo loco ubi arx extruebatur Petrus Sebinius cum decem septem milibus hominum, ut praesidio munientibus esset. Is quod nullam firmiorem manum Polonorum esse in Lithuania cognoverat, dissolute admodum negligenterque copias habebat. Quo intellecto, Romanus delectis equitibus numero ad tria milia ad opprimendos hostes ·VIII· cal. augusti profectus, non longe ab eorum castris in sexcentos equites Tartarorum casanensium incidit, qui circum castra vagabantur. His ad unum occisis aut captis, et quid apud hostes ageretur cognito, adhibita celeritate Moscos, ante quam eius adventum sentirent, inermes ac repentino metu trepidantes invadit. Primus omnium Petrus, qui cum paucis tumultuarie arreptis, ut ceteris capiendi arma tempus daret, sese Polonis obiecerat, interficitur. Reliqui, duce amisso, in fugam omnes se praecipites dant: eorum partim caesa partim capta septem milia feruntur: magnum praeterea numerum in vicinis paludibus, quo se fugientes coniecerant, periisse; ac praeter Petrum, Georgium Colicovium, ac Simonem Palezchium claros in illa gente duces cecidisse.

Romanum ab ea victoria Tocmacovium cum quattuor Moscorum milibus in ipsis arcis munitionibus obsidere. Huius cladis nuntio acceptō, Moscorum legatus, qui de pace ad Poloniae Regem venerat, eius acquiores multo quam antè conditiones afferebat: sed quum compertum esset ipsum quae proponebat transigendi facultatem ab Rege suo non habere, infecta re dimissus est, ac utrimque bellum paratur. Vale. Narniae XII cal oct. 1567.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Heros Radzwillus tuus, quos pater eius adulterinae religionis antistites ac ministros constituerat, hos ipse omnes tota ditione sua repulisse et exterminasse dicitur, et in eorum locum revocatos catholicos sacerdotes substituisse: restitutis, quae pater eripuerat, bonis. Erat rumor in Polonia, Regem Sveciae domi suae a familiari confossum, sed auctor eius nuncii nullus. Illud quidem certe percrebrescit, ab hoc ipso Rege Magnum fratrem, sororis vestri Regis virum, veneno in custodia necatum, eiusque uxorem Mosco desponsam, quocum Svecus foedus icisse dicitur; ac putant illum ab terra ingenti exercitu, hunc mari octoginta navium classe, Livoniam invasuros, et Rigam maxime oppugnatum iri. Poloniae Regem Grodno ad exercitum lustrandum rheda profectum, prorsusque confirmant ipsum bello interfuturum, et omnem copiam recta ducturum in Moscoviam, ipsis paene Mosci legati, qui antecessit, vestigiis insistentem.

Habes res polonicas; accipe reliqua, nisi hoc etiam ad Poloniam pertinet, Reginam vestram Vienna non discessuram ante quam Caesar in Bohemiam proficisca-

tur; concedet deinde Lincium, quem locum sedem viduitatis elegit. Ex Polonia Viennam te, quae proxima est, ducam. Venatu rediens Caesar, in quo uxorem et maiores natu filias aliquot dies habuerat, in levem morbum inciderat, ex gelida vini potione; sed facile paucorum dierum inedia morbum depulit. Agitur nunc apud ipsum maxime de Regina Britanniae matrimonio cum Carolo Austriae archiduce coniungenda; qua de re Reginam speciosam Caesari legationem misit. Sed callida mulier, quantum intersit inter Reginam et Regis uxorem probe intelligens, verba dare putatur, ut Britannis suis ipsam ad nuptias impellentibus, gratificari velle videatur: eius autem animum omnes alienum a nuptiis putant. Caesar legatum ad se a turca Hungariae praefecto missum perhoneste habitum, ac multis affectum muneribus laetum dimisit. Et nunc quidem a barbaris in Hungaria quies; quamquam utraque gens latrociniis gaudens, prohiberi ab excursionibus nequit. Qui Byzantium missi sunt Caesaris legati, pacem relaturi putantur.

Transilvaniae Regulus ex illo suo morbo ut relevaretur, spes nulla erat; quamobrem convenerant principes eius gentis de novo Rege creando, inter quos et auctoritate et nobilitate excellere dicitur Stephanus Batorus, vir insignis, praestanti cum in adolescentem Regulum, tum vero in Deum fide: huius enim animus neque ab eo, quem sibi Regem habendum semel decrevit, averti cuiusquam pollicitationibus potuit; neque de catholicae religionis fide, ullius unquam suasionibus dimoveri. Legationes obire pro puero, et omnibus periculis se obiicere, nunquam est veritus; ab eodem tamen hoc uno magnopere semper dissensit, quod cum Regulus medici cuiusdam, quem a puero reve-

reri assueverat, et cui plurimum tribuit semper, assidua consuetudine ac sermonibus depravatus ad trinitariam sectam ac disciplinam traductus esset, Batorus eximia constantia in catholicae vitae ac fidei ratione permansit, et omni conatu reliquias antiquae pietatis tutatus est. Idem desperata nunc adolescentis salute ne uberrima Pannonici regni pars in provinciae formam redacta Turcarum imperio adiiciatur, Caesari vehementer studere fertur. Quid et Regulo ipsi et regno fiet, brevi scietur. Insectatur nunc gravibus edictis Calvinianos Caesar, ac non modo aulam familiamque suam illa labe purgare aggressus est, verum etiam magistratibus Hungariae, ubi latissime disseminatum hoc malum videtur, imperavit, ut huius impietatis magistros, qui iidem sunt seditionum ac civilium armorum tubae, omnibus oppidis eiiciant. In Belgis speratur otium, sed ab iis magis, qui provident minus: nam gentis aliena imperia detrectare solitae, et capitali in Hispanos odio, moti animi videntur adventu Albani ducis et exercitus; et collocati in praecipuis oppidis praesidii causa Hispani, neque ipsi ab insita militibus licentia contineri a maleficio poterunt, neque Belgae iniurias ferre magnopere didicerunt. Et haec quidem novi erant.

Nos post cal. octob. cogitabamus Romam. Tencini Comitem Neapolim concessisse videndi eius urbis causa intellexi. Rozrazewscius Tibure in Urbem rediit; a Iulio Pogiano, cui illum diligentissime commendaveram, ad Cardinalem alexandrinum adductus, et ab eo ad Pontificem; a quo scribit se summa humanitate acceptum; atque ultro mandatum ut aedes illi in palatio attribuantur, quod paucis, ac nonnisi percaris tribui solet. Ad hunc ipsum Pogianum litteras a te expecto:

cupio enim excellentem virum, et in omni potiori doctrina, humanitateque nostrae memoriae facile principem, tibi adiungere. Fac ut bellam aliquam ad eum epistolam mittas: nam ego, quod mihi cum illo usque ab ineunte mea aetate familiaris consuetudo intercedit, reddam hominem totum tuum. Est aliud quod tibi scribam? Est illud scilicet, cum Pendasio quid constitueris, fac ut sciam; et ubi Patavium redieris, ad me de tota studiorum tuorum ratione, et de omnibus rebus, longissimam epistolam mittas. Numquid aliud? Pomorschio nostro salutem, et vale. Narniae ·V· cal. octob. 1567.

3. A. M. GRATIANUS IACOBO BRESNICIO S. P. D.

Non ego is sum, qui amicorum animum erga me pendam significatione litterarum. Itaque nec tua silentii excusatio necessaria, et amoris constantia mihi iucundissima fuit. Qui quidem amor tuus eo mihi amandus est magis, quo non abs te solum amari me, sed ut ab amplissimo isto viro patrono tuo diligar, effici intelligo. Fac igitur ut utrumque mihi amorem conserves; neque enim est quo de me mereri possis amplius. Manutii amicitiam quod absens colis, facis ex ingenio tuo et humanitate, qui virum omnibus doctrinae ornamentis praestantem, non tui solum amantem habere, sed patrono etiam tuo adiungere studes. Ego cum Romam venero, eram enim in itinere cum haec scribebam, conveniam hominem tuo nomine, et de praeclara tua in illum voluntate edocebo, quam illi futuram arbitror gratissimam; neque dubito quin oblatam maximi viri benivolentiam, quae illi honori futura est, cupidissime sit amplexurus. Nemo enim illo facilior, nemo etiam amicitiarum principum ac excellentium

virorum appetentior. Perseus Cataneus est apud Regis legatum; ei, ut iubes, salutem adscribam tuis verbis. Ipsos nunc arbitror Hispaniam petere. Nam Philippus rex, cum expetitus a bonis omnibus in Belgis iam iamque expectaretur, repente transmissionem suam in sequentem annum reiecit. Thomicius meus Patavii tantos ad laudem progressus facit, et in optimarum studiis doctrinarum, tamquam in campo eius ingenii proprio, sic excurrit industria ac diligentia, ut equidem nullum gloriae terminum eius virtuti statui posse existimem. Vita modo adolescenti suppetat, nihil dubito quin et iudicio multorum et meis optatis sit responsurus. Habes ad tuam epistolam. Reliquum est ut, sicuti instituisti, amare me pergas. Vale Narniae ·V· cal. oct. 1567.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Proxime cum ad te scriberem ita eram occupatus adventu ipso nostro ad Urbem, ut vix illi tantulae epistolae tempus habuerim, idque somno creptum. Dederam autem ad te paulo ante plenissimas de polonicis rebus litteras neque enim erat aliud quod scriberem, et te illa maxime tibi perscribi velle intelligo. Narnii dum fuimus, institutum nostrum vagandi, et vicina semper loca adeundi, non intermisimus. Vidimus Velinum lacum; nihil tam visendum; est in editis montibus inter Reatinos et Interamnates, Velino fluvio et aquarum divortiis collectus, atque summis cacuminibus inclusus; latus ad sagittae iactum, circiter mille passuum in longitudinem patet. Tranatur piscatoriis lintribus, neque fere unquam accidit ut commoveatur, quod undique clausus iugis a ventis defen-

ditur; et quia arenoso solo aquam perlucidam ac fluentem habet, tructae in eo et alia piscium optimorum genera capiuntur; sed non hoc mirandum. Qua interciso monte emissus decidit, hoc te vidisse velim. Exiens alveo haud latis exceptus ripis, iam flumen ad locum praecipitem delabitur. Hinc ex altissimo scopulo illa omnis aquarum moles praeceps in profundam vallem devolvitur, tanto fragore atque impetu, ut vel ex tuto spectantes terreat: ad ipsius vero loci latera accedere, et e margine extremo imum vallis despicere, pauci sustinent; fieri enim sine oculorum et animi vertigine vix potest. Visum horribile, atque hoc ipso maxime visendum! Praeruptis saxis ac cautibus incidens aqua illisa in altum resilit, et circum aërem aspergine replens, perpetuam efficit pluviam; et qua minus denso humore aër perfunditur, ictus solis radiis perbelle caelestis arcûs speciem praebet. Terra circum assiduo rore muscosa. Vis autem aquae omnis in Nar amnem defluit, qui Fiscello monte decurrens, hoc ipso Velino vehementer auctus, in Tiberim citatus fertur, et eum maxime replet. Hoc totum adscripsi, quod quicquid nos voluptatis animo recreando captamus, id mihi tum demum fit iucundum, cum te per litteras participem habeo.

Quare ne hoc quidem ignorare te volo, advenientem Romam Cardinalem ultro abbatiae beneficio affectum a Pontifice maximo; cuius quidem honoris atque commodi fructus eo nobis accidit iucundior, quo magis testatum erga Cardinalem optimi Pontificis animum fecit, qui quód coram petentibus multis eius ordinis viris negavit, absenti nostro ac minime petenti sponte detulit. Rosdzrazonio in palatio penes vaticanos hortos attributae sunt aedes, tricli-

nium amplissimum, testudine pictisque fornicibus insigne, cui adiuncta est ambulatio pulcherrima maximeque illustris: cunctae vero aedes commodae admodum et magnificae te magnopere videntur desiderare. Cum eo assidue sum, capioque ex optimi iuvenis consuetudine magnam voluptatem; estque mihi eo quidem carior, quo tui amantiorem esse intelligo: de te enim et loquitur saepe, et sentit amplissime, et quae ipse praedicat, iucundiora mihi sunt, quod iuvenem apertissimum ac liberalissimum nihil fingere aut dare meis auribus suspicari possum. Nuper cum in curia, quae vocatur Regum, spatiaremur, ac forte Iulium Pogianum medium accepissemus, tribus vix confectis spatiis de te sermo est ortus, quo tuas laudes persecuti ita sumus, ut virum cum doctrinae gloria illustrem, tum vero ingeniis mirifice faventem, amore et studio tui incenderimus. Dabis igitur ad eum litteras, ex quibus ingenii tui praestantiam degustare possit (1). Expectabam abs te litteras, quibus quoniam Bononia nihil dedisti, de tuis rebus omnibus me facias certiorem. In primis scire cupio, quid cum Pendasio constitueris; illa enim prima nobis et antiquissima cura et est et esse debet.

Haec cum potissimum scriberem, reddita est mihi tua epistola, quam Bononiae scriptam, Patavio demum dedisti. Rixas tu quaeso fac devites, amant enim studia quietem et otium, turbas et lites litterae aspernantur: quamquam video te in tumultu fuisse sapientem, qui auxilia accersitum ieris. Lactor vestrum nemini quicquam accidisse adversi, ac in primis pro-

(1) Dedit reapse litteras ad Pogianum Thomicius, ut ipsemet testatur inter epistolas Pogiani a Lagomarsinio editas T. IV. p. 369-in adn.

fecto Firleo, quem maxime insidiatores illi petiisse videntur. Quod quando ita contigit, qui Patavii Germanos humanitate ac suavitate tua victos in amicitiam cum Polonis redire compulisti, erit tuae cum gratiae apud utramque gentem tum industriae laborare atque adniti ut Poloni quoque inimicitias, praesertim quae nullam habeant iustam causam, deponant. Suscipe rem dignissimam moribus et ingenio tuo: spero id tibi, si studium adhibueris, haud difficile fore. De Pendasio nihil scribis. Per spem perque indolem tuam, mi Thomici, excellentis viri tantam opportunitatem ne omittas. Crede mihi, si hanc neglexeris, nunquam tibi talis viri copia usquam erit. Mihi quidem de te deque studiis tuis assidue cogitanti, nihil quo magis laeter occurrit, quam te Patavium docente illic Pendasio venisse, ut olim Philippum macedonem laetatum scribunt Alexandrum filium sibi Aristotelis maxime temporibus natum esse. Urge, mi Thomici, istam cum viri tum temporis, tum etiam loci, facultatem. Hoc nunc aetas tua, hoc ingenii vis ista postulat. Praeterennt enim dies, qui revocari non possunt, succedunt aliae curae, alia consilia, aliae cogitationes. Te vero talem natura finxit, iis animi bonis instruxit, ut tibi sine maximo tuo damno atque iniuria negligenti esse non liceat. Fac igitur veram illam et solidam gloriam semper spectes, ad eam per virtutem contendas. Sed ego amore efferor; quare saepe nescio quo pacto, certe contra animi voluntatem, ad cohortandum te labor, sponte tua ad decus et ad omnem laudem currentem. Sed ea summa sit cohortationis meae, ut te totum ad Pendasium conferas, ei uni maxime des operam. Et si (quod pro viri humanitate et erga te nosque omnes benivolentia spero) ab eo impetras, ut tibi domi suae Ari-

stotelis libros de moribus interpretetur, nihil facias tanti. Cum Stanislao Warsovicio, quem mihi commendas, vetus mihi usus et amicitia est, viro profecto tantae pietatis, eruditionis, eloquentiae, ut eius similes multi utinam in eius ordine apud vos essent! Reddidi illi tuas litteras, atque eas item ostendi quas ad Cardinalem de ipso et ad me scripsisti: egit tibi summas apud me gratias, teque mihi visus est unice diligere. Quo consilio Romam venerit, quidve in animo habeat, scribam tibi postea.

Novi haec fere sunt. A vestris in Moscoviae finibus octo milia hostium in fugam data, ac ubique regios victores apparere; Regem ad bellum proficisci, nec secum Polonorum ullas copias ducere, gesturum lithuano milite bellum adversus Lithuanorum hostes; id eius consilium plerisque senatorum non probari, qui Lithuanorum neque fidei, neque viribus satis fidere videntur. Sed hoc tu tecum habeto. Poloni Volhiniae et Podoliae fines defendendos susceperunt. Albertus Laschius Craviae delectum habebat, privato ne an publico consilio incertum, nam virum acrem et imperii cupidum Valachiam spectare dicunt (1), cuius Regem et sibi vehementer infensum intelligit, et ei genti maxime gravem atque invisum. Micolaiewscius vir nobilis castellanum Siradiensem hominem opulentissimum in via publica aggressus interfecit, quod antea esset ab eo per vim possessione bonorum, quae ad ipsum ex hereditate veniebant, pulsus. Is autem Castellanus liberis carens heredem superioribus annis Regem instituerat, quem testamento ducentorum milium aureorum nummum hereditatem

(1) Recole nostrum Gratianum de Despota Valachorum principe lib. II. et III.

crevisse dicunt, praeter honestas praefecturas tres. Plura non scribam, ne posthac novas tantum res habere dicas meas epistolas. Vale. Romae ·V· cal. oct. 1567.

Obsignatis iam litteris, magnus est Hugonotiorum motus in Gallia nunciatus, maximas urbes Viennam, Valentiam, Maccronam, Romanum, ab his occupatas, Gratianopolim obsideri ac vehementer premi, conspirasse nefariae factionis principes ut Regem, Regis fratrem matremque interficerent, et cum his Sabaudiae quoque ducem, ne impedimento ad regnum occupandum postea foret. Diem ·III· cal. oct. dictum esse, quo tumultibus toto regno excitatis sceleratum consilium patrarent. Lugdunenses pro Rege stetisse, ac primo tumultu captis armis Hugonotios oppido eiecisse. Rex ubi ageret, ignorabatur; putant tamen salvum esse. Haec si vera nunciantur, magnae caedes impendere illi regno videntur.

5. GRATIANUS GEORGIO POMORSCHIO.

Groditium, quem mihi commendas, nondum vidi. Iussi illi nunciari per Albertum, quam tu mihi illum amanter commendaveris, quantique apud me ponderis sit auctoritas tua. Videbo ipse hominem, et amicitia et amore libenter complectar. De Pendasio nihil mihi scribitis. De hoc deque ceteris rebus scripsi Thomicio. Cognosces omnia de illo ex ipsius litteris. Tu mihi cum tuum tum eius amorem conserva, ac utriusque valetudinem diligentissime fac cures. Vale. Romae ·V· id. octobris 1567.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Accepi a Pendasio epistolam, cuius hoc erat ini-

tium: Thomicio tuo Aristotelis philosophiam de moribus apud me interpretari institui. Quid quaeris? Sum vehementer laetatus: urgebis igitur istam opportunitatem. Appeto condiscipulatum tuum; quae mihi si facultas offerretur, nae ego hunc Urbis aspectum atque haec ambitionis irritamenta cupide relinquerem, meque in tuum contubernium, atque in istum portum, unde nuper egressus insolens tempestatum iactari me sane aegre fero, reciperem. Habes a Pogiano epistolam perbellam (1). Tibi hoc ego confirmo, te ei esse in oculis, fama ingenii tui mirifici est captus. Tuae litterae nihil habent praeter gratiarum actionem; et haec tamen ex amicitia nostra sublata pridem esse debuerunt, aut certe tollenda aliquando sunt; et quidem quod rescribam ad eas, nihil habeo.

Igitur gallicas res, quae horribiles nuntiantur, de Hugonotiorum coniuratione, deque hominum barbaro atque immani consilio Regem regiamque domum exscindendi, cognovisti ex ea epistola, quam obsignatis iam prioribus litteris, subito ad te dedi. Haec postea subsecuta sunt. Factio, ad perniciem humani generis ex scelere et impietate conflata, regna, imperia, dominatus, per seditiones et malas artes affectans, miscere omnia atque ex perturbatione rerum in omnium fortunas invadere cupiens, et quod ferendum iam non est, immani cupiditati religionem praetendens, ab illa proximorum annorum necessaria fortasse, sed certe inutili atque indecora pace nihil quieverunt. Quod aperta vi minus potuerant, id arte occultisque consiliis efficere studebant. Hinc turbarum flammas pace compressas magis quam extinctas accendere, bonis caedem, omnibus, quos suis conatibus

(1) Extat haec Pogiani epistola ad Thomicium T. IV. p. 367.

resistere intelligebant, insidias moliri. Quibus cum identidem occurri, suasque frustra esse machinationes perspicerent, Regemque, cuius caput maxime petebatur, in se custodiendo diligentiorem quam ipsi sperassent, furentes audacia, rursus ad vim, ad bellum feruntur; cogunt milites, familias armant, clientes consciosque undique accersunt, in singulas urbes seditiosos idoneosque homines dimittunt, cives partim spe partim metu sollicitant, nec tamen interea dolos intermittunt.

Habebat Rex circum se custodiae causa Helvetiorum satis firmam manum, eorumque integram legionem conductam pretio domi continebat, quorum si opus foret expedita fortique opera uteretur. Condeius illius causae ac totius coniurationis non tam auctor quam princeps, et cum eo Sciatilionus regiarum classium praefectus, quem Galli amniralium vocant, qui unus horum omnium scelerum architectus existimatur, litteras suo chirographo Regi miserunt, iureiurando confirmantes, famam fidemque suam obligantes, se arma nunquam religionis causa moturos; idque ideo faciebant ut rex Helvetios dimittere, seque liberatus suspicione opportuniorem illorum insidiis praeberet. Ad hoc Luguiium virum nobilem, qui ex arelatensi archiepiscopatu ad eorum partes superiori bello transierat submittunt, qui Regi selectos ad venandum canes accipitresque dono ferat, cumque et matrem, ea enim puerum Regem e conspectu nunquam dimittit, in proximum oppidum ditionis suae invitet. In huius domo collocati armati homines rem perfecturi erant. Fuissetque maximum et post hominum memoriam atrocissimum facinus admissum; sed et hoc et florentissimi regni excidium avertit felicitas pueri

Regis, qui hoc ipso tempore admonetur magnum equitum numerum convenire ad Condeium. Missus, qui quorsum illa pararentur, interrogaret, id responsi retulit, Condeium aditurum Regem, ut cum eo de levando a tributis regno ageret, quae quia publica causa erat, multos cum officii causa comitaturos. Hoc tegi suum consilium (neque enim erat iam aliud quo occultaretur) volebant, manifesta erat coniuratio, vis aperte parabatur. Rex tamen denuo et ad Condeium, et ad Sciatilionum misit, qui monerent ut ne quid turbarum ex eo motu oriretur, diligenter caverent. Responsa paene eadem; atque hoc ferunt amplius, quod cum is qui ad Sciatilionum missus fuerat, fratrem quoque eius, nomine Audelotum, adiisset, hoc ab eo responsum Regi ferendum retulit: una salus victis nullam sperare salutem.

Eodem tempore ad Regem venit unus coniuratorum, index omnium quae struebantur. Is veniam precatus, fide accepta, cuncta Regi aperuit: dimissos in omnes Gallias homines, qui excitatis factionum studiis, oppida occuparent, sollicitatos externos populos, tria equitum milia descripta, atque hanc esse consiliorum summam uti Rex, frater Regis, Regina occidantur, regnum ad Condeium deferatur; immissos qui sabaudium quoque Regulum ex insidiis interficerent: atque his omnibus patrandis ·III· cal. oct. dictum esse, qui dies divo Michaëli tutelari Gallorum numini sacer, festus Gallis sollemnisque est: se sceleris immanitate commotum ea regi indicasse. Hoc indicio territam Reginam, filiosque, et continuo Parisios proficisci properantes, paene retinuit quidam, qui occulte favens haereticis, indici nihil temere credendum suadebat. Valuit tamen sententia ut Lutetiam iretur, ubi ex tuto explorari omnia et parari possent. Haud longe ab urbe

perventum erat, cum Regem octingenti equites hostium, qui reliquos antecurrerant, ·III· cal. oct. die ab indice praedicta, assequuntur. Erat cum eo praeter regium equitatum, iustum Helvetiorum praesidium. At Hugonotii rati, id quod res erat, regios equites et numero et armis impares suorum impetum non laturos, invasuri Regem videbantur; fuissetque periculosum certamen commissum, nisi Helvetii, recepto ad se Rege, facta phalange, hostes a proelio deteruissent. Atque ita Rex omnibus incolumibus Lutetiam se recepit; unde confestim a Regina Romam missus Hannibal Rucellaius, qui Pontifici salvum esse Regem nunciaret, eum de tota coniuratione edoceret, et auxilium posceret adversus communem rei publicae christianae pestem. Is postridie cal. oct. Lutetia profectus, adhibita celeritate, ·III· id. decimo die Romam venit. Narrat, Lutetiae decretum in consilio Regis fuisse, ut Condeius ceterique socii coniurationis, hostes iudicarentur; sed Reginam, eodem illo auctore, qui fidem indici non habendam suaserat, rem distulisse. Sabaudiae Ducem, post patefactam coniurationem, vanosque sceleratorum conatus, dixisse ferunt: quod nunc isti cogitata non perfecerint, Deo acceptum esse referendum; posthac facultatem eis talia moliendi non futuram.

Pontifex, advocato heri senatu, ad patres de gallicis rebus deque subsidio mittendo retulit, huiuscemodique orationem habuit, ut in commemorandis delictis christiani populi, quibus infensum nobis Deum reddimus, ac totius rei publicae vulneribus et regni in primis Galliae calamitatibus deplorandis, commotus sanctissimi senis animus vix temperaverit lacrimis. Patres miro consensu omnes subsidium Regi Galliae decreverunt. Et quia pontificii aerarii magna inopia

est, itum in sententiam Cardinalis sancti Clementis ut Pontifex, qui conficiendae pecuniae rationes quaererent, quique de subsidio mittendo, deque pecunia e re publica distribuenda curarent, diceret. Dicti sunt Cardinales ·VII·, Moronus, sancti Vitalis, sancti Clementis, Sabellius, Commendonus, Gravellanus, Vitellius. Pontifex praeterea supplicationes decrevit trium dierum, in quas ipse pedibus, senatu atque omnibus ordinibus comitatus, iturus est. Indixit quoque totidem dierum ieiunium; atque secundum hoc, qui delicta dolenter confessi divinam hostiam sumpserint, his ex Dei largitate indulgentias est elargitus; cuius caelestis muneris tu quoque, mi Thomici, fac ut particeps fias; et vale ·XV· cal. nov. 1567.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Meas ego litteras in fasciculum Balthasaris Cauci conieceram, qui quia Venetiis aberat, ideo tibi serius redditas fuisse arbitror; periisse certe nec puto, nec sane velim, erant enim plenissimae. Pendent nunc omnium animi expectatione gallici tanti motus. Furunt enim Hugonotii, passim facinorosorum manus cogunt, nihil tutum, nihil quietum patiuntur, Regem Lutetiae paene obsessum habent, castra ad divi Dionysii vetustum et apud Gallos longe sanctissimum templum, quod tamen ipsis pro stabulo est, posuerunt. Hinc assiduis circum moenia urbis excursionibus commeatum prohibere, et quam maximis Regem difficultatibus afficere conantur. Huius templi (atque utinam eadem ceterorum sors fuisset, quae in illorum latronum potestatem venerunt!) multa et pretiosa vestis, sacrorum vasorum ex caelato auro et argento magnum pondus, decora

antiquae pietatis et priorum Regum monumenta, Umalii ducis religiosa diligentia et celeritate servata sunt; qui omnia paulo ante hostium adventum, haud ignarus illorum sacrilegi furoris, Lutetiam importaverat. In Avenionensem provinciam, quae Pontificis ditionis est, irruerunt; nonnullis occupatis oppidis, cuncta latrociniis infesta reddunt; incendiis, caedibus, vastitate repleta omnia. Ac ut arma in ipsum Deum movisse videantur, maxime in sacras aedes, Dei divorumque aras debacchantur; in sacerdotes beluarum rabie feruntur; monachorum, si quos intercipiunt, carnificinas faciunt, inauditae crudelitatis exempla.

Vides quo illi tendunt libelli, quorum infinitus numerus ad imperitam multitudinem capiendam ab impietatis ministris quotidie dispergitur? quo fallacium hominum illae fucatae et artificio simulationis eruditae conciones? quo illa pestis parva initia, quae primo negligunt principes, ac prolatando, indulgendo, sustentando curari posse confidunt? Serpens vero malum et occulte irrepens, ac paulatim omnia inficiens, in has demum flammas, in haec incendia erumpit, quae nonnisi ruina restingui posse videntur. Cuius malitiosae negligentiae iustas a principibus poenas reposcit Deus, ut quem morbum nascentem depellere omiserunt, eo nunc ipsi ita laborent, ut verendum sit, eius vim superare aliquando ut possint. Sic errant ii qui divinis iussis hominum consilio moderari, ecclesiae sanctissimae et antiquissimae parentis praecepta et instituta ad arbitrium et iudicium suum revocare sibi putant licere. Sed haec ipsi viderint, qui admittunt. Regi certe et puero et optimo bene velle, et precari boni omnes debent.

In tanto rerum et tam repentino tumultu, cum

quibusdam agi placuisset de compositione, non accipere, ut par fuit, illi a Rege honestas conditiones, sed impudentissimas ipsi leges imponere sunt ausi. Haec enim est illorum summa postulatorum, uti Rex Helvetiorum praesidium dimittat, ac (ut populares videantur omniumque studia a Rege ad se ipsos convertant) uti tributa provinciis remittantur, sibi vero, ut totius paene regni maximae urbes tradantur, Bononia in oceani britannici littore firmissimis munitionibus Anglis obiecta; Caletum in Belgis unde brevissimus in Angliam traiectus; Metensium civitas in Mediomatricis, qui Lotharingi hodie sunt, in Belgarum et Trevirorum finibus; Lugdunum clarissimum Galliae emporium Helvetiis et Italiae finitimum. Ad haec, ut singularem hominum audaciam animadvertas, Regis fratrem obsidem sibi dedi postulant: si haec impetrant, scilicet discessuros ab armis. Hae a latronibus leges latae, summo omnium stomacho auditae, actionem concordiae valde retardarunt.

Edictum e Rege tum erat, ut quicumque domum infra triduum redissent, iis fraude ne esset. Post illud tempus, qui in illis castris conspecti fuissent, Regis hostes omnes censerentur, eorum bona publicarentur, ipsi infamia notarentur. Atque haec qui Condeio et ceteris coniurationis principibus denunciarent, magister equitum, qui conestable a Gallis dicitur, ac Namursii Dux missi erant: hi enim se in pacificationem interposuerant. Expectatur quid Hugonotii responderint, nam tempus sibi ad deliberandum sumpserant. Interea quod contumaces atque impii homines non placandi conditionibus, sed vi atque armis coërcendi videntur, in belli negotium summa cura incumbitur. Conducuntur a Rege, praeter eam quam habet servati Regis gloria

insignem, duae Helvetiorum legiones, scribuntur equites, peditum delectus toto regno magna diligentia habentur. Brevi Rex firmum exercitum habiturus videtur, in quo comparando a Pontifice et Italiae Regulis eximio christianae pietatis studio, pecunia iuvatur; putant etiam egregiam manum italici peditatus auxilio Regi a Pontifice missum iri.

In Belgis post traditos in custodiam factionis principes, et subtractos multitudini duces, otium nunciatur; quamquam novas res in finibus Germaniae moliri eos, qui vinculorum metu in exilium concesserunt, putant. Ex Polonia nihil novi. Byzantio rumores non boni, nihil nisi classes, exercitus, belli apparatus. Angliae quoque motus quidam afferuntur; cuius Reginam Archiduci Austriae nupturam multi sunt qui negant, licet huius rei Viennae magna spes ostendatur. Habes quae hic feruntur omnia. Nos hostiam caelestis panis ex optimi Pontificis hortatu cras sumpturi omnes de Cardinalis manu eramus: idem tu quoque si istic feceris, salutem inde tibi atque divini illius mysterii quam uberrimos fructus precor. Vale ·VIII· cal. nov. 1567.

8. A. M. GRATIANUS NICOLAO SANDERO S. P. D.

Ad duas epistolas tuas redditas mihi superioribus diebus, quod diu nusquam constitimus, non respondi; atque ea postea subsecuta sunt, ut ne respondendum quidem iis sit. Tuum certe amorem, mi Sandere, vehementer amo; atque eodem animo ut perpetuo sis, vehementer te rogo: ego enim erga te idem semper ero. Nos hic gallici motus expectatio suspensos habet. Magnum illic versari malum pridem a multis intelligeba-

tur, sed tantum concipi scelus adversus puerum Regem, nemo unquam putavit. In Belgis vero quo loco res sint, post traditos in custodiam factionum principes, a te potissimum aveo scire: sed illud multo magis, quid ipse agas, atque ubi locorum sis; significant enim tuae litterae te non semper Lovanii manere. Vale. Romae ·VIII· cal. nov. 1567.

9. GRATIANUS THOMICIO.

O salutares mihi tuas litteras! o suavitatem ingenii amandam! o amorem mirum (1)! Scis a nobis quam omnis assentatio absit, et quam ego, te certe adversum, minime blandus esse soleam, crede mihi hoc sancte affirmanti. Ita integra benevolentia et amore nostro frui nobis perpetuo liceat, ut hoc valetudinis statu, atque in huius assiduitatis operae molestia nihil est quo sustenter ac recreer magis, quam tuis litteris. Quare licet acute tu quidem, et vere de amicitiae legibus disputes, et eas interdum relaxandas, neque acerrima illa officii norma omnia perpendenda, et esse quamdam in hac tota epistolarum ratione non iniucundam negligentiam contendas in amicis minime reprehendendam, tamen sic habeto, tuas mihi litteras longissimas quasque gratissimas fore, atque his ipsis quas proxime accepi, neque copiosius, neque amantius, neque iucundius esse quicquam. Accuratum genus orationis et elaborate elegans in tuis epistolis non requiro; nam cuius id esset fastidii? Ubertatem desidero sermonis et copiam; ut et ego ex iis fructum capiam paene praesentis et familiaris nostrae collocutionis; et

(1) Hanc Gratiani admirationem modeste temperat Thomicius apud Pogianum T. IV. p. 369. in adn.

tu quemadmodum cum coram sumus et totos una dies ita consumimus, ut deesse tibi nunquam soleat, quo tenere meas aures possis, ita absens per litteras de omnibus rebus tamquam cum praesente loquaris. Religiosa illa et exquisita in scribendo industria valeat, quae et ingenii ostentationem putidam habet, et eloquentiae laudem aut nullam, aut certe huic generi nostro quotidiano et communi non necessariam: tenea-mus nos cursum, quem instituimus, et orationis et amoris, ut et commeantibus opportune septimo quoque die venetae rei publicae tabellariis litteras dare nunquam intermittamus, et in illis scribendis locutionis niniiam religionem vitemus; ne dum diligentius in nos inquirentes claboratam conciunitatem sectamur, benivolentiae fructum, propter quem suscepta res est, deperdamus.

Tu igitur, inquis, barbariae mihi auctor es? Minime omnium; quid enim indiguius facultate ista ingenii? Ciceronis ego te, et ut quisque Ciceronis est simillimus, studiosum et imitatorem esse maxime volo; et emendata ac polita oratione nihil esse dico pulchrius, nihil in tota dignitate praestantius, nihil vero tibi quod in tantis animi bonis plus ornamenti in omni vita sit allaturum; sed, ut dixi, ab humili hoc et familiari genere scriptionis singulorum undique flosculorum fastidiosam consectationem reiicio, verborum delectum non aucupium probo, totius vero orationis integritatem, et ornatum quemdam, qui mihi non fuco illitam, sed proprio sanguine suffusam efficiat venustatem. Hanc tu et adeptus es, et quotidie magis assidua ista optimorum et virorum et librorum consuetudine assequeris, sic ut in huiusce laudis principibus brevi te sperem futurum. A me quidem cui tu,

amori nostro semper aliquid indulgens, multum scilicet tribuis, non est quod ista expectes; neque enim meae vel facultatis vel omnino otii sunt. Pridem ego hastam abieci, et omnibus litteris multam salutem dixi; necessario quidem magis quam libenter, sed tamen dixi; et quas ego ad te do epistolas, eae a me diuturna vigilia et scriptione iam languenti, et urgente plerumque somno scribi solent: tantum abest ut ullus adhiberi cultus possit! Sed de his satis, et plus etiam quam satis; studio enim tui provectus sum.

Novi e Gallia nihil erat allatum, quod ipsum pleriique in pessimam partem interpretantur, viae enim ab Hugonotiis clausae atque obsessae putantur. E Belgis scribunt, Lutetiae Regem ita premi rerum omnium inopia, ut vel ad accipiendas intolerabiles concordiae leges, quae ab infensissimis hostibus afferuntur, coactum iri, vel periculoso sibi et universo regno exitioso proelio decertaturum existiment. Et haec tamen ipsa nullis auctoribus. Expectatur repentinum aliquod fulmen. Quicquid erit perscribam tibi. Pendasio scripsi, te illi apud nos per litteras et saepe et maximas gratias agere. Iohannis Cargae hominis officiosissimi et amantis nostri litteras tibi misi ad sodalem iesuitam, iuvenem, ut Carga praedicat, eximiae cum religionis et modestiae tum etiam eruditionis: eum tu convenies, et tibi a me de illo scriptum esse dices. Da te horum hominum consuetudini; solet enim esse non solum christianae pietatis studiis fructuosa, sed etiam commoditate doctrinae et humanitatis fructu iucunda. Vale. Pomorschio nostro etiam non adscriptam salutem dicito tamen. Romae cal. novembris. 1567.

IO. GRATIANUS THOMICIO.

Hugonotii ab impudenti impietate non discedunt fiuntque regiorum diffidentia in dies audaciores. In eo perstant, ut in ipsorum potestatem Bononia, Metium, Caletum, Lugdunum, munitissima oppida, quibus diversis populis oppositis universum paene Gallorum imperium ab externo hoste clauditur, tradantur; omnis a Rege copia, et cum primis Helvetii dimittantur, Regina a filii gubernatione amoveatur; et quod maxime populare, id est, ut omnes intelligunt seditiosum est, et tributa remittantur; harum rerum obses sibi Regis minor natu frater dedatur. Numquid potest his postulatis fingi aut excogitari impudentius? Arma, pecuniam, urbes, matrem, fratrem, Regi adimunt, cetera relinquunt: benigne! Quid legitimo bello victo essent acerbius imperaturi? Quid esset aliud Regem omni praesidio, omnibus rebus spoliatum, inermem, derelictum, inopem, obiicere parricidarum perfidiae et crudelitati? Quis non in scelere audaciam hominum singularem detestetur? Et erit qui dubitet, quin has pestes eradicaturus sit Deus? et innocentem adolescentem impiis suorum armis circumsessum e mediis periculis pigneraturus?

Hoc loco illa mihi in mentem veniunt a praestantissimo et vate et rege divinitus olim prodita: si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo: unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Hoc mihi sit animo Rex, neque vereatur, ne eius causam cum ecclesiae causa coniunctam non defensurus sit Deus, quem

ut iure optimo infensum ob nostra delicta habeamus, tamen non avertet misericordiam suam a nobis, ne forte superbiant eius hostes, et dicant: manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia. Augentur quotidie utrinque copiae, Rex peditatu erat superior, equitatu hostes, quo circum Lutetiae moenia, quibus se Rex adhuc continebat excurrentes, commeatus intercipere, et Regem ad relinquendam urbem compellere conantur; rem enim proelio committere ante quàm auxilia ad Regem conveniant, et fortunam totius belli experiri, student. Rex contra, vel quorum ipse consilio regitur, concordiae rationes exquirunt, sive interponendi temporis causa, quo maiores copias comparent, sive quod nihil pace utilius, nihil civili bello exitiosius putent. Quamquam non videtur quae sit futura pax cum iis, qui salutem in aliorum pernicie, potentiam in optimi cuiusque oppressione, et omnium rerum perturbatione, positam habent. Quae vero pacis conditio sit, in qua eis, cum quibus pacem Rex faciat, nihil concedere possit, quod si concesserit, non pax illa, sed aut servitutis pactio, aut belli non diturna dilatio futura sit? Bellum quidem atrox et saevum paratur; atque utri vicerint, magnopere necesse est debilitari universi regni vires: sed tamen resecare aliquando praestat ferro vitiosum membrum, quam ut desperatae curationi dum insistitur, mortiferi morbi exedens virus, ad vitales partes manans, totum corpus interimat.

Haec tanta tamque exitialis coniuratio, quae contra omnium fortunas fieri aperte videtur, atque haec tota religionis calumnia, principum omnium, quorum capita maxime petuntur, si non religione at certe metu rerum suarum, animos strinxisse videtur. Pontifex

quidem maximus admirabili cum erga Deum, cuius causa agitur, pietate et studio, tum erga Regem charitate, in eam cogitationem incumbit, ut regno de christiana re publica praeclare merito, perditorum hominum scelere ruenti, subveniatur. Italiae principes ad conferenda auxilia vehementer est per litteras adhortatus, qui omnes egregiam voluntatem profitentur. Ipse propter aerarii tenuitatem, nemo enim unquam Pontifex pecuniae minus studuit, qui legitima etiam populis vectigalia remiserit, pecuniariae rei explicandae nunc maxime intentus est. Ut tibi me scripsisse memini, datum erat huiusce rei negotium ·VII· Cardinalibus, inter quos erant variae quaesitae rationes. Postremo Pontifex convocatis in curiam patribus ad eos de pecunia retulit, deque ducentesima ex omnium bonis, qui in romanae ecclesiae ditione sunt, exigenda. Sententiae dici coeptae: qui principes interrogantur, ita locuti sunt, ut de industria, quod decernerent, in dubio reliquisse viderentur. Cardinalis sancti Clementis primus tributi collationem ex ducentesima aperte censuit, idque multis verbis. Contra Sabellius, non tam quam ipse rationem probaret, afferebat, quam totam sancti Clementis sententiam reiiciebat. Huic, quia Farnesius in senatum non venerat, quod sequenti die forte rem divinam in sollemnibus pontificiis sacris erat facturus, vehementer assentiebantur eius familiares, atque romani Cardinales omnes, qui quod eam rem rei publicae romanae gravem futuram intelligebant, suis sententiis consultisque suorum civium gratiam inire studebant. Inclinata res videbatur.

Interrogatus sententiam Commendonus, patres monuit non quid modo praesens necessitas posceret eis considerandum, sed etiam longius in posterum prospi-

ciendum; non minus esse gubernatoris magnas tempestates providere, quam perferre. Magnum vero hunc esse in tanta publici aerarii angustia pecuniarum nodum, qui sine dilatione esset explicandus. Pecuniam ita comparandam abunde, ut ea maxime necessariis rei publicae temporibus ne desit; ita mature, ut non frustra comparata sit. Multa praeterea de universo rei publicae statu, de singulorum membrorum, de totius corporis morbis medicinisque. Postremo sententiam Cardinalis sancti Clementis paucis adiectis comprobavit, quod id esset tributi genus, quod aequaliter omnes attingeret; quo quique essent abundantiores, eo plus collaturos; quo tenuiores, eo minus. Illud quoque censuit addendum, ut quorum bona minori quingentis aureis numis aestimarentur, ii tantum quadringentesimam solverent, quo capite pauperum egestati maxime consulitur. Hunc omnes, qui post ipsum sententiam dicunt, secuti sunt. Ac Pontifex in sententiam sancti Clementis et Commendoni Cardinalium senatusconsultum fieri iussit, edici tributum, quaestoribus exigendi negotium dari.

Quod tibi pollicitus sum de Stanislai Warsovicii consilio, quo Romam venit, scribere, id fuit huiusmodi. Vir theologus et divinarum rerum studiis deditus, inque iis non ambitiose ut plerique, sed pio maximeque demisso animo diu cum laude versatus, nimirum quam sit huius vitae volucris et fluxa conditio intellexit, et cum sibi salutariter consulere, cuius animus quam maxime se a corporis vinculis abstrahens foras eminet, atque alte ad caelestem illam, quae bonis a Deo tribuitur fidei et laborum merces nunquam interitura, spectat. Ergo ea nobilitate, honoribus, dignitate vir, tanta praeterea spe omnia amplissima apud suos consequendi, divinum secutus monitum ab ulti-

mis prope Sarmatiae finibus Romam tam longe venit ut se in Iesuitarum societatem conferret. Hanc mentem Cardinali primum nostro aperuit, a quo fuit ille quidem in eo summopere collaudatus, quod omnes suas cogitationes, curas, actiones, seque ipsum pro catholica ecclesia proque sua ipsius aeterna salute devovere Deo statuisset; verum quo id potissimum vitae genere atque instituto esset faciendum, quo eius haec esset christianae rei publicae et in primis patriae haud sane optime affectae fructuosior devotio, rem sibi consilii videri. Praecise respondit: sibi certum esse magistrorum societatis arbitrio, non suo, operam ecclesiae pro sua tenui parte navare sanctissimis illis innocentiae legibus: consultatione nihil amplius opus esse; triennium ipsum a se in huius consilii deliberatione consumptum. Monenti ac prope iam manu reprehendenti Deo obnitendum diutius non esse; probatum ab se spiritum, nec dubitare quin haec sibi salutis via divinitus demonstretur.

Facile tam acri tam salutari prudentis hominis studio assensus est Cardinalis. Quid ni faceret? Hominem humana despicientem, aeterni illius boni quo caelestes animae fruuntur cupiditate incensum, ad veram christianae pietatis gloriam currentem, retardaret? Retardaret dico? Non incitaret et inflammaret? Cardinalis vero oratione mirifice est in sententia confirmatus. Itaque ·III· non. novembris cum apud Cardinalem, a quo mire diligitur, prandisset, ut ab eo ad Pontificem maximum duceretur postulavit, quod cuperet summum sacrorum principem vicarium Iesu Christi venerari. Ut ei gereret morem Cardinalis, ad Pontificem adiit; cum quo ubi ex consuetudine variis de rebus esset collocutus, de Warsovicii studio deque praestanti

eius virtute et animi impetu ad christianam pietatem, facit certiorem. Incredibile est quam eos complectatur animo Pontifex qui terrena negligunt, ad caelum, in quo sunt omnia bonis, monstratis a Deo itineribus ire properant. Intromissus Warsovicius osculatus de more Pontificis pedem, pia admodum et rei accommodata oratione est usus, cuius summa fuit de suo consilio adiungendi se Iesuitarum societati, suasque actiones Deo omnes consecrandi, ac de beneficiis ecclesiasticis, quibus esset ipse se abdicaturus, aliis spectatis viris tradendis. Postremo, ut sibi benedictionis munus impartiretur, postulavit.

Pontifex sua illa qua omnes vincit christiano digna principe humanitate atque comitate, accepto et audito, paucis verbis in hanc fere sententiam respondit: ista te mente, fili, ista praeditum doctrina et innocentia hortaturi essemus, ut in tanta bonorum et catholicae fidei amantium virorum apud tuam gentem inopia, in veteri tuo vitae instituto permaneres, nisi et nuper a Cardinali nostro Commendono, et modo a te ipso, tuum istuc animi decretum totius triennii deliberatione probatum et confirmatum esse intelligeremus. Quapropter macte religione, macte pietate esto: nos quidem ecclesiastica beneficia tibi quibusvis dandi, tuo freti iudicio et integritate, potestatem facimus. Tu quo probior es, fili, quo sanctiori disciplinae tradendus, quo Deo futurus gratior, eo a te magis petimus ut pro nobis maximo huic et gravissimo oneri subiectis, divinam clementiam precere; ut in hoc famulatu nostro saluti nobis non exitio sit tanti muneris administratio. Sic Warsovicius noster elatus spe caelestium praemiorum, humanis rebus multam salutem dicens, optimam sibi partem elegit quae non auferetur ab eo. Ego, quantum

per meas et ipsius occupationes licebit, fruar hominis iucunda et religiosa consuetudine.

Venio nunc ad tuas litteras, et amari a Pendasio praestantissimo philosopho et optimo viro, te, et delectari illius amore, mirifice laetor: Eius tibi summa doctrina, humanitas, probitas, quo perspectior est, eo te illi cariorem esse debes existimare: si enim tu ipsius excellentem virtutem, multo ipse melius eximiam tuam virtutis indolem cognitam habeat. Fruimini vestris utriusque tantis bonis. Ego ad eum nullas dedi litteras, quae insignem aliquem stimulum ad te complectendum non habuerint, sed mehercule currentem eum quidem et sponte omnia sua studia in te conferentem incitasse videor. Hic ego te apud Pogianum virum ea eruditione et eloquentia, cuius in ea epistola, quam proxime ad te dedit, aliquid degustare potuisti, in summam gratiam ponam, vel potius iam plane posui; est enim tui quam qui maxime amans et cupidus. Is erit tibi Romae Pendasius. Sed quando huc veneris?

Commodum haec scribebam, cum ad me venit Pogianus, an ad te scriberem aliquid interrogans. Multa, inquam, atque utinam huius officii labore me levaret aliquando eius in Urbem adventus! Quid plura? inambulans scriptori meo epistolam tibi dictavit, qua praeter cetera, te Romam invitat. Mireris tu licet in ea singularem latini sermonis splendorem et integritatem, ego dictaudi celeritatem sum vehementer admiratus. Habes ab eo duas iam epistolas; et quamquam ex te ipso magnus et clarus futurus es, tamen ut ea tibi deessent gloriae ingenita semina, harum certe epistolarum monumentis te non esset ignoratura posteritas. Salutat te Rosdzrazonius. Is heri ad me venit irruens in amplexum. Quid, inquam, affers laeti? Ille nihil, sed

me arctius complecti? Quid, inquam, quid novi? Simul me ab eo explicavi; tum ille, ex Thomicii, inquit, tui litteris, qui ut suo te nomine amplecterer, mihi mandavit. Ego tum scilicet rursus in eius collum. Sed iam valebis. Nam vereor, ne dum ad te scribens, tecum loqui mihi videor, epistolae modum excedam. Vale. Medicum mihi scito decessisse virum bonum et amantem mei. Vale. Lugduno scribitur, Condeium regem se de suorum assensu et acclamatione appellasse, regium sibi vexillum praeferri, regium tabernaculum tendi iussisse, Ludovici ·XIII· nomine assumpto. Sed hoc designatum magis animo ab illis, quam re patratum, puto. Romae ·VIII· id. nov. 1567.

II. GRATIANUS THOMICIO.

Hodie modo tabellarii Romam venerunt, et mihi abs te epistolam reddiderunt totam aqua madidam, quo minus statuto tempori responderint, imbribus impediti; qui certe tanti et tam assidui fuerunt, ut ego plures dies pedem domo non extulerim. Accesserunt huc singulares quaedam occupationes, quibus confectus paene et consumptus sum; et lippitudo, cum qua pridem mihi induciae fuerant, refricare ac movere rursus bellum coepit, et tota paene valetudo concussa est. Quae per se molestissima, mihi fuerunt molestiora, quod cum Orliconibus nostris minus esse frequenter licuit. Ubi redierit serenitas, quae maxime visenda Romae sunt, ut videant omnia curabo; atque in omni officio ornatissimis adolescentibus praestando ero memor quam mihi abs te diligenter fuerint commendati. Stanislaus Cardinalem est festiva oratione allocutus; plane, inquam, belle dixit.

Acceptum nescio quid incommodi in Polonia a Moscis scribitur, cum quibus renovata pacis actio rursus in spem vestros adduxit, sed a superbo hoste nihil aequi affertur. Rex in castra nondum venerat; bellum segniter geri, atque odio legis de regiis bonis, quam possessoribus regni imposuit, multorum studia retardari, ac prorsus illam insitam genti ad bellum alacritatem in indignationem verti scribunt. Alii praeterea sexcenti morbi. Nolim quicquam gravius illi regno ominari, in quo tu patriam, ego te habiturus sim; sed certe, magnum aliquod in eo videtur versari malum, et me Galliae monstra terrent. Uri posse flamma ligneam materiam necesse est, ait ille de rerum necessitudine disputans; et vos fere lignea habetis omnia aedificia, quo magis timendum est ab incendio, quod et facile fieri, et extingui difficillime poterit. At faces sunt iam multorum in manibus, et quidem quod miserandum est, ab iis praebitae a quibus opprimi maxime debuerunt. Spero extortas iri; neque defuturos praestantes viros, qui intempestivis, atque adeo malitiosis quorundam, qui nimium catholici videri volunt, consiliis se pro re publica obiicient. Uri si quid est vitii in corpore, quod reliquo corpori noceat, et secari salutariter saepe solet. At sane ad hoc medici, nisi inviti et necessario non veniunt, nec nisi reliquis prius adhibitis medicinis. Plus enim interdum mali in his qui graviter aegrotant, efficitur ex dolore et acerbitate vulneris, quam periculi morbus, propter quem vulnus factum est, afferebat. Sunt in vestra re publica, qui ad gubernacula cum sedeant, naufragium optare videntur, quod paratam tabulam se putent habere, qua delati ad littus, ceterorum calamitatis et interitus spectatores fiant. Nae isti non intelligunt quan-

ta sit ventorum quanta maris commoti vis; de illa ipsa tabella, qua confidunt, aut deiicerentur fluctibus, aut appulsu prohiberentur, ab illis ipsis quos ante in littore ad excipiendum constituerunt, quorum nunc consilio navis in scopulos agitur. Exemplo, per Deum, sit Gallia, cuius miserandis tempestatibus, quibus universa disiecta propemodum ac dissipata est, quis non commovetur? Quo magis miror, quorum exitus perhorrescitur, eorum vestigia non declinari. Sed spero Deum deprecatoribus multis optimis et innocentibus viris, et maxime ab his opinionum novitatibus integris, hos a vobis turbines procellasque depulsurum.

Dudithius adhuc in uxorculae sinu Cracoviae delitescit. Quidam illum prae pudore, hominum conspectus non ferre, quidam pangere aliquid quo suum hoc factum defendat, putant. Me miserum, qui ornatissimum virum, quem in sinu ferebam, odisse cogor, indignum a quo tantum flagitium admitteretur (1)? Regina Poloniae Lincium ad infaustae viduitatis sedem ierat. Transilvaniae Regulus in Poloniam proficiscebatur, seu valetudinis recreandae causa, sive, ut quidam scribunt, ut se suorum insidiis eripiat, ipsum trinitarium factum iniquissime ferentium. Legati ad Turcam Caesari nunciarunt, se arctius Byzantii custodiri; quod Alberti, is est alter legatorum, dispensator ad hostes transfugerit, ac eis multa arcana prodiderit: in his duos Turcas, quorum ipsi opera clam utebantur ad hostium consilia cognoscenda. Plane hoc nuncio debilitata pacis spes videtur: nimirum hoc unum ad rem christianam dievexandam deest, ut barbarus hostis in Hungariam in-

(1) Andreae Dudithii apostasia, qui post episcopatum susceptum, ad nuptias atque ad lutheranam vel socinianam sectam transiit, nimis nota est ex illorum temporum historiis.

vadat. E Gallia nihil erat allatum. E Belgis quoque nihil, atque aliud novi item nihil. Cecidit vero perbelle, ut eodem tempore et ego tibi de Warsovicio Romae iesuita facto, et mihi tu de Micleczkio pari nobilitate iuvene Viennae in eandem disciplinam tradito nunciares. Equidem augeri vestris hominibus illam familiam iactor. Vale, et Pendasio dic salutem et Pomorschio. Romae idibus novemb. 1567.

12 GRATIANUS THOMICIO.

Cum statuissem nihil ad te scribere, vel potius cum tempus ad scribendum non haberem, et Vialem nostrum rogassem ut me tibi excusaret, ecce tibi litterae afferuntur Pontifici maximo a Duce Sabaudiae magna celeritate missae, in quibus erat epistola ad ipsum Ducem scripta Regis Galliae manu, Lutetiae ·III· id. novembris data, qua nunciabat, pridie eius diei ab suo exercitu, duce magistro equitum, Hugonotiorum copias ad divi Dionysii pulsas ac fugatas esse, capta illorum castra, et permultos interfectos; sed in eius victoriae laetitia inesse multum doloris, quod ipsum equitum magistrum in eo proelio graviter vulneratum acceperat, ex quo quanta contentione esset dimicatum intelligi posse; cetera se postea uti acta sunt scripturum; interea haec ipsa Pontifici maximo nunciaret. Quae ingenti omnium laetitia accepta, quin tibi perscriberem, facere non potui. Ex Polonia quae nunciabantur, scripsi ad te superioribus litteris. Nunc nihil erat allatum novi praeter illud, plocensem episcopum aetate confectum decessisse. Vale. Romae ·X· cal. decembris 1567.

13. GRATIANUS THOMICIO.

Tu vero in tua, ut videri vis, infantia excusanda minime extitisti infans; et inopiam conquerens verborum, divitias effudisti orationis et suavissimi ingenii tui; atque tuam istam paupertatem eo cultu, eo vestitu adornasti, ut ipsa copia nunquam mihi visa sit suo plenior cornu. Itaque capio in dies maiorem voluptatem ex tuo ad virtutem, et ad hanc ipsam latine loquendi et scribendi laudem progressu; si hoc est progredi et non potius evolare. Perge, et quod facis, rerum scientiam cum sermonis dignitate coniunge; et cave putes quicquam esse hac coniunctione praestantius, aut ullum tibi ornamentum comparare illustrius posse. Ad eam epistolam, quam Cardinali scripsisti, rescriptum est tibi.

Ex Polonia, quod saepe quaeris, nihil novi. Pestilentia erat magna in Borussia, atque in vicina quoque Moscoviae oppida irrepserat, sed ea facile hiemis et frigoris vi opprimi et extingui solet. Elbingenses iesuitam concionem apud eos habentem lapidibus petiverunt. Miserat hunc eo Cardinalis warmiensis, vir non doctrinae gloria magis clarus, quam innocentiae et religionis studio excellens. Est autem Elbinga civitas suis legibus utens in ipsius Cardinalis provincia, subiecta Regi Poloniae; quam communi horum temporum procella obrutam Lutheranorum erroribus in pacatum sinum ecclesiae ut reduceret Cardinalis, cum alias saepe tum proxime elaboravit; atque ea de causa magistrum eius collegii Iesuitarum, quod ipse Branspergae institutum habet, eo miserat. In hunc paulo ante, populum et seditiosos quosdam iuvenes incita-

verat acerrimis concionibus impiae factionis minister: itaque cum coepisset loqui, reclamatum est a lutheranis operis, atque insuper lapides coniecti; qua re iesuita nihil territus, peragere concionem institit; vicitque sua constantia emissariorum importunitatem. Sed eam rem, uti acta est, quo plenius cognoscas, exemplum tibi Warmiensis litterarum misi: item aliud exemplum Regis litterarum ad Elbingenses, ut divinarum rerum praecepta a warmiensi Cardinali petant; et quos ipse religionis sacerdotes ac fanorum antistites eo miserit, accipiant imperat, mulcta centum milium aureorum nummum dicta, nisi paruerint.

Post Regis Galliae litteras ad Sabaudiae Ducem de victoria ad divi Dionysii parta, neque a Rege ipso, neque quod multo maiorem admirationem affert, a Nuncio apostolico, qui apud Regem est, quicquam nunciatur. Qui in meliorem partem iuterpretantur, interclusos ab hostibus aditus dicunt. Res tamen quo loco sint, quidve illa nobis victoria pepererit, ignorari diu non poterit. Avinione quae scribuntur de Hugonotiorum crudelitate vererer, mi Thomici, ne humanissimum animum tuum iis commemorandis offenderem; nisi quorum bonorum spe pii homines supplicia a nefariis latronibus pertulere, eorum nos cogitatione dolorem, quem ex indignis innocentium cruciatibus capimus, lenire deberemus. Oppidum est Nemausium nomine in Tolosatibus non longe a Narbona. Hoc haeretici de improviso aggressi imparatum occuparunt, ac magna oppidanorum occisione facta, ad episcopi domum, templumque diruendum furiali impetu feruntur: obvium quemque sacerdotem obtruncant, spolia detrahunt templo, sacrarium in quo sacra vasa vestisque conduntur diripiunt, distrahunt, perfringunt, exscindunt omnia. Sex ipso in templo ca-

nonicos iugularunt, et cum his eius ecclesiae archidiaconum et episcopi vicarium: atque hunc quidem uti se prius pecunia redimeret, spe vitae facta, coëgerunt, ac redemptione accepta, confestim necaverunt. Et ut pari scelere filios quoque suos obstringerent, eos in conspectum forte adolescentulum, de illo numero qui sacerdotibus rem divinam facientibus ministrare solent, immiserunt, a quibus innocens puer obrutus lapidibus crudeliter est interfectus.

Ubi universe in omnes saevitum est, ad singulorum caedes discurrunt. Civitatis decuriones, magistratus insignibus ornatos per ludibrium circumduxerunt: demum in domus episcopi vestibulo, hunc enim locum pro carnificina elegerant, interfecerunt, et in puteum qui in vestibulo erat praecipitaverunt. Pari supplicio civitatis principes, et in his quosdam regios consiliarios affecerunt, quorum praeses, vir ob excellentem probitatem catholicis omnibus carissimus, initio tumultus fide accepta apud haereticorum ducem asservatus est. At postquam reliquorum caede grassatum fuit, dux sacrilegae manus hunc quoque et dignitate et aetate praestantem virum ad necem tradidit, qui ad eundem adductus locum, petiit ab impiis sicariis ut ante quam occideretur, sibi Deum precandi facerent potestatem: quod cum impetrasset, et ad Deum cum pro se, tum pro ipsis etiam percussoribus magna animi constantia pias preces funderet, eius orationem non ferentes teterrimae beluae irruunt in hominem, ac multis vulneribus concisum in eundem puteum proiecerunt.

Ipse vero episcopus, ut eum boni omnes occultare conarentur, tamen captus a nefariis carnificibus summo ludibrio est habitus, annulo atque aurea cruce, quam collo

suspensam gestabat, et episcopali toga detracta, per contumeliam militari sago indutum ad spectaculum tota urbe duxerunt. Postremo pertractus ad puteum, invitus et mortem pro fide appetens, militis voce servatus est, monentis huius commutatione duos ministros haereticos, qui captivi apud vicinam civitatem erant, redimi posse. Cum ad supplicium duceretur, unus familiarium, natione florentinus, miseratione amplissimi viri, et charitate domini incitatus, obiiciens sese gladiatoribus illis, rogabat ut pro episcopo se potius occiderent. Ipsi nihil propterea episcopo parcentes, deprecatorem pugionibus confoderunt. Alius episcopi sacellanus cum fugere conatus e fenestra in viam desiliens crus fregisset, impetrare non potuit ut eodem in loco conficeretur, sed crus fractum trahere ad puteum coactus est, saepe pugionibus, pro stimulis, quo gressum maturaret, compunctus; denique iugulatum in puteum abiecerunt. Augustinianum quoque monachum, qui in concionibus magna eloquentiae vi et contentione animi haereticorum impietatem fuerat assidue insectatus, prius in suas partes traducere conati sunt: negantem, excarnificatum, ac rescissa lingua, in puteum coniecerunt. Huic Quadrato cognomen erat, qui cum vix trigesimum annum excessisset, magni oratoris laudem ubertate ingenii fuerat assecutus. At quibus etiam barbarae et immanes nationes saepe pepercerunt, sacratas virgines divae Clarae e penetralibus templi et monasterii extractas, virgis caesas et excruciatas, capitis supplicio omnes affecerunt. In omne denique genus, omnem aetatem, ac sexum catholici nominis incredibili feritate saevitum est; eo quidem furore et amentia, ut canes ipsos, quos fuisse catholici domini intellexissent, occiderent. Quae huiusmodi sunt, ut scribi profecto sine magno dolore

non possint. Praeter eos quos passim trucidarunt, quadringentos homines in funestum illum puteum coniecerunt. Atque eadem, quae Nemausenses, multae aliae urbes, quas sceleratorum dispersae manus occuparunt, pertulere. Idem in Montepessulano, idem in Marna oppido factum, ubi superiori quoque bello ex arce, alta in rupe Rhodano imminenti sita, multi mortales quasi per iocum a truculentis hominibus in flumen devoluti sunt. Vale. Romae •III• cal. decembris 1567.

14. GRATIANUS THOMICIO.

Nac tu, si isto animo es, ut quam maxime discendo, et excellentem naturam tuam optimis artibus ac disciplinis excolendo, gratiam mihi pro meis, ut tibi videntur, beneficiis relaturum te putes, et ego mea in te merita tum praedicari, tum magni aestimari abs te facile patiar, et tu meum erga te animum eo mihi gratiori quo tibi utiliori munere compensabis. Et quamquam te paratum tua sponte et pleno gradu ingressum ita videamus, ut cuiusquam cohortationem non desideres, tamen hoc quoque genere officii cumulare volumus tuam istam gratiae debitionem, ut te currentem ad laudem incitemus. Sic enim habeto; nunquam tibi tantum futurum istius quidem facultatis, quin ego si ab illis artibus mihi soluturus sis, a te multo sim plus exacturus. Fac igitur ut quam amplissimas tibi doctrinarum divitias compares, quibus nostram de te summam expectationem redimere possis. Vale. Romae VIII. id. decembris 1567.

LIBER V.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Eo ipso quod sunt oculi, ut scribis, rerum omnium carissimi, diligentiores nos in iis conservandis esse oportet. Equidem qui te habeam ipsis oculis cariorem, sum tentatione ista tua vehementer commotus, teque oro ut medicos consulere ne differas. Tua quidem cautio temere te medicis non permittendi, probatur a nobis, dummodo ea suspiciosa nimis ne sit, ac medicorum operam dum fidelem vereris, necessariam ne omittas. Qua de re Cardinalis quoque verbis te moneo, qui expertus olim est quantum in oculorum morbo sit periculi, qui ista paene aetate qua tu es, ista ipsa in urbe, iisdem in studiis pari animi contentione versans, quadriennium ipsum oculorum usu ita caruit, ut recuperandi luminis spem interdum nullam habuerit (1). Quamquam tu quidem longe ab eo periculo abes; sed tamen morbi initiis obstandum censemus, quae neglecta primo, ubi invaluerunt, magni negocii est depellere. Et ego te, mi Thomici, susceptum tanta spe, tanta ingenii fama, doctrinarum et gloriae cursum perficere sine interpellationibus velim. Cura, amabo te, mi Thomici, ut valeas. Nam etsi absens a nobis ullum graviorem in morbum incideres, nihil me uno sollicitum esset magis. Hebescere interdum oculorum aciem quod scribis, vide ne id ex nocturna post caenam lectione fiat. Atque illud tibi fac perpetuum ac sollemne sit, ut cesses post cibum, et ab omni cum animi in-

(1) Scribit eadem haec ipsemet Gratianus in Card. Commendoni vita lib. I. cap. 3.

tentione tibi, tum etiam vehementiori corporis exercitatione temperes, et a sumpto cibo duas semper horas ludicra aliqua et iucunda aut actione aut sermone teras. Bellacatum medicorum istic principem habes tui studiosissimum; hunc consule Pendasio adhibito, cuius humanitati et amori erga te magnopere nos fidimus, et cui curam tui totius praecipue commendavimus. Fac denique ut, secundum Deum et virtutem, nihil tibi sit valetudine antiquius, in eaque tuenda maxime diligentiam et temperantiam nobis probes tuam.

Vialis ad me scripsit, ita laetatum te nuntio novi et perampli beneficii, quo Cardinalis a Pontifice maximo nuper est affectus, ut gaudio illacrimatus sis. Intelligo quantum hoc sit amoris tui argumentum, quod mihi periucundum fuit etsi minime novum. Pendasio carissimum esse te, ex ipsius et ex tuis litteris intelligo et laetor; cuius fontes quo tibi aperti sunt magis, eo te, quae tua sitis est, haurire avidius atque uberius audio. Ethicorum primum iam librum absorbuisti. At Pendasium scito mantuanam nobilem virginem civem suam sibi despondisse, quam rem optare me ei prospere et feliciter evenire, dicas velim meis verbis. Warsovicius probat nunc se Societatis magistris, eiusque familiae institutis initiatur summa animi et constantia et alacritate, ac suo consilio quotidie magis laetari videtur. Orlicones ad visendam Neapolim profecti sunt. Rosdzrazonius te salutat. Pogiano es in oculis. Haec ad tuam epistolam.

E Gallia mirum nihil certi nunciari, ac neque a Rege, neque ab apostolico Nuntio ullas post pulsum Condeium litteras afferri, hanc in promptu causam habent, quibus id excusare est curae, regni omnes egressus teneri ab Hugonotiis, obsideri itinera,

tabellarios suppliciorum metu, quibus in interceptos saevitur, deterreri; et ut accidere in tanta rerum perturbatione necesse est, infesta latrociniis esse omnia itinera Haec tamen ex lugdunensibus litteris nunciata sunt: proelium ad divi Dionysii templum, Sansachii maxime consilio et hortatu, commissum fuisse, cui se magistrum equitum opponere, ne favere sororis filiis, aut eorum impium scelus minus detestari videretur, non ausum esse. Eo autem proelio, ut Regina uxori Ducis Sabaudiae scribit, finiri bellum potuisset, nisi nostri ad subveniendum laboranti magistro equitum, ab ipso partae victoriae cursu retracti fuissent. Ammiralium saucium evasisse. Fratrem eius, is qui a Pio IV. Pontifice maximo Cardinalium senatu ob haeresim amotus est, quique interfectus ferebatur, post proelium incolumem visum. Mortuos ex hostium ducibus Saium, Clermontium, Puchinium, Senerpotium, Telignium. Condeium ipsum perterritum cum omnibus copiis in eam belgicae Galliae partem, quae Picardia vocatur, cui provinciae antea Regis beneficio praecrat, castra movisse. Inexpiabile vero peccatum commissum iri bellorum periti disputant, si Rex hostibus victis, ac de illa, qua maxime valebant apud populos, bellici roboris et virtutis opinione deiectis, recolligendi ac sese confirmandi spatium dederit. Expectari in Regis castris, praeter auxilia Belgarum, priorem Arverniae, ducem Guisiae, et Tavanium; quorum adventu, duplicatum iri regium exercitum. Contra extenuari hostium copias, a quibus ad Regem multos quotidie, impunitate proposita, transire; multos etiam domum suam dilabi; quamquam diligentissime ab iis retinentur, partim spe et pollicitationibus, partim terrore supplicii: summis enim cruciatibus, si quem intercipiunt, in con-

spectu omnium necant. Hoc tamen satis constat, amisisse illos populorum existimationem, quae et valere plurimum in omni bello solet, et ipsi hac una, quam studiosissime collegerant, hactenus stetere.

Magistrum equitum ex vulneribus mortuum esse confirmant omnes litterae, magnum virum, et quocum feliciter actum videri posset, qui sui temporis omnibus bellis, omnibus cladibus Gallorum superstes, postremam hanc vitae clausulam imposuisset, ut pro Rege, pro patria, pro ecclesia Dei, contra haereticorum impiam factionem dimicans occubisset, nisi eius nimia in Sciatilionos sororis filios indulgentia, suspectum sagacis senis animum reddidisset. Multa tamen in eo viro, quae posteritati prodant, habebunt rerum scriptores. Gallorum magnis exercitibus praefuit; ac re saepius improspere gesta, nihil apud suos de pristina, sive auctoritate, sive opinione virtutis amisit. Ticinensi proelio, quo universa paene Gallia concidit, cum Rege ipso captus est. In Belgis a Sabaudiae Duce, qui Hispanorum exercitui imperabat, victus in hostium potestatem pervenit; et captivus, illius pacis interpres et perfector fuit, qua christiana res publica multorum annorum contineutibus bellis paene oppressa, respiravit. Solum ex illa Francisci regis militia ac disciplina superstitem, ad magnas opes Henricus Francisci filius evexit; ab eo magister equitum creatus, qui honos secundum Regem in Gallia maximus habetur. Ab eodem tanta rerum omnium fides habita, tanta potestas commissa, ut regium nomen penes Henricum, regni imperium penes ipsum putaretur. In eo minime felix quod Henrico, cuius mortem exitium Galliae secutum est, superfuit. Vale ·VIII· idus decembris 1567. Romae.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Ut illud verum sit, quod scribis, meo studio navandae operae, operae laborem molestiamque levari; tamen scito, mihi tuam cohortationem ad otium, otio ipso iucundiorem esse; atque mihi occupationum mearum ac laborum omne levamentum esse in tuis litteris, in quibus optatus mihi amor tuus sic enitescit, ut in tua humanitate et animo erga me singulari acquiescam. Nam illud quidem quod amanter tu magis et acute quam vere mones de vitae terminis proferendis, quanti tandem est? Aut quid omnino interest, utrum paulo maturius finiatur, quod esse diuturnum non potest? Tu igitur, inquis, et Cardinalem a quo ut filius, et me a quo ut frater diligeris, libenter linquas? Si amoris ac pietatis vim, qua utrumque vestrum amplexum habeo, huius vitae finibus terminari putem, nae ego vitam ipsam minoris quam antea aestimem, quae brevissimis naturae spatiis circumscripta, tum plerumque amittitur, cum maxime iucunda esse coeperat, aut certe amicitiae fructus exiguos habet: nam, ut omittam arctissimas necessitudines, propter mutabiles hominum voluntates, saepe dissolutas esse, quis est, qui eo, quem amore atque animo coniunctum habet, frui perpetuo possit, ac non saepius locis distractus interpelletur? Et quoties verissimi amoris cursus diuturna absentia intercisus est? Quoties maxima benivolentia tempore consenescens plane exaruit? Quantus vero in digressu amicorum sit dolor, tu tibi testis es optimus, cuius ego lacrimas discedentis interdum ut tenerem, durum me conabar praebere, qui puerilem fletum aegre comprimebam. Si vero voluntatum idem consensus post

discessum e vita manet (cum enim vis amoris omnis sit in animo, nihil amicitiae officiat interitus corporis) ac si non manet modo, verum etiam perficitur et expletur, quid est quod deseri existimemus ab amicis, qui migrant e vita? Equidem te non deseram, si decedere maturius, quam naturae legibus praefinitum est, contigerit; sed ut nunc tecum absente cogitatione sum, ita tum mente illis ipsis animi tui bonis, quibus nunc delector, fruar eo commodius, quo ero ab omni terrae contagione liberior; donec (nam illud quoque tempus futurum est) in beatorum sedibus caritate iungamur sempiterna. At inquis ita tecum agis, qui nondum ·XXV· annum excessisti, ut cum eo, qui exacta aetate prope sit occasum. Maxime; quid enim interest utrum annorum numero quis, an corporis imbecillitate sit senex? Sed viderit ipse Deus. Nos modo operam demus, ut cum vocabimur, non imparati offendamur: quia, ut ipse nos sapientissime monuit, neque diem scimus neque horam. Philosophari me dices. Quid ni faciam? cum philosopho enim loquor.

Novi quod est allatum e Gallia, quia in hanc ipsam turbam litterarum et occupationum incidit, scribendi mihi tempus non erat: proximis tabellariis perscribam tibi omnia. Olicensium Ducem animum studiumque in catholicam fidem quotidie magis declarare intelligo. Postquam rediit in Lituaniam, Vilnae nondum fuerat, quod prius paterna oppida obire voluit, in quibus extinctam veram religionem ad vitam revocavit, et ut ad pristinum quoque cultum pietatemque restituat enixe dat operam. Dixisse ferunt, sibi certum esse nihil prius agere ubi venerit Vilnam, quam sacellum a patre profanum factum, expiare, restitutisque Dei divorumque simulacris, quae ille sustulerat,

denuo consecrare. Miranti cuidam atque accusanti, quod cum Romae fuisset, et romanae urbis (si Deo placet) foeditates oculis ipsis suis perspexisset, ab iis non abhorreret; respondit, fuisse tempus cum talia sibi persuaderi passus esset; quae cum falsa compererit, ac Romae nihil alienum a christianae disciplinae rationibus viderit, atque hic maxime extare veteris exempla et monumenta pietatis, horum se fidem quae cum antiquitate consentiat cupide amplexum esse. Iuvenis bono ingenio in optima mente videtur perseverare. Sed quia parati adsunt corruptores, confirmari interdum illum abs te per litteras velim, ne impiorum consiliis de verae non solum gloriae, sed salutis cursu deducatur. Cracoviae Volschium, interpretem illic ac doctorem philosophiae, quod cum Blessinschii summi haeretici funus duceretur, provocatus a quodam, qui funeri operam dabat, verbum iniecisset, quo mortui religio perstringebatur, Miscovii praefecti urbis iussu captum et raptum ad supplicium scribunt: erat enim is multo ante Miscovio haereticorum principi invisus propter egregium in catholicam fidem studium. Huius indigna morte consternatam iuventutem, quae studiorum causa Cracoviae est; ac verendum esse, nequa seditio periculosior inde existat. Vale. Idibus decembris 1567. Romae.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Ardet Gallia eo bello, quod nisi brevi insigni Regis victoria extinguitur, verendum est ne non ipsa modo universa incendio pereat, verum etiam ad vicinas quoque nationes funestae illae flammae adhaerescant. Nunc quidem res videntur ita esse comparatae, ut tam dif-

ficile sit futuri quid iudicare, quam facile intelligere magnum ac pestiferum id esse bellum, et quo res Galliae atterantur necesse sit. Re ad divi Dionysii templum prospere gesta, plus existimationis hostibus quam virium est ademptum. Cessere enim illi quidem, sed integra copiarum summa, quae et genere et numero et animis instructa ad dimicandum videtur. Aureliam petebant, sive ut eo totius belli sedem transferant, sive ut Germanorum auxiliis obviam proficiscantur, quae transisse Rhenum, et Galliae fines ingressa dicuntur, ducibus acerrimis iuvenibus Palatini, Landgravii, et Virtembergii regulorum filiis, quorum singuli duo equitum milia ducunt. Horum motu omnes Germaniae principes liberaeque civitates esse in armis feruntur; sed non tam, ut quidem putatur, iniuriam cuiquam inferendi, aut se ullam in partem huic bello immiscendi, quam sui defendendi, si quid hostiliter quisquam moliretur, gratia. Constat enim illa gens variis, atque ita inter se cohaerentibus multorum regulorum et civitatum imperiis, ut dum pro sua quique vel potentia vel libertate intentis animis excubant, nullus armorum strepitus existere in iis possit, quin omnes eodem sonitu excitati arma expediant, seque ad sua tuenda paratos ostendant. Qui Germanos transitu arceant, et ne se cum hostibus coniungant, prohibeant, Guisius et Tavanius cum iusto peditum numero a Rege missi sunt. In cuius castra nuper Arembergius cum Belgarum auxiliis venerat, in quibus esse scribunt nobilium iuvenum egregiam manum, qui extra ordinem duce Beavoio Arembergium secuti sunt, ut prima militiae tirocinia maxime pio et legitimo adversus communes omnium hostes bello susciperent. Rex ipse Condeium firmo exercitu insequitur, in quo totius

Galliae nobilitatem habet, praeter eos qui cum Condeio et ceteris impiorum ducibus consenserunt: et quidem regii omnes proelii cupidissimi, quo uno aut patriam, liberos, templa, aras, Dei religionem, fortunas omnium, atque ipsum Regem ab importunis parricidarum armis in perpetuum vindicent, aut pro his omnibus non honestam modo sed etiam salutarem mortem oppetant. Huius animi indices saepe in Regis castris audíri voces nunciant, qui inde venerunt; et nihil pacis mentione, quam nullam cum latronibus et fidei ac sacramenti desertoribus esse posse intelligunt, gravius aut odiosius esse omnibus.

In hoc ardore exercitus et tanto victoriae omine, non desunt tamen Regi puero domestici hostes, qui pactionum consilia clam misceant, ad quas Reginam Regis matrem his dissidiis regiam sibi potentiam munientem descensuram facile sperant. Et haeretici non aspernaturi conditiones putantur; tum quia spoliatos se existimatione superiori proelio sentiunt, et ne ab se Germanorum auxilia excludantur timent; tum quia nova pactione interposita universam nobilitatem ab extremis regni finibus evocatam, et decernendi cupidam, alienatum iri a Rege putant, quod se contemptam et delusam arbitrabitur, neque eam posthac si usus ferat dicto audientem futuram: sibi vero renovandi belli, et patrandi consilia, hoc rerum statu, neque occasiones alias, neque facultates defuturas. Haec disputant, quibus res Galliae et ingenia Gallorum cognita sunt. Itaque timere magnopere videmur posse, nequa conflctur exitiosa et plena insidiarum pax. Verum moderabitur haec ipse Deus, cuius tanta causa agitur.

Regem Poloniae lustrato exercitu, qui constat innumerabili equitatu, Moscoviae fines ingressum esse, et

perenni vestri nominis hosti magna vi bellum inferre scribunt; sed, quo nihil in bello perniciosius, dissidere duces, milites nulla disciplina contineri. Tantos Regi conatus fortunet Deus! In Polonia pestilentia multa loca occupavit, atque eadem morbi contagio per Germaniam quoque oppido magnum mortalium numerum consumens pervadit, in qua prohibenda utriusque gentis mira est negligentia. Miscovio, quod quaeris, non solum qui successurus sit, sed an successurus omnino quisquam sit, ignoratur. Equidem quod coniectura provideri possit, Casinium puto: sunt qui przemislensem episcopum arbitrantur, virum bonum et utilem rei publicae; alii alios; certus nemo. Cracoviae Volschium iuventutis doctorem ob dictum indigno supplicio innocentem periisse intellexisti. Multa indigna locis omnibus. Sed hoc nihil iniquius, haereticos non incessere modo verbis optimum quemque impune, sed etiam multos ab iis vi possessione ecclesiarum expelli, ecclesias ipsas non pro templis in quibus sacrorum mysteria fiant, et iustis precibus placetur Deus, sed pro scholis impietatis, pro perditorum ac seditiosorum hominum receptaculis haberi, catholico ob dictum capitis ilico poenam luendam esse. Sic oves, ut aiunt, lupis committuntur. In conventu, quem Caesar Austriae habuit, magno studio a provincialibus efflagitata est sacrorum libertas; quod cum Caesar paucorum factiosorum potentia fieri intelligeret, iis obiurgatis, illorum postulata reiecit. Orlicones Neapoli redierunt. Conabor eos Romae ad iciunia retinere, quo tempore huius urbis religio et pietatis studia maxime cernuntur.

Haec scripseram mane, cum allatum est nobis venisse Romam Theodorum Sangiorgium nobilem iu-

venem, qui narrat Ferrariae dixisse sibi Ducem, redditas tum sibi a Rege Galliae litteras, quibus rursum se cum hostibus secundo proelio conflixisse nunciat. Id Theodorus Romam veniens cum amicos an verum esset percunctaretur (huc prius nunciatum existimans) mirantibus iis, quod sibi dixerat Dux retulit. Confestim totam urbem rei fama pervagatur, atque omnes ingenti laetitia effecit; quae deciderunt, cum intellectum est, nullas neque Pontifici, neque cuiquam litteras ea de re esse allatas, et Theodorum nihil affirmare, sed tantum dicere se a Duce audivisse. Eodem tempore ex genuensibus litteris ad mercatores scriptis confirmatum est commissam pugnam, hostium magnum numerum caesum, permultos captos, omnes dissipatos esse. Verum de re tanta, rumoribus et auditionibus fides non habetur. Solent enim haec interdum ab otiosis hominibus confingi et pro veris disseminari. Quamquam spem aliquam facit Theodorus auctor ex ferrariensis Ducis verbis. Itaque suspensis animis expectantur in singulas horas certiores nuncii. Deum precor ut in falsum gaudium coniecti non simus. Vale. Romae ·XII· cal. ianuarii 1568.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Omnis amoris tui et curae, qua de mea salute sollicitus angeris, imaginem quandam et simulacrum penicillo atque coloribus expressum spectavi in tua epistola. Simili pictura ingenii tui Pogianum quoque huius artificii principem delectatum esse, ex eius litteris, quas proxime ad te dedit, cognovisti. An sua quemquam gloria tam putas lactari, quam ego, mi Thomici, tua hac laude et facultate triumpho? Ma-

cte virtute! te enim ad summa et natura finxit, et vocat Deus. Venit hisce diebus Romam ex Polonia Metellus Venturellus patris tui familiaris, qui sermones de te deque nobis cum eo habitos retulit. Mirum narrat eius in me studium, summum et maximum in Cardinalem, sic ut maius esse non possit. Laetor, quorum alter natura, alter voluntate, pari uterque amore tibi est pater, eorum quoque extare inter se benivolentiam. Nam hic quidem noster illum ita animo complectitur, ut pro eius salute saepe supplicet Deo.

Itali cuiusdam ex Brixia urbe, hominis nequissimi, levitate et perfidia paene magnum incommodum in Lithuania est acceptum, quod tamen Dei beneficio in ipsius et hostium caput omne vertit. Venerat is Vienna in Lithuaniam, ductus belli, quod geri a Rege cum Moscis acceperat fama, et spe, quod esset urbium muniendarum peritus, militaris alicuius praefecturae: quae cum illum spes fefellisset, adscriptus tamen militiae Lieplovium in praesidium cum N. praefecto est missus. Id est oppidum in finibus Moscoviae, a quo circiter viginti milia passuum Szucza Moscorum castellum distat, ubi hostium satis magna multitudo stationem habebat. Brixianus sive dolore iniuriae, quod se contemptum arbitrabatur, sive pravitate ingenii incitatus, nactus occasionem, quod palus, qua oppidum circumfunditur, et cuius aquis repletur fossa, hieme duruerat, et quod accidere illis locis saevitia frigoris solet, repente non solum hominibus pervia, sed etiam plaustris erat; moenium vitiis diligenter animadversis noctu ad hostes profugit. Hic qua parte infirmior sit munitio, et quam facili negotio capi oppidum possit demonstrat. Probatur res: confestim quatuor milia hominum ad Lieplovium oppugnandum ducuntur. At

qui Polonorum praesidio praerat, ea die forte consilium habuit, in quo cum non adesset Brixianus, quaesitus, nusquam inventus est. Praefectus id quod res erat suspicatus, glaciem perfringi, milites in muro disponi iubet; quingentos ipse selectos equites totidemque sclopetarios in proximam silvam ex oppido deducit atque ibi in insidiis collocat.

Hostes post mediam noctem silentio ad oppidum accedunt, ac primo impetu ignem eorum more sagittis et iaculis alligatum in aedificia gentis consuetudine lignea coniiciunt, ac multis locis incendunt. Miscetur acre initio certamen. Verum intentos oppugnationi hostes, poloni equites adiunctis sclopetariis repente a tergo sublato clamore adoriuntur, atque eodem tempore ex oppido signo accepto fit eruptio. Mosci circumventi, protinus in fugam dantur. Nostri caedendo terga usque ad Szuczam persequuntur, sic ut ex omni illo nnmero ·XV· modo Moscorum evaserint. Reliqui aut interfecti aut capti omnes. Ex quibus electi sexaginta nobiliores ad Regem missi, ceteri per oppida distributi. Septimum iam hoc anno cum illis hostibus feliciter pugnatum est. In huius nuncii laetitia dolorem coepi ex improbo nostri hominis conatu, quod illius turpitudine facinoris, aspersa macula videtur italico nomini apud vestram gentem. Rex metu hostibus incecto, Vilnam se cum regio comitatu recipiebat, exercitu legatis tradito, qui tripartito ad devastandam Moscoviam discedant, dentque operam ut superbissimi hostis contumaces spiritus refringant. Ipse de adiungenda Polonorum imperio Lithuania conventum principum Lublini habiturus ante cal. aprilis putatur.

Caesar principibus Germaniae primum pro imperio interdixit, ut Regis Galliae hostes nulla re iuvarent.

Deinde cum equites scribi a Palatino, Virtembergio, et Landgravio intellexisset, quos Condeio auxilio mitterent, eos commonuit quam alienam ab eorum dignitate rem facturi essent, quantumque turpitudinis et invidiae apud omnes christianos Reges subituri, si seditiosos homines, et suo ipsorum Regi nefaria conspiratione caedem molitos, suis tuendos atque defendendos copiis suscepissent. Postremo denunciari illis iussit, contra imperii romani maiestatem esse facturos, si adversus Gallorum Regem milites in Galliam traducerent. Caesaris dicto obtemperaturi non putantur.

Rumor, quem tibi perscripsi de novo proelio a Rege Galliae cum hostibus facto, plane effluxit atque extinctus est. Res nunc verti illic in eo videtur ut se Germani, qui Rhenum transierunt, cum Hugonotiis non coniungant, quos regii sperare dicuntur excludi posse, et rem ante ad proelium deduci. Si hoc fiat, explorata victoria: si hostium copiis Germani accesserint, anceps bellum. Regii interdicti, quo haeretici omnium magistratuum administratione privantur, latinum e gallico factum huic epistolae subscripsi. Matiscona in Heduis, quam initio belli propter loci opportunitatem haeretici occuparant, a Niverni duce ad deditionem compulsa est. Is oppugnatione instituta, ubi crebris maximorum tormentorum ictibus concutere moenia coepisset, atque ea disiici hostes animadverterent, catholicos homines, quorum intus magnum numerum habebant, in moenibus collocant, atque ipsos ingentium globorum petitionibus sic expouunt, ut sine illorum omnium miserabili caede peti tormentis muri non possent. Motus misericordia optimorum civium dux oppugnationem intermittit. Hostes ad eum de deditione mittunt. Qui sive negotii difficultate deterritus, sive quod ad Regem

properans detineri ea oppugnatione diutius nolebat, indignantibus militibus oppidum in deditionem accepit, pactus ut praefectos militum numero •XVII• cum equis atque armis, ceteros cum singulis gladiis abire salvos pateretur, fide ab iis atque iureiurando accepto contra Regem eo bello arma non laturos. At Genevam petentes ab agrestibus hominibus, qui se ab his male acceptos meminerant, passim iniquis locis circumventi, ipso connivente Nivernensi, ad unum omnes direpti atque interfecti sunt.

INTERDICTUM REGIS GALLIAE.

Carolus Galliae rex omnibus qui haec legent S. D.

Cum regni nostri totius status maxime duabus quasi columnis innixus fulciatur omnis et sustineatur, religione et iustitia, iisque ita inter se connexis atque coniunctis, ut dividi aut separari nullo modo possint; et cum Galliae universae unus sit Rex, veluti in caelo divino consilio unus est sol constitutus, pari quoque ratione divinae religionis unam complecti sententiam, iisdem legibus, eadem iustitiae regula ab eodem ducta fonte, regi atque contineri omnes debent, ut Deo cultum, Regi honorem tribuentes, pravis opinionum dissensionibus sublatis, uno omnes sensu, una mente iustitiam colant. Itaque cum intelligeremus, quantum confusionis omnibus rebus in regno nostro, quantumque detrimenti attulerit religionis et sacrorum novitas ista et discordiarum plena disceptatio; et cum plerosque dolose ad magistratus consequendos, et publica munera administranda trusos, qui non modo catholicae fidei non cultores, sed etiam eius quam ipsi tuemur religionis inimicissimi extiterint, ex eaque re infini-

tum malum invectum in regnum, innumeras coortas seditiones, et ius propterea magno dolore nostro, et nostrorum incommodo populorum, inaequabiliter dictum, animadverteremus; quae certe non accidissent, si ii qui potestatem gerebant, catholicae pietatis amatores fuissent, nostraeque colentes religionis sanctitatem, a catholica se ecclesia non seiunxissent; huic malo occurrendum esse censuimus. Et quia optamus maxime, ut aeque ius et integre unicuique tribuatur, quod est alterum fundamentorum, quibus nostrum niti imperium diximus, idque fieri non posse videamus, nisi magistratibus et iuri dicendo viri praeficiantur, quorum spectata sit fides et pietas, qui Deum revereantur, nobis pro eo dignitatis gradu, in quo nos Deus beneficio suo constituit, honorem habeant; statutum et decretum habemus, atque decernimus et statuimus, ita ut antiquari aut infirmari posthac interdictum hoc nostrum nunquam velimus, ut quicumque sive a nobis renunciatus, sive in mortui locum suffectus, sive ab alio substitutus provinciae aut alii publico muneri iurisdictionem habenti praeficietur, is ante quam magistratum ineat, suam de tota religione sententiam profiteatur apud procuratorem nostrum, qui diligenter de cuiusque vita, moribus, disciplina perquiret: et qui vel confessione sua vel inquisitione, alterius quam catholicae et romanae religionis, quam ipsi colimus, sectator inventus fuerit, ei potestas nulla committetur, sed protinus alio subrogato, reiicietur. Quod si quis post acceptum honorem in pravas opiniones diversum abduci se patietur, huic abrogabitur imperium; loco ipse amovebitur, eiusque munus alteri mandabitur nostrae religionis cultori. Atque haec mens est et voluntas nostra. Volumus autem et

mandamus omnibus praefectis, decurionibus, magistratibus regni nostri, ut decretum hoc cunctis edicant, perscribant, et ut ei obtemperetur, diligenter curent.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Accepi tuam epistolam vulgari sermone nostro scriptam (1) sane eleganter, et verbis et sententiis sic aptam, ut si in media Italia natus institutusque esses, perfectius atque omnino accommodatius loqui non potuisse videaris. Singularis haec est tua laus, quascumque adieris gentes, illarum linguas admirabili ingenii felicitate, tam percipere celeriter, quam scienter imitari. Huius quidem linguae cognitio tibi spernenda non est, tum quia versanti in Italia usui, et ubique ornamento erit; cum omnes prope iam artes liberalesque doctrinae, nostro sermone et absolute comprehensae, et copiose explicatae sint, sic ut summorum ingeniorum industria locupletata et exculta oratio cum illarum linguarum facultate conferri posse videatur, a quibus ipsa tota emanavit. Itaque nostra legens, utiliter operam posuisse te senties. Attamen quia is vivit sermo, et quotidiana nostrorum hominum consuetudine facile addiscitur, multum ut in eo studii ponas, non necesse est. Omnis tibi labor in latina oratione exornanda consumatur, cui et nobilitate et ubertate nulla antecellit; et ipsa certe in eo reliquis praestat, quod communis nobis sit cum omnibus paene nationibus; ut a quibus moribus, legibus, institutis, locis, longissime distamus, cum his huius communitate sermonis, quodam modo

(1) Extat haec italica Thomicii epistola inter illas Pogiani T. IV. p. 369, ubi Lagomarsinius in adn. profert e suo codice haec ipsa Gratiani nostri verba.

consociemur, iis nostra communicemus; illorum ipsi res cognoscamus. Huc tu intendere animum debes, et omne studium ad eloquentiae studia conferre. Nam sicut ceteris artibus ingenium, ita ingenio ipsi haec decus et lumen affert: et in ea tu gente, atque eo loco natus es, ut tibi haec facultas magno futura sit ad ea consequenda, ad quae nobis factus esse videris, praesidio: neque enim dicendi exercitatio tam necessaria est iis, qui unius dominatione devincti, quemadmodum ea honeste utantur non habent, quam iis quibus libertas sit, quae velint quaeque sentiant de re publica dicendi.

Te, praeter cetera naturae munera, hoc quoque beneficio cumulavit benignitas Dei, ut in eo regno nascereris, in quo est regia potestas circumscripta legibus, ut ea nihil officere communi libertati possit; et Regi in administranda re publica plus concessum auctoritatis, quam potestatis permissum sit. Est vobis praeses et custos publicae libertatis senatus, a cuius consentiente voluntate ne Regi quidem discedere licet: in hunc ex omni nobilitate ii leguntur, quorum est probata et cognita virtus: horum liberae sunt de re publica sententiae: in hoc et rerum pondere prudens, et verborum ornatu splendida regnat oratio; et tantum quisque inter ceteros eminet existimatione, quantum dicendi laude excellit. Sunt praeterea illae singularum provinciarum ad concilia regni, quae frequenter haberi solent, missae legationes, quae maxime eloquentia enitent; quamquam hae quidem sapienter institutae eo immoderata licentia progressae iam sunt, ut quos vindices libertatis maiores vestri esse voluerunt, verendum sit ne ab turbidis eorum consiliis, servitutis aliquando initium oriatur.

At ut ad illud revertar, ad hanc te artem, in qua cum summa gloria summa voluptas est, totum censeo conferas, reliquarum rerum scientias adiungas tibi tamquam huius comites atque administras virtutis. Mihi enim in te, mi Thomici, intuenti, quod tibi saepe iam scripsi, et scribere nunquam desinam, hoc esse curriculum singularis et ingenii et industriae tuae videtur; teque in ea tempora incidisse intelligo, ut si ad dignitatem generis, et ad cetera tum fortunae tum animi subsidia, quibus instructissimus es, haec accedat dominatrix animorum vis et facultas eruditae et copiosae orationis, magnum praesidium in te collocaturi omnes boni, magna ipse patriae adiumenta ad sanandos, quibus conflictatur, morbos, et veterem disciplinam restituendam, importaturus esse videaris. Ad hanc laudem, ut Pogiani summi viri litteris adiuveris, tibique ab eo ratio et via tradatur qua progredi debeas, mihi erit curae; quamvis a rogando homine deterrent me eius maximae occupationes; et est sane ipse in hoc toto genere fastidiosior, quam ut cuiusquam rogatu scribere soleat; extorquere me tamen aliquid posse confido; nam illius capiendae voluntatis ego auceps sum optimus: tu modo ad eum in eam sententiam, de qua te superioribus meis litteris monui, scribito. Vale ·III· non. ianuarii 1568.

Rerum novarum neque erat quicquam magnopere tibi quod scriberem, et augustia temporis (nam haec hora noctis sexta dictabam) plane iam excludebar. Quae in Gallia gerantur, incerta huc sine auctore rumoribus nunciis perferuntur. Incubuisse diligenter in hoc negotium Hugonotii videntur, ut omnes obsideant regni egressus, ne quis penetrare in Italiam possit, quo Pontificis et reliquorum principum consilia, ob

incertos illarum rerum nuncios, suspensa habeant. Ex antuerpiensibus tamen litteris haec feruntur: Condeium ad Regem legatos de pace misisse eo consilio, ut interposita mora, tempus Germanorum auxiliis, in quibus spem omnem haeretici collocatam habent, ad se veniendi detur. Ob hanc causam modo veniam poscunt, modo difficultates interiiciunt. Quam perfidiam Rex animadvertens, unam esse concordiae conditionem Condeio respondit, si positis armis supplex ipse ad se veniat, exercitumque dimittat: ad haec ut seditiosorum conciones, quarum licentia concidit Gallia, toto regno tollantur: Condeius ipse, et qui eum secuti sunt, a re publica atque omni magistratu in perpetuum amoveantur. Denunciari praeterea Rex Condeio iussit, ut populandis agris vastandisque regionibus abstineat; si non fecerit, se de uxore eius et liberis, quos in Germaniam obsides euntes, interceptos habet in custodia, iustum supplicium sumpturum. Scribunt peditum tria milia et quingentos equites Sequanorum ad Condeium proficiscentes, ab regiis fusos ac dissipatos esse. Sed haec omnia certius nunciari brevi necesse est.

In Belgis Dux Albae, qui illis provinciis cum imperio praeest, in praecipua quaque urbe aedificare et communire arces aggressus est, ut in iis singulis Hispanorum praesidio collocato, atque his tamquam frenis turbidae genti iniectis, populi in fide et officio contineantur. Quid illis nova suscepta haeresis peperit, nae brevi sensuri sunt, atque intellecturi, illa arma adversus catholicam religionem sumpta, iusto Dei iudicio, in eorum cervices recidisse.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Quî factum sit quod mihi nullas abs te litteras attulerint proximi tabellariii, nulla coniectura assequor; quidvis enim potius suspicari possum, quam te nihil scripsisse. Quod si ita est, et datae a te litterae casu aliquo interierunt, eas ego periisse mihi nolo; et tibi plane mando, ut illud quicquid fuit, quod postridie idus ianuarii scripsisti, mihi reddas. Hic summa est gallicarum rerum expectatio, in quas nunc maxime omnium mentes conversae sunt, quod in eius belli eventu, ceterorum quoque regnorum salus et incolumitas verti videtur. Quod tibi proxime scripsi, Condeiani simulatione pacis, quo tempus Germanis adventantibus daretur, octo dierum inducias a Rege impetrarunt; atque permoveri se patriae periculo, quae externis et infensis gallico nomini nationibus obiiceretur, et civilis sanguinis effusione, ita belle simulant, ut fidem facerent sceleris eos paenitere, ac redituros ad sanitatem: nam et admissorum veniam petebant, et velle se ipsos et suas fortunas in Regis fidem et clementiam tradere prae se ferebant; ad eamque rem Rotellini Ducissa aliisque nobilibus feminis interpretibus utebantur; quae sexus privilegio tutae, ultro citroque libere commeabant. Quae omnia eo videlicet pertinebant, ut octo dierum mora interposita, Germani appropinquarent, ipsi interea decertare proelio non cogerentur. Erant enim paene collata castra, cum inter utrumque exercitum flumen modo illaberetur, cuius pontem Condeiani tenebant.

Hoc igitur interiecto induciarum spatio, ac regiis concordiae spe turpiter elusis, Hugonotii noctu rescis-

so ponte silentio castra moverunt, et Germanis obviam profecti sunt, quorum discessus ante quam a nostris animadverteretur, pons reficeretur, copiae traducerentur, ipsi magno intervallo antecesserunt; et quacumque iter faciunt, calamitatis instar et turbinis vastant et exinaniunt omnia; pecora, frumenta, et reliquos commeatus aut secum avehunt, aut corrumpunt, ne nostris insequentibus sint usui. Regii duces praemissis equitibus qui hostium iter morarentur, reliquum exercitum traiecerunt, et abeuntes persequebantur. Sed Hugonotii summa adhibita contentione et labore, cum in eo positam salutis spem habeant, si ad se Germanos recipiant, antevertisse putantur, et se cum Germanis equitibus numero ad sex milia coniunxisse. Id si ita erit, metuo quem finem hoc bellum habiturum sit. De illorum crudelitate in bonos, quae inde scribuntur, referre dispudet. Ad summam, sine discrimine omnes homines catholici nominis singularibus cruciatibus necant; non sexui, non aetati parcunt, occisorum pecuniis fortunisque se suosque alunt. Atque haec simul instituto et more suo, simul ut multitudinem his contaminatam facinoribus, et a Rege et a religione magis aversam, et ex desperatione veniae et societate scelerum, sibi magis obnoxiam faciant. Qui illam concitent incendantque, iisdem illis utuntur praeclaris evangelii doctoribus, quos habent magistros et antistites totius impietatis. Horum lingua tamquam seditionis flabello illae ventilantur sacrilegae latronum copiae, et ad haec scelera impelluntur.

Ex Polonia id modo scribunt, habuisse Regem Lithuaniae conventum, ex eoque in spem venisse illam nationem regno Poloniae in perpetuum adiungendi

commodis conditionibus; eaque de re in Poloniam venturum brevi, et principum utriusque gentis concilium Lublini habiturum. Sed haec fortasse tu melius. Orlicones Tiburim concesserunt, ut villae Hadriani immanes ruinas et cetera antiquitatis monumenta, quae illic iacent plura, inspiciant. Patavium post paucos dies cogitant. Vale, et Pendasium et Pomorschium salute impartire meis verbis, atque ipse a Pogiano et Rosdzrazonio salve ·IIII· id. ian. 1568.

Romae his diebus migravit e vita Cardinalis Araeaeli Franciscanorum sodalis, illorum qui ligneis crepidis utuntur, vir ob excellentem probitatem, et eius disciplinae cultum, in quam se ab adolescentia tradiderat, a Paulo quarto pontifice maximo in amplissimum Collegium lectus; quem honorem magna humanitatis et innocentiae laude ita gessit per decem annos, ut superioribus comitiis parum abfuerit, quin Pontifex maximus crearetur. Vitam inter sodales suos, a quorum consuetudine et contubernio ne Cardinalis quidem discesserat, reliquit, annum agens sexagesimum octavum. Elatus est magna frequentia bonorum, et in aede divae Mariae Araecaeli, vulgari sepulchro, sicut ipse antea praeceperat, conditus. Testamento heredem instituit hospitalem domum divi Iacobi, praeteritis suis omnibus, quos paulo supra eam fortunam reliquit, qua nati sunt, humili atque infima.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Tu quidem aptis et multis verbis, et sane subtilius et sapientius quam in istam aetatem cadere posse videatur, philosophatus es in tua epistola, et ex intima socraticorum scientia mirificam mihi disputationem de-

prompsisti; in qua singulare acumen tuum cum pari amore erga me enituit: utrumque ex ingenio et humanitate tua, utrumque mihi gratissimum. Quo magis doleo, non esse nunc mihi tempus arbitratu meo rescribendi: prorsus distinebar. Vide quantum absim ab eo portu, in quem tu me crebra hortatione, et luculentissima modo epistola, quasi secunda aura invehere studuisti: qua propellis tu quidem me in pacatum interdum sinum, ubi paulum requiescere possim; at quamdiu illa uti tranquillitate licet? Resorbeor iisdem continuo aestibus, et in altum referor, sic ut evolare e conspectu fere fugiens terra videatur. Tu vero non desistis, et qua vales arte navim ad portum dirigis semper, et adversis niteris fluctibus: nihil tamen adhuc agis, et ut tuo verbo utar non proficis hilum: vehementiores enim venti reflant, quam ut eis resisti aut contra tendi possit. Itaque ille mihi spectandus est portus, quem cum cepero, verendum non erit ne me inde ulla vis, ulla tempestas exigat. Biennium, mi Thomici, et tempori et studiis tuis, et fructui nostro, quem ex hac commoditate litterarum percipimus accessisse, quid laetari me dicam? qui tristibus assidue et curis et molestiis occupatus, ad huius nuncii laetitiam paene revixi. In summa gaudeo immortaliter, eo quidem magis, quo spero fore, ut huius totius temporis maiorem partem una agamus. Tu modo quantum de mea salute laboras, tantum fac diligentiae in tua valetudine conservanda ac tuenda adhibeas. Vale. Romae XVI. cal. febr. 1568.

8. GRATIANUS POMORSCHIO S. D.

Biennii ista prorogatione, atque hoc toto patroni

tui consilio equidem triumpho. Nec sane scio, quid mihi gratius accidere potuisset, tum quod nobis fruendi amore et consuetudine nostra, cuius rei avidissimi utrique sumus, facultatem spero futuram; tum etiam multo magis, quod Thomicii mei tempori studiisque mirifice prospectum intelligo, de quibus equidem non minus laboro, quam de ipsa salute et valetudine mea, qua nihil mihi debet esse in vita carius. De nostro adventu ad vos certi nunc quidem tibi nihil audeo affirmare: lis nobis et controversia est cum Farnesio Cardinali summo summaeque potentiae viro (1): huius nos causae iudicium relinquere nullo modo possumus. Statutum certe habemus, ea finita, et ut speramus secundum nos iudicata causa, Veronam proficisci, quod futurum arbitror ante cal. iunii: quamquam harum rerum definitum tempus statuere quam difficile sit non ignoras. Verum de hoc scribam tibi postea. Tuas litteras ad Scalovium misi Neapolim, ubi ipsum agere intellexi. Semina conquiri mandavi; ea dabo Orliconibus vestris, qui Patavium perendie proficiscuntur. Vale. Romae •XVI• cal. ianuarii 1568.

9. GRATIANUS THOMICIO.

Ex superioribus meis litteris, quae nunciabantur e Gallia cognovisti; haec postea subsecuta sunt. Condeius postquam simulata paenitentia regios duces spe concordiae per inducias elusisset, et Matronam relinquere difficultatibus rerum compulsus ad recipiendos ad se Germanos profectus esset, quamquam multum antecesserat regios, ita tamen contendere, quin nostri celeriter insecuti novissimum eius agmen assequeren-

(1) De hac lite Gratianus in Card. Commendoni vita lib. IV. 15.

tur, nequivit; a quibus diu male habitus, multis suorum interfectis, et parte impedimentorum amissa, cum ubique instarent atque urgerent regii, in Mediomatrices extra regni fines se recipere coactus est: ibi se se cum Germanis coniunxit. Regius exercitus quindecim milia passuum longe ab hostibus consederat, cum ab omnibus rebus paratissimus, tum robore et numero militum paene invictus: sic enim Rex ipse Birragae Lugduni praefecto scribit, eas se habere in armis copias coactas unum in locum, ut instructiorem et firmiorem exercitum nemo unquam superiorum Galliae regum habuerit: quem quotidie scribunt augere fortissimorum equitum turmis, cum ad tantum communis salutis periculum excita toto regno nobilitas Regi difficillimo eius tempore certatim opem afferre contendat. Ad haec venisse in castra Ludovicum Gonzagam Niverni ducem cum Helvetiis et italico equitatu. Et non contemnendas praeterea manus Guisium, Aumalium, Vellievillium ducere, queis regni aditus sic, ut ingressu hostes prohibeant, tuentur. Mirum vero esse ardorem omnium ad pugnam militum; pacis mentione nihil odiosius, nihil molestius omnibus. Nec tamen eius actionem a quibusdam intermitti, subortumque propterea aliquid inter exercitus principes contentionis, ad quam sedandam, explicandumque de totius belli ratione consilium, ut aiunt quidam, ut alii suspicantur, ad pacis conditiones conflandas Reginam regis matrem, Lutetiae relicto filio, dispositis ad celeritatem equis, rheda vectam ad exercitum excurrisse.

Res in magna expectatione sunt; etiam in spe bona, nisi Reginae animum nomen ipsum inane pacis mollierit. Illud certe omnes intelligunt, rei christianae publicae paene universae fortunam in unum hoc bel-

lum conjectam esse. A Condeio Claramontium cum suo equitatu domum discessisse; idem Genleium fecisse, atque utrumque hoc facto sperare se a Rege impunitatem consecuturum. Prope Catalaunum oppidum deprehensae in vico quodam Condeianorum sex turmae equitum a Brisachio veteri et strenuo duce vapularunt sic, ut perpauci evaserint. Hoc ipso ex oppido cum adventu regiarum copiarum Hugonotii omnes aufugissent, uxoribus, quas domi reliquerant, ut post intromissos milites, signo accepto uno omnes tempore urbem incenderent, praeceperant. Sed ceterae impeditae metu mandatum perficere non sunt ausae, una suas ipsa aedes subiecto igne inflammavit, qui, quia ligneis fere aedificiis oppidum constat, celeriter dilatus prius integram oppidi regionem absumpsit, quam succurri a militibus atque extingui incendium potuerit. Lansachii filius a Rege cum litteris et mandatis ad Palatinum Rheni cum Palatini ipsius legato missus, ab adversariis interceptus est, fraude legati, qui eos de suo et Lansachii itinere clam monuit. Mandatorum commentarii et litterarum fasciculi, servi fide et industria, in hostium potestatem non pervenerunt.

Litterae cal. ianuarii datae ex castris Germanorum, illos nunciant non militum sed latronum more loca omnia quae incurrerint diripuisse; Wolfangi Nimburgensis, e familia Palatinorum, agro magnam depopulationem intulisse; qua de iniuria cum ipse questum ad Casimirum ducem misisset, responsum est dolere se Wolfangi gentilis sui incommodis, suam vero non esse apud milites tantam auctoritatem ut eos a maleficio coërcere possit: turpis quidem confessio in imperatore, sed tamen vera; sic enim scribunt, in illis castris nullam disciplinam, infinitam esse omnium rerum licen-

tiam; milites Casimirum ducem potius ad bellum sequi, quam imperatore uti, ipsi pro libidine cuncta administrant. Potuisse magnam partem eius equitatus a Casimiro abduci, si, qui conduceret uberioribus stipendiis, inventus esset. Philibertum marchionem Badensem, qui duo milia equitum, ut Condeio militaret confecerat, indignatum quod stipendia a Condeianis differrentur, frigideque res pecuniaria explicaretur, in Regis partes traductum esse, litteris Spira allatis confirmatur; ac pridie cal. ianuarii, stipendio accepto, Regi se militari more sacramento obligavisse. Philippum quoque Hessum cum mille quingentis equitibus conductum se cum Guisio coniunxisse, expectarique in dies Iohannem Willelmum Vinariae ducem cum quatuor milibus equitum a Rege magnis praemiis e Saxonia evocatum. Haec novi. Ad tuam epistolam vix est quod rescribam, aut ne vix quidem; nihil enim habet praeter ipsius excusationem brevitatis. Vale. IX. cal. ian. 1568.

IO. GRATIANUS THOMICIO.

Scito nos incuntibus iciuniis Roma discessuros. Quid gestis? Me etiam antecursurum recta Patavium, dum Cardinalis in Ferrariensi subsistet, nosque una annum ipsum acturos. Rem omnibus partibus iucundam, mihi etiam salutarem, qui hisce curis occupationibusque paene confectus discessu primum ipso relaxabor; caelo deinde isto, et tua consuetudine, qua nihil mihi est optatius, recreabor atque reficiar. Cura ut te valentem offendamus. Illa quae inter Commendonum et Farnesium Cardinales de veronensi divite sacerdotio erat controversia, iudice ac disceptatore Pon-

tifice dirempta est, Farnesio causam, qua inferiorem se intelligebat tradente; quae res consilium profectionis nostrum maturavit.

Cum Pogiano longus mihi hodie de te sermo. Et te diligit magnopere, et tua causa iam omnia cupit; et magnae curae illi est, ut laudis et gloriae cursum quem instituisti teneas atque perficias; quam ad rem omnem tibi operam, si Romam veneris, pollicetur. Paulo quoque Manutio mirifice te venditavi, item aliis multis. Itaque, cum quanta de te sit omnium expectatio intelligas, fac te ita compares, itaque instructus venias aliquando in hanc urbem, ut hominum de te summae opinioni respondeas. Sed ego tecum de adventu tuo ridicule nunc ago, qui ipse ad te propediem sim profecturus. Bononiae Lesniovolscius ab insidiatoribus, qui se in eius domo condiderant, in cubiculo ad ignem sedens in capite secundum aurem grave vulnus accepit; id ego ex praeceptoris ipsius litteris cognovi, curavique ut ea de re et alexandrinus Cardinalis ex auctoritate Pontificis ad bononiensem praetorem, et noster quoque Cardinalis vehementer scriberent, quo tam nefarium ausum severe vindicetur: vitae periculum nullum erat. Post exactum Galliae finibus Condeium nihil est magnopere nunciatum. Rumores modo et susurrationes ingratae omnibus veniunt, de concordia et pactione aliqua conflanda agi, venisseque a Condeio Reginae permissu, Lutetiam ad Regem hac de re Sciatilionum, illum quem Pius quartus ob haeresim senatu movuit. Deus bone, caecitatem animi et stultitiam non ferendam! Quod enim bellum hac erit pace exitiosius? aut quae pax esse potest cum iis hostibus, qui pietate, fide, religione incolumi, se salvos fore non putent?

In Germania convenire Fuldam a Caesare et ab electoribus missi legati, specie quidem ut de sumptibus gothensis belli quod nuper ab Augusto saxone adversus Iohannem Federicum Vinariensem ex Caesaris auctoritate gestum est, agatur, re autem ipsa, ut tot Germaniae motus componendi ratio exquiratur, atque eorum licentiam coërcendi, qui privato consilio contra leges proximo augustano conventu sancitas, milites scripserunt, exercitumque confecerunt. Ac praeterea ut serpenti ac dimananti quotidie latius Hugonotiorum malo occurratur; quod nisi fiat, imminere perturbationem ac conversionum omnium rerum intelligunt: ad plures enim quam quisquam putat huius sceleris contagio pertinet; et quid in hac venditata et pietatis fuco praeclare illita religionis causa delitescat, patere etiam iis coepit, qui contra catholicam ecclesiam hanc pestem diu aluerunt. Venenatos Hugonotii libellos germanico sermone scripserunt, religionis causam immanibus suis cupiditatibus praetendunt fallacissimeque ostentant, pro ea tuenda multitudinem ad arma vocant: regum ac principum iniquam dominationem seditiosissime insectantur; alios potentiae, licentiae alios, omnes praedarum spe, sollicitant. Horum librorum infinitum numerum tota Germania passim dividi, pervulgari, atque edi populis curant: itaque ii non leguntur modo, sed etiam ediscuntur, ac mirifice depravant imperitorum animos. Quamobrem Lutherani, qui hos ante protegebant, iisque quasi emissariis uti in catholicos consueverant, nunc sero sentiant quantam perniciem foverint. Horum malorum multa semina in Polonia quoque dispersa feruntur, miscereque polonos quosdam viros nobiles cum Gallis consilia. Res prorsus omnes spectare ad interitum videntur.

Tu cura ut valeas, et Pomorschium saluta, et ipse a Cardinali et a Pogiano salve ·VIII· idus febr. 1568.

II. GRATIANUS THOMICIO.

Vide quam mihi omnia ad voluntatem minime cadant. Multos Pontifex Cardinales ex Urbe in suam quemque ecclesiam dimisit, nonnullos etiam invitos; Commendono discedendi veniam sponte et quidem studiose petenti et multas causas sibi ad proficiscendum necessarias afferenti, praecise negavit, quod eius praesenti opera et consilio incommode se carere diceret. Honestum id quidem nobis, sed haud scio an etiam invidiosum. Quid quaeris? Tuli molestissime: omnem enim exoptati congressus atque adeo convictus nostri anteceperam animo iam fructum, et cum plenis in portum velis ferri mihi viderer, repente ab ipso ingressu atque aditu portus sic reiectus sum in altum, ut metuam qui navigationis huius finis futurus sit. Reliqua est una spes, qua me ipse consolor, transactis iciuniis, Pontificem, ut excurrat istô Cardinalis, permissurum. Quod si ne id quidem impetretur, ego certe mihi consilium capiam, et me quovis modo ad te, quem unum suavitate, amore, consuetudine mederi affecto animo, et afflictae valetudini posse reor, eripiam. Hoc tibi polliceor, planeque confirmo. De litterarum brevitate sine causa abs te accusor, praesertim cum mihi gravibus oneribus presso, in tanto otio par ipse non sis. Equidem et cetera argumenta paene omnia consumpsi, et nihil praetermisi quod novi huc afferretur, quin tibi perscripserim. Nunc quidem sum brevior, quia nihil erat aliud quod scriberem. Iulio

Savorgnano reddidi tuam epistolam, cuius fratri et patruo peto abs te ut salutem dicas meis verbis. Vale.

12. GRATIANUS THOMICIO.

Et eram ipse occupatus, et habebam tibi quod scriberem nihil, et brevem admodum epistolam a te acceperam. Quum quo abundas ipse otio, ego caream, vide ne tibi turpe sit, me in scripto uberiorem esse quam te. De nostri discessus dilatione cognovisti iam ex superioribus meis litteris. Perferendi sunt duo nobis menses, quibus scio nihil futurum nostrum utrique longius; sed obdurentur tamen. Pogiani rationem imitandi Ciceronis quod probas, tenesque atque imitaris, excellentiam in eo ingenii tui declaras. Incumbe in hanc laudem, sine qua ceterarum artium scientia, ut multum habeat utilitatis, illo certe splendore et gloria caret, in qua plurimum est admirationis et fructus. Sed ne tibi haec ab aliqua re nova inanis veniat epistola, Regis Sveciae acerbitas illa et crudelitas, cuius tantam suo nomini notam inusserat, in manifestam demum insaniam discessumque a mente erupisse narratur; ipsumque propterea a suis captum in publica custodia haberi, et gubernationem regni Finlandiae Duci, carceribus educto, quibus cum Rex frater diu torserat, traditam. Vide quam sit humanarum rerum fluxa commutabilisque conditio! Epistolam ad te mitto mihi e Gallia allatam, scriptam tibi ab Erasmo Dzialinio. Resignata est, quod eam in arculam, quam Rosdzrazonius a fratre accepit, coniecerant, in qua argenteae fibulae, torques, et ferramenta erant nonnulla, quibus omnium paene epistolarum, quae multae in ea arcula erant, signa rescissa sunt. Vale. Romae. Cal. martii 1568.

13. GRATIANUS THOMICIO.

Non tanti est Romae Cardinalem fieri, ut consuetudini nostrae sexaginta ipsi dies eripiantur. Qui quidem mihi dies omnibus annis longiores futuri sunt: credo item tibi, qui acceptis prioribus meis litteris, quibus te de profectionis nostrae consilio feceram certiorem, quibus gaudiis exultaveris, facile tua epistola declarat, quae profecto ipsa gestire laetitia mihi visa est. De Gallia institueram tibi omnia scribere, quae quidem huc nunciabantur; sed scito dierum plurium intervallo nihil esse ex iis locis certi allatum. Rumoris modo nescio quid affluxit, eius concordiae consilia iniri, quae brevi eo acerbius et exitiosius paritura bellum videatur hoc ipso quod nunc geritur, quo concussa et iam labefactata Regis legumque auctoritas novis motibus facilius deiici atque everti poterit.

E Svecia tragica quaedam nunciata sunt. Ericus rex furens scelere atque amentia Catharinam Regis vestri sororem feminam summae innocentiae et probitatis, quam cum eius viro Finlandiae Duce in arctissima custodia aliquot annos habuerat, Mosco hosti decreverat tradere, et ea de re ad barbarum legatos miserat. Qui nihil sibi optatius, nihil suis consiliis opportunius offerri posse intelligens, cum ipsis legatis egregiam nobilium equitum manum proficisci iusserat ad suscipiendam ad seque perducendam Catharinam. Hos cum Sveciae fines ingressos, atque adventare, Erico regi esset nunciatum, confestim qui fratrem et fratris infantem filium in carcere occiderent misit, eiusque uxorem Moscis dederent. Asservabantur ii in oppido circiter quindecim milia passuum a regia distante.

His imperatis, horarum vix trium intervallo tanta subito commutatio voluntatis insecuta est, et ex cogitatione concepti facinoris tantus repente dolor Regis animum invasit, ut protinus minorem natu fratrem ad se accersiverit; rem ei aperuerit, et celeriter revocari percussores iusserit; ipse eodem paene tempore exierit cum fratre et proceribus regni, qui tum aderant, et ad captivum Ducem contenderit, praemissis qui eum et uxorem custodia eductos Regem expectare imperarent. Ubi in conspectum ventum est, ignaro adhuc Duce quid sibi et coniugi esset futurum, devolvitur ad genua fratris Rex, et flens et supplex magnis precibus ipsum et Catharinam coniugem obtestatur ut sibi ignoscant et veniam dent. Crudelem se in ipsos non tam sua sponte quam quorumdam artificiis impulsum fuisse: hanc tamen acerbitatem suam qua posset maxima humanitate compensaturum: regnum, cuius ipse libidine eis infestior fuerat, et pro aemulis duxerat quos imperii consortes habere debuerat, acciperent; se ea fortuna contentum fore, quam ipsi dedissent. His dictis, sese regno abdicat, et fratrem regnare iubet. Qui subita re attonitus, Regi summisse respondit, praeteritorum culpam in parum utrique fideles consiliarios conferens; demum gubernatione regni suscepta, Regis appellationem in praesentia repudiavit. Quid multa? Qui modo in vinculis vitae incertus, miser habebatur, Rex; qui felix ante sibi visus fuerat, et impotenti dominatu cunctos exercuerat, privatus ab eo congressu discessit. Haud scio an quid aetate nostra memorabilius acciderit. Sunt qui scribant, Ericum non paenitentia neque sponte regno cessisse fratri, sed conspiratione principum coactum. Habes tragoediam Erici. Aliud quod scriberem nihil erat.

Pomorschio igitur salutem. Et vale. Romae. Pridie cal. martii 1568.

14. GRATIANUS BRESNICIO.

Non tam occupationibus meis, quibus sane distineor, impeditus pridem ad te nihil dedi litterarum, quam ductus expectatione reditus ad Urbem illius qui nobis superioribus mensibus litteras abs te et posnaniensi episcopo attulit. Sic enim et tu mihi significaras, et saepe confirmavit Ticinius, ipsum paucos Neapoli dies commoratum Romam rediturum, atque hinc recta in Poloniam profecturum. Huius ego spe distuli ad te scribere; quamquam, ut vere dicam, in hoc officii genere, nisi subsit necessaria scribendi causa, soleo esse negligentior. Ut ut est, quidvis potius tibi in mentem veniat suspicari, quam de animi nostri constantia erga vos; quam non officio litterarum, in quo facosi quoque amici diligentes esse possunt, sed voluntatis studio spectare debetis. Hoc contendere vos nobiscum laetamur, vinci a vobis nunquam patiemur. Thomicium admonebo ego libenter vestris verbis, ut vos saepius litteris appellet; nam ei et in summo otio negligenti esse non licet, et in iis nunc studiis versatur, quae crebra atque accurata scriptione maxime excoluntur; in quibus it sane maximis itineribus; it dico, qui eos cursus confecit paucis mensibus, ut evolasse videatur.

Nos ineunte maio Patavium atque in illa loca cogitamus, ubi una agemus proximam aestatem: neque enim feret Cardinalis ipsum non esse nobiscum, qui eius ingenio atque moribus ita delectatur, ut aeque carum habeat ac si ei esset pater. Cum una erimus,

studiorum exercitationes instituemus eas, in quibus se acuat, et ad hoc virtutis decus arbitratu suo excurrat eius industria. Warsovicius in societatis Iesu disciplina praeclare sibi viam ad caelum munit; mirifice in optimorum virorum institutis proficit, atque ita incensus pietatis et caelestis vitae studio fertur, ut nihil eo dici possit ardentius, nihil religiosius, nihil castius, et in illa humilitate animi, quae in christianis hominibus ex humanarum rerum contemptione efficitur, nihil demissius. Est propterea in oculis patrum Societatis, et ab omnibus valde diligitur. A me saepe visitur; nam et illius consuetudine delector, et ad pietatis cultum eius sermonibus studeo erudiri; et quia polonus est, videor me illi quodam amoris vinculo coniunctus esse debere, propter meum in vestram gentem animum singularem. Quod ideo tibi scribo, ut laeteris egregium virum a vobis in hanc sanctissimam disciplinam esse traditum. Vale. Romae. Pridie cal. martii 1568.

LIBER VI.

1. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Ecce autem Hispaniae Rex Carolum filium et unicum et tantae fortunae heredem tradidit in custodiam. Quid causae patrem ad tam severum de filio decretum perduxerit, aut ignoratur aut siletur. Multa quidem, ut in huiusmodi rebus accidere solet, iactantur a multis de affectato regno, de conspiratione in patris necem, de foedere cum Condeio cumque exulibus Belgis clam inito: comperti tamen nemo quicquam habet. Peritiores id totum infirmo adolescentis inge-

nio adscribunt; in quo multa saepe perturbatae nec sanae mentis indicia sunt animadversa, quae quamquam diligentissime ocultata, erant tamen nota permultis: quo facilius eius animus ab Hugonotiis, qui nullum scelus intentatum relinquunt, sollicitatus in patrem creditur. Illud constat Regem, antequam id consilii ceperit, multorum dierum sacrificiis supplicationibusque Iesu Christi veniam pacemque imploras-se, neque praetermisisse quicquam quod in tantae rei deliberatione christianum maximeque catholicum Regem decebat. Postremo ·XIIII· cal. februarii intempesta nocte quatuor principibus aulicorum comitatus venit ad filium, atque ingressus cubiculum, primum omnium gladium, qui propter lectum erat appensus, manu sua abstulit. Excitatus Regulus, ac viso patre, insolita re exterritus exiluit strato, atque ubi auferri arma, captumque se animadvertit, praecipitare sese tentavit e fenestra; a qua prohibitus ab his, qui cum Rege venerant, in ignem quem famuli subito accenderant Regis adventu, coniicere se conatus est: cum ne id quidem successisset, devolutus ad patris genua, ecquid, inquit, mihi vitam eripi non imperas? Ad quem Rex sine, inquit, fili, nec perturberis; nam haec quoque salutis tuae causa suscepta sunt. Denique armariis, arculis, epistolis, scriptis omnibus ablatis, Reguloque in proximum cubiculum cui fenestrae a pavimento remotae, angustae, ac ferreis cancellis munitae erant, inducto; illis ipsis quatuor principibus, quos Rex secum adduxerat, eius custodiam commisit, Ruygomio in primis cui plurimum fidit, quem etiam migrare in cubicula iuxta Caroli carcerem iussit. Quaecumque illae fuerint causae, quae Regem huc impulerunt, res certe ipsa magna est, et magni in re publica momenti.

At vides ne quae tempora? qui motus rerum? quae conversiones? Quaeso percurre dum animo omnes rei publicae partes; singula regna circumspice, nihil enim, nihil non ruere ad exitium dices. Incipe a Gallis. Quam paucis annis quam multas plagas acceperunt! Regem clarissimum tot bellis, tot rebus gestis, parta iam pace, in filiae nuptiis, festis ipsis ludorum diebus, hastae ictu miserabiliter interemptum. Qui ei successit, filium immatura morte subtractum. Horum ex casibus exarsisse illas flammas, quibus regnum ipsum deflagravit, atque ita nunc ardet, ut eius incendium nisi ruina restingui posse non videatur. Hinc accensae faces, in vicinam Belgarum materiam coniectae adhaeserunt, quarum ardor, etsi divino beneficio resedisse videatur, atque minori sonitu, quam erat hominum opinio, illarum rerum orbis conversus fuerit, et ad pristinam rationem retortus; tamen et manent impressae orbitae, et clades, vastitates, direptiones quas illa gens pertulit. Illis omnibus acerbior servitus insecuta est, cuius deiicere iugum vix est ullius iam virium. Transmitte modo in Britanniam. Ut proximorum annorum vulnera, bonorum caedes, expulsiones, proscriptiones, supplicia omittamus, quam illud miserum est servire impotenti feminae atque ipsi suis cupiditatibus servienti? Scotia quae scelerum monstra peperit? quot coniurationes, quot proelia, quot seditiones? Postremo Regi ipsi necem, Reginae vincula intulit. Non illic ius aut ratio ulla, vis atque audacia dominantur.

Germaniae is status nunc est, is motus animorum, ea nobilitatis alienatio a principibus, ea principum inter se dissensio, ac tanta in populos ab iisdem Hugonotiis semina bellorum ac seditionum iacta, atque

res omnes ita turbidae, ut ingens aliqua tempestas impendere illi videatur. De Hungaria nihil dico, quae pridem in barbarorum servitutem concessit. Svecorum regis tragicum exitum tibi proxime scripsi. Restat Polonia nostra. Nunquid ea horum malorum expers? Illi quidem nihil libet gravius ominari, sed certe veneni multum in ea sparsum est, atque Regis hoc a Regina dissidium; haec coniugis aut expulsio, aut dimissio, timere me nimium cogunt. Quantum illud est, non esse qui Regi succedat heres! Quantum in uuius hominis saepe aegrotantis anima vobis periculi! Quid multa? Sumus in magno temporum motu, neque res ita stare possunt. Sed ego haec tibi, dum tamquam cum praesente loquor, scripsi fortasse temere, nec necessario. Sermonum haec nostrorum sunt, non litterarum. Quare hanc tu epistolam conscindes. Vale. Pridie non. martii 1568. Romae.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Narro tibi: cum Pogiani ad te litteras mitto, ipse a scribendo deterreor. Et qui doctissimi viri erudito atque incorrupto genere sermonis, acui tuam industriam teque ad hanc laudem incendi, et ingressum tua sponte praesenti exemplo veteris eloquentiae incitari cupio, nescio quomodo tardari ipse meum studium sentio admiratione praestantis eius facultatis. Obtineat antiquitas suam dignitatem, tribuatur Ciceroni omnium qui latine scripserunt principatus; sit in manibus Caesar; legatur Terentius, Sallustius, Livius, iis qui hoc ingenii decus sibi compare student; ego Pogianum aut cum his confero, aut ab his cum discessi, qui illam locutionis integritatem cum lacte suxerunt, hunc ha-

beo proximum. Is mihi antiquam illam scribendi rationem retulisse; huius non rerum ac verborum •M• Tullii putida atque inepta conquisitione constructa et tamquam tempestivis flosculis conspersa, sed suo innixa pondere, suo illustris nitore, non deducta quasi pluviis aquis, sed proprio fonte fluvius, videtur oratio. Et cum latissima sit ac varia latinae linguae cognitio, Pogianus eius omnes partes sic complexus est, ut quantum pauci in singulis excelluerunt, tantum ipse in universis omnes praestitisse videatur, et acutissime inveniendo, et ornatissime explicando; eo verae laudis gloria dignior, quo ab ostentatione alienior: quippe doctus, eloquens, eruditus esse, quam dici, mavult; et doctrinas, ipsarum fructu, non praedicatione vulgi, metitur. Quae scribit, ut absolutissima sint, tamen comprimere nec nisi necessario proferre solet, impotentem quorundam ambitionem saepe ridens et stomachans, qui ut quidque fuerint elucubrati, ita properant edere; et posteritatis spe decepti, cuius memoriam aucupantur, non tam spectant quid afferant, quam quod attulisse sibi videntur ut foras dent.

At istos errore suo frui patiamur. Pogiani virtutem et temperantiam colamus, cuius praeclara scripta vel ipso negligente, omnis memoria immortalitatis memoria prosequetur. Quocirca magnam ego capio voluptatem ex illius eximio in te animo, tuoque item in illum studio singulari; maxime (libet enim hoc apud te gloriari) cum fuerim ipse praeclarae huius benivolentiae conglutinator. Mitto igitur tibi ab eo epistolam similem ceterarum scriptam elegantissime; et Deum precor, ut pulcherrimae istius tabulae, cui parem artificem desiderat, pictor ipse aliquando existat, inque ea exornanda artificii sui quam habet reconditam

scientiam promat. Nae eo nihil fingi aut excogitari posset opere admirabilius! Discessus nostri hanc dilationem laturum te molestissime non dubitabam, qui ex maturi adventus expectatione, quam tibi prope certam feceram, qua laetitia fueris affectus, ex prioribus tuis litteris intellexeram. Effluent hi quoque dies; et nos interea dabimus operam ut desiderium nostrum, quod nova illa spe totum emerserat, crebris et longis epistolis leniatur.

Gesta quae essent in Gallia, dum certi aliquid afferretur scribere tibi non intermisi. Sed mirum quam nihil diu nunciatum sit; quod silentium de re tanta verentur multi, nequod repente monstrum pariat. De concordia scilicet agitur, id est de Regis et bonorum servitute, de religionis interitu, de regni et totius gentis excidio, quibus rebus concordiae nomen imponitur. Qui aperte favent Condeio, qui litteras quotidie mittunt, accipiunt, tuentur perditam causam, iidem adhibentur in regium consilium, sententias interrogantur, fiunt participes publici negotii. Regis pueri divina mens foris impiorum armis oppugnatur, domi infidelibus consiliis. Quod ipse intelligens, neque quos consulat, neque quos audiat sibi statuere potest, neque ipse per aetatem tantarum rerum consilia explicare: timet omnia, atque ipso metu proditionis, maxime se prodendum praebet. Lugdunenses tamen postremae litterae habebant decretum fuisse in consilio, magno studio contendente Rege (ingemiscere enim puerum ad pacis mentionem dicunt) ut ubi Germanorum equitatus, qui ex ultima Saxonia magnis stipendiis conductus adventare nunciabatur, in castra venisset, decertaretur proelio, ut bellum cum nefariis hostibus, non pactione seductoria finiretur. Sed huius

nuncii neque auctor quisquam, et transigi res a praeclaris pacificatoribus ante poterit, quam se Germani cum Rege coniungant. Venit nuper inde Romam Christophorus Rosdzrazonius, Hieronymi huius nostri frater. Deus bone! quae loquitur! quae facinora, quae exempla narrat! Is in regio equitatu interfuit ei pugnae quae ad divi Dionysii templum commissa est, in qua cum essent exercitus in conspectu, animadvertere tum licuisse dicit genus civilis belli, cum Galli ex acie suos aut colore vestium, aut galearum cristis, aut aliis signis agnoscerent in hostium ordinibus, atque ostentarent digitis alii fratrem, alii parentem, alii filium ferentes contra se arma. En evangelium!

Haec scripseram ante tabellariorum adventum ·XV· cal. martii, natali ipso die Cardinalis. Heri reddita mihi est Pomorschii epistola, ex qua cognovi, in febriculam te incidisse: tuli scilicet molestissime; et quamquam temperantia tua, humanitate Pomorschii, et Bellacati nobilissimi medici erga te studio confisus, brevi depulsum iri morbum sperem, tamen angar animi, dum mihi litterae abs te ipso afferantur, quae valere te significent. Me quidem haec valetudinis tuae crebra tentatio excruciat. Ac te oro, mi Thomici, quantum nos amas, aut quantum te amari a nobis putas, tantum fac diligentiae in recuperanda prius, deinde in confirmanda ac tuenda valetudine adhibeas. Ego ad Pendasium scripsi, et ad Vialem, utrumque amantissimum tui, ut in omni opera atque officio tibi praestando praesentis mei vices sustineant. Tu modo cura ut valeas. Etiam atque etiam vale. Romae ·XIII· cal. aprilis 1568.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Etsi anxium de tua valetudine, Pomorschii epistola levavit, quae relictum te a febri significabat, tamen sollicitus esse ante non desinam, quam ex tuis ipsius litteris esse tibi recte cognovero. Te autem, mi Thomici, per amicitiam oro atque obsecro ut valetudini tuae diligenter servias, eiusque conservandae rationem sic instituas, ut neque religiose temperans neque intemperanter effusus sis in iis rebus, quae obesse corporibus solent; et adolescentiae viribus haud ita confidas, ut non memineris te deditum litterarum studiis, quibus firmissima saepe corpora frangi ac debilitari videmus. Quod ut facias, cum una erimus mihi erit curae; interim, si me valere vis, da operam ut ipse recte valeas.

A Turcis octo annorum inducias terra marique impetratas, heri nunciatum est litteris Vienna allatis. Quae res nostrorum animos tot rei publicae malis afflictos paululum relevavit: tanta enim et tam execrabili Christianorum discordia opportunius accidere nihil potuit, quam quietem esse ab illo hoste, cui ad occupandam terrarum orbis tyrannidem quotidie magis a nostris aperitur ac munitur aditus; ut magna sit habenda Deo gratia, quod barbarus luxui et voluptatibus deditus suas ipse ignorat vires, et a maioribus accepto imperio frui, quam in eius terminis proferendis gloriam quaerere mavult. Scribit Crassinius Tartarorum magnam multitudinem ab Taurica Chersoneso in Moscoviam irrupisse, et vastatis late populatisque agris onustos praeda ad suos se recipere, atque insequi ingenti equitum exercitu Moscum. Con-

flicturi putantur: quod si fiet, utri vicerint, vestrorum hostium vires minui necesse est.

·IX· cal. aprilis Pontifex, cum id nemo suspicaretur, quatuor Cardinales creavit excellentes sane viros; abbatem Claravallensem gallum, et Spinosam praesidem in Hispania regii consilii, utrumque absentem atque ignarum huius animi atque consilii Pontificis: hispanum magno usu rerum magna prudentia dignitate integritate praeditum; gallum singulari doctrina et scientia sacrarum litterarum atque admirabili innocentia et religione in Tridentino concilio cognitum, in quo cum warmiensi Cardinali et sententiis et animo coniunctissimus semper fuit. Tertium Iohannem Paulum ab ecclesia mediolanensi nobilem iurisconsultum. His adiecit Antonium Caraffam iuvenem perillustri familia natum, cui Pontifex accepti honoris a Paulo quarto gratiam referre voluit, quod et gentilis illius Pontificis, et ei in primis gratus fuit. Dicitur cum nemine communicato consilio, paucos ante dies supplicari in omnibus templis ac monasteriis Deo iussisse, ut eius mentem in magnae rei deliberatione regeret. Est enim hoc sanctissimi viri sollemne institutum, ut nihil, nisi pacato prius per piorum et religiosorum hominum preces divino numine, aggrediatur. Vale. Romae ·VI· cal. aprilis 1568.

4. GRATIANUS POMORSCHIO S. D.

Thomicio haec scribere visum non est, non quidem quod meam illi aut iniucundam curam, aut non gratum consilium existimem; (quid enim ei a me non iucundum?) sed quia sum veritus ne illi acciderent molesta, quod qui aegrotant accusari se omnes indigne

ferunt. Sollicitum me de illius valetudine vehementer, mi Pomorschi, angit eius in curatione fastidium; et quaedam eorum quae praecipiuntur a medicis negligentia: ita enim mihi scribitur perdifficilem cum morosumque se praebere, ac minime patientem in iis quae aliquam modo molestiam habeant, ac ne medicos quidem ipsos ferentem. Quae etsi communia sunt aegrotantium vitia, tamen ipsum velim moderatiorem esse, cuius et a natura ad omnem humanitatem informatus est animus, et in iis artibus doctrinisque versatur, quae aspera quoque ingenia mollire, et traducere ad mansuetudinem benignitatemque morum solent. Audio praeterea graviter solere irasci, idque medicum dicere valde illi nocere.

Quid ego te horter, ut haec cures? cuius in ipsum tantam perspexi benivolentiam, sollicitudinem, diligentiam, ut in amore erga eum, si cuiquam ego concederem, tibi certe concederem. Monendus est diligentissimeque rogandus, ut haec quae et rationis nihil habent, et sunt sane subodiosa deponat. Temperantiam colat conservatricem bonae valetudinis, lucem ingenii, vitae cum laude institutae magistram. Hortandus, ut illam humanitatem qua est omnibus carissimus, illas litteras quibus est supra aetatem instructus suscitet; earum praesidio ad expellendos animi incommodos motus utatur. Corpore nec est firmissimo, nec etiam si sit, tueri satis eius integritatem possit, continentia et moderatione non adhibita. Quam si ad cetera bona, quibus eum cumulatissime Deus auxit, adiunget, nihil iam erit amplius quod in ipso desideremus: contra ea neglecta, ne ipsae quidem illae virtutes maturos fructus edere poterunt, valetudine saepius interpellata atque impedita. Cui per Deum effice ut deserviat, atque

meo ipsius periculo terreatur, qui crebris morbis confectus aegre me misereque sustento. Vellem intueri nostrum posset animum haec scribentis. Eodem si, ut spero, accipiet Thomicius noster, et nos magna cura liberabit, et ipse quando carior esse non potest, erit certe nobis iucundior. Valete et salvete uterque. Romae •III• non. aprilis 1568.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Pomorschius quidem noster me sine cura esse iubet: te et febri carere, et tussim minus iam molestam esse, et brevi confirmatum fore. Sed tamen quia abs te ipso nihil litterarum accepi, quod mihi argumento est te non potuisse scribere, non possum omnem sollicitudinem deponere. Mi Thomici, prudentiam tuam qua aetatem antecellis, confer ad tuendam valetudinem; et quantum tibi molestiae ac stomachi curationes afferre solent, tantum in vitandis offensionibus adhibe diligentiae. At iam certe puto valebis; si quid enim reliquum est morbi, depellet is nuncius, quem mihi haec scribenti detulit Cardinalis, Pontificem sibi discedendi Roma atque in ista loca veniendi potestatem fecisse; cuius rei ut vere dicam spem perexiguam habebam. Quid multa? Harum rerum fastidio paene consumptum atque horum molêstia onerum oppressum extuli caput; et plane ita sum recreatus, ut ad summam laetitiam tuae modo mihi litterae desint, ex quibus tibi esse optime intelligam, quas a proximis tabellariis avidissime expectabo. In profectione comparanda hic nobis mensis consumetur; hinc circiter cal. maii movebimus. Sed et discessum, et iter nostrum tibi tum perscribam. Tu interim etiam atque etiam cura ut valeas, daque

operam, ut advenientibus te nobis quam bellissimum offeras. Mi Thomici vale, vale et salve.

Signum tuum quinto iam reficiendum curavi, aliquid semper omittente fictore: eius tibi impressam imaginem mitto, quae ipsa haud scio quam tibi probabitur. Mihi quidem in eo satis facit, quod in cera impressa belle eminet. Factam in Gallia cum hostibus pacem, et lugdunensibus litteris nunciatur, et rumore ita constanti percrebuit, ut prorsus fides habeatur, quamquam neque a Rege ipso neque ab apostolico Nuncio, qui apud Regem est, ea de re litterae sint ullae allatae. Conditiones adhuc ignorabantur, sed ex eo satis intelliguntur, quod Regem scribunt et ad concordiam ipsam invitum ac repugnantem esse perductum a suis, et ad eius mentionem fletum non tenere, quod insidiosae pacis nomine captum se ac circumventum esse sentit, et salutem suam coactum iis credere a quibus saepe petitum suum caput, saepe suae vitae insidiatum, tantum adversum se bellum excitatum, suum regnum externis nationibus pervastandum obiectum, quos denique ab se hostes iudicatos, decretis gravissimis conscissos, eorumque bona publicata esse meminit. Itaque mire sunt omnium animi non solum dolore instantis Galliae periculi, sed commiseratione adolescentis Regis commoti. Contra nunciant laetos hac pactione inter se impios parricidas tamquam si vicissent gratulari. Atqui praeclaros quoque titulos appetitae et confectae pacis, et liberatae belli metu patriae sibi audent vindicare; atque eo impudentiae procedunt, ut se vindices regiae dignitatis dicitent, et venditent populis, qui Regis necem, legum interitum, bonorum caedes, omnium rerum exitium moliti sunt, atque adeo moliuntur: quae scelera inulta Deus et impunita non dimittet.

Vienna scribitur Mariam Caesaris uxorem, qua die nunciatum illi est de pactis ad annos octo cum Turca induciis, egentibus epulum domi suae praebuisse, in eoque ipsam et maiores natu filiās ministrasse, aquam dedisse manibus, struxisse mensas, posuisse pocula, et cetera ministrantium munera praestitisse; ac postremo pauperes omnibus rebus, queis convivium apparatum fuerat, donasse. Signum hoc est christianae humanitatis atque animi omnia Deo accepta referentis. Romae ·IIII· id. aprilis 1568.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Quam te vis importunae febris concusserit, indicat epistola tua vacillantibus scripta litterulis; quae tamen epistola me recreavit, et quod esse tibi recte intelligo, et quod cautior in posterum sis futurus. Confirma nunc te, mi Thomici, ut cum venerimus valentissimum offendamus; venturos autem, Deo adiuvante, non est quod dubites. Cardinali certum est discedere, et iam per Pontificem licet. Tenuitate tua, modo valetudo integra sit, non est quod commovearis. Baiulorum est et athletarum firmitas illa et robur corporis, praestantia ingenia id certe non desiderant. Cum te confirmaris, ad Pogianum scribito, a quo et a Cardinali salve et vale. Romae ·XV· cal. maii, pridie paschatis.

7. GRATIANUS THOMICIO.

De medicorum fide postea videbimus: tu modo id cura, ut ne ope neve opera eorum indigeas. De nostro adventu cave dubites. Ego, etsi valetudine nunc utor adversissima, tamen vel lectica, si equo uti non licebit,

deferri me istuc ad te volo. Tu cubiculum illud meum fac paratum mihi ut sit. Gallicae pacis, ad quam paciscendam impulsus Rex puer atque inductus est, Lugdunenses caput illud reiiciunt, quo conciones habendi potestas haereticorum magistris permittitur. Negant se intromissuros amplius in urbem eos homines, quorum lingua tamquam certis civilium dissensionum turbinibus, omnes pacis et otii tempestates comnoventur, atque illae seditionum procellae concitantur quibus toties civitatis salus periclitata est: frustra sedari discordias, si discordiarum instrumenta non tolluntur. His de causis postulant, ut eodem iure sibi esse liceat quo Parisii, de quibus nominatim exceptum est in pactione, in qua regia dignitas et auctoritas ita prosternitur, ut difficile sit constituere, utrum ea turpior an pestilentior sit. Vale. Romae •VIII• cal. maii 1568.

LIBER VII.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Utrum italice scriptas meas litteras aspernaris, an ipse negligens es? An meam expectationem antevertere celeritate adventus tui cogitas? Nec enim satis constituo, quid horum te, quominus mihi ad quaternas meas litteras vulgari sermone nostro scriptas responderis, tenuerit. Illud quidem minime veri simile mihi fit, latinis te tantum meis delectari, respuere vernacula; qua enim lingua ipse ad alios et ad me ipsum saepe et quidem pure admodum et eleganter scripsisti, quin ea tibi interdum a me quoque scribatur, recusare non debes. Si vero tua negligentia est, habeo quo ulciscar; sin necessariae, de qua mihi per Renal-

dum significasti, morae simulatione subitus mihi atque insperatus advenire paras, vereor ut habeam quo tibi pro merito satisfaciam; ita mihi iucundus, atque adeo et animo et corpore languenti salutaris erit adventus tuus! Videbis igitur utrum eligas, me ne praesentia aspectuque tuo accurrens leves, an meam spem eludens, silentiumque et moram iniiciens, desiderio affligas. Vale. Veronae ·III· id. iunii 1568.

2. A. M. GRATIANUS VALENTINO CURBOSCIO S. D.

Postquam Roma circiter nonas maii discessimus, nihil ad te scripsi; quod in his locis fuimus ubi scribendi nullam invenio fere sententiam, et abs te nonaginta ipsis diebus nihil acceperam litterarum. Magnopere autem cupiebamus de statu vestrarum rerum valetudinisque tum tuae, tum warmiensis Cardinalis aliquid intelligere. Hanc igitur tibi epistolam exaravi, quo tuas eliciam rerum plenas aliquas litteras. Audivimus his diebus de morte Ostrorogii posnaniensis capitanei, qua dicunt afflictam eius urbis ac paene oppressam religionem paulum sustulisse caput. Nunciant etiam Thomicium castellanum gnesnensem placatiorem quotidie fieri in catholicos, et ab haereticis alieniorem. Est nunc apud nos ipsius filius, futurusque est donec in his locis erimus, adolescens non indolis modo, sed plane virtutis tantae, ut nihil dici possit admirabilius, summo ingenio et bono, probissimis moribus, et mira suavitate, et quod caput est singulari religione. A Cardinali et curatur, et profecto diligitur ut filius. Hunc ego futurum aliquando spero, qui reducti ad salutem patris gloriam ferat, atque hanc ei laudem a Deo reservari. Narravit mihi se litteras su-

perioribus diebus dedisse ad Warmiensem. Si rescripserit cohortatusque fuerit adolescentem, erit operae pretium. Vale, et salutem a nobis dic vestris omnibus, atque ipse a Cardinali salve. Veronae.

Narraverunt mihi Thomicius et Pomorschius quos hac aestate, dum feriae sunt Patavii, apud nos habuimus, graves in ea urbe exortas inimicitias esse inter Polonos et Belgas, et illata utrinque vulnera magnopere iuvenum animos concitasse. Consilii mihi visa res est: quamquam enim abfuere hi, cum ea acciderunt, tamen quia inimicitiae non cum uno aliquo, sed cum natione ipsa geruntur, et Thomicius Patavii in praecipuo honore ab omni inventute habetur, non sum arbitratus illum esse Patavii sine periculo posse, dum illae non sedentur turbae. Itaque cum mihi discedendum nunc esset in Germaniam, quo Cardinalis legatus ad Caesarem proficisci magna de re repente iussus est, placuit nobis Patavium non redire eum hoc tempore, ne adolescens erudiendi causa huc missus, et ad omnem eruditionem ac doctrinam natus, effrenatorum iuvenum temeritati temere obiiciatur; atque illud tempus quod in litteris consumere, imbuendoque integris moribus animo debet, id contentionibus atque adeo rixis tam inutiliter quam periculose perdat. Decrevimus igitur ut apud nobilem virum, veterem amicum atque hospitem meum, atque ipsum eximiae humanitatis hominem, et Nicolai peramantem, tamdiu maneat, donec aut res componantur Patavii, aut patris voluntatem cognoscant, ad quem Pomorschio dixi ut de tota re diligentissime scribat. Si Patavii esse sine periculo liceat, aptiorem nullam urbem esse censeo, in qua inchoata studia Nicolaus persequi possit, cum propter caeli et loci commoditatem, et rerum omnium copiam,

tum propter doctorum praestantiam. Verum si illi maneant tumultus, praestare videtur alio aliquo demigrare cum, ubi sine cura tenere institutum litterarum iter possit, quam Patavii cum periculo permanere. Quo autem se potissimum transferat, statuet pater: ego hac quoque de re meum consilium exposui. Equidem cum Nicolaum ob singularem spem atque adeo virtutem, qua Dei et naturae munere praeditus est, singulariter diligam, quamdiu in Italia erit, tantae mihi curae futurus est, quantae cum in Poloniam redierit vobis esse debebit. Vale. Veronae pridie cal. oct. 1568.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Ut nudius tertius facturum me tibi scripsi, ad visendum Benacum proficiscor, Veronam ante diem quartum reversurus. Nam de obeundo lacu sine te neque cogito, neque sane me ulla amoenitas loci delectaret. Litteras tuas festinationis plenas heri mihi ad vesperum reddidit Veronensium tabellarius. Comiter te Vicetiae acceptum ab eius urbis praefecto dicis Lippomano. Est omnino haec in te suavitas morum, ut neminem adeas alloquarisque, quin tui cupidissimum relinquas. Ain vero in illa se castra coniecit noster? O hominem sui semper similem! Crederem, si fortunae aliquo vitio, non suo, decoxisset. Scribe quaeso ad me rem sicuti acta est, aut si vis etiam nostro congressui reserva; digna enim mihi videtur tuis et Piotroschii cachinnis. Haec tibi scribebam ante solis ortum, dum se comites parant, equique educuntur: nec te tamen gravissimi nuncii, qui nobis heri allatus est expertem habebo. Bruxellis apud Belgas nonis iun. de Agamontio et Hornio, gentis illius principibus, quos

initio tumultus Albae dux in custodiam tradiderat, publice supplicium sumptum. Triste Belgis spectaculum! Agamontium cervicem carnifici praebentem cernere, quem nuper beatum opibus, regum affinitatibus, clientelis, praefecturis validum, gestarum rerum gloria et Philippi gratia florentem, omnes suspexerant. Scribunt convictos indiciis, litteris, et confessione sua, poenam quae in damnatos maiestatis est constituta subiisse. Habes singulare exemplum humanae fragilitatis. Ego ad rem divinam evocor, qua facta discedemus. Valebis igitur et salvere Pomorschium iubebis. Vale. Veronae ·IX· cal. iul. 1568.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Veniens Veronam Torcellanus episcopus salutem mihi abs te dixit, litterarum nihil attulit; scilicet valde dolui. An cum tui desiderium non feram, plane inquam non feram, cumque tamen prope nunc absimus, te mihi aeque carendum est, ac cum Romae sum? Hoc vero non ferendum. Ecquid (malum!) igitur, inquis, cunctaris ipse ad me venire, ut mihi discedenti nuper a te, non promisisti modo sed etiam recepisti? Tamen non ignoras quam non facile mihi sit obsequi voluntati meae. Et Torcellanus quidem, et qui cum eo venerunt obliti omnes caeno, tantam ex continentibus tot dierum imbribus aquarum vim obruisse omnia itinera narrant, ut evadi difficillime possit, atque ipsi impositis equis vias navigiis tranare quibusdam in locis coacti fuerint. Quid quaeris? Paene nos deterruissent, nostrum certe discessum in nescio quod tempus reiecissent, nisi exclamassem ego, et me negassem dilaturum: aquas iisdem navigiis transiturum

me, quibus ipsi essent traducti. Itaque obtinui ut praemittantur hodie Patavium, qui Cardinali domum Corneliorum ad divi Antonii apparent. Ea, et quae praeterea opus sunt, comparatis, nos hinc discedemus. Pomorschio dices, ut cubiculum quod mihi apud te est, ornet libellis tuis, et suo quidque loco ita collocet, ut advenientem ipse me nitor et concinnitas delectet. De prandiis nihil moneo, nostis enim ipsi quam edacem hospitem habituri sitis. Tu quaeso nobis Vicetiae occurrito: qua enim illuc die venturi simus, cognosces de nostris. Vale ·III· iul. 1568. Veronae.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Quamdiu in digressu fuimus, cum repetitis amplexibus distrahi non possemus, ne tuum fletum meo dolore augerem, compressi lacrimas vi quanta potui. Ast ubi e conspectu abivimus, et progredi qui me expectabant iussis, solum me relictum esse sensi, laxandae fuerunt desiderio habenae, quod sic erupit, ut cum illud ferre nequirem, subsistere in via coactus fuerim, ut hanc tibi epistolam exararem, quam cuicumque qui mihi obviam fiet Tridentum eunti darem, sperans me in ipso sermone litterarum, levationem aliquam inventurum. Quod contra accidit; quo enim magis te mihi praesentem cogitatione constituo, eo dum abesse intelligo, gravius angor, sic ut scribere iam plura dolore prohibear. Vale igitur vale et salve, mi Thomici optatissime, a quo peterem, ut huic meae imbecillitati ignosceres, nisi te imbecilliorem, quam me, intelligerem. Sed vale. Renaldo utroque, viris profecto humanissimis, fruere; atque in repetendis studiis, ne te aviditas provehat, cave; saepe enim morbus inde tibi

conciliatus est. Sed progressi comites multum viae sunt. Vale iterum, et Pomorschio et Reualdis dic salutem. Vale. Ex itinere prope Tridentum eodem die quo a te digressi sumus.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Venimus Oenipontem ad ·III· idus oct. eadem caeli commoditate usi, qua abs te discessimus, usque Brixinonem. Hic primos hiemis nuntios ab Alpium iugis obviam habuimus, ipsa vero hiems continuis tribus diebus frigida sane imparatos omnes oppressit, praeter me, qui hoc providens, ante profectionem egregie me ad hunc casum communieram. Erat nix crebra et constricta frigore, ventus vehemens adversus nivem omnem in oculos inferebat; cui malo maxime ambulando occursum est ab iis, qui proficiscentes praesentis modo temporis rationem duxerant. Hic vidimus Bavariae ducem, qui apud Ferdinandum erat cum uxore, et liberis, et nova nuru, praeter Ernestum quem pater domi reliquit; quo tuum mandatum exequi nequivi, sed ei abs te salutem ut diceret, Echium scribarum Ducis praefectum rogavi. Cardinalem is princeps omnibus amoris significationibus accepit. De re publica longos habuere sermones: est et sensu optimo, et prudentia profecto non mediocri; quae duo perpauci sunt qui coniunxerint.

Haec potissimum scribente me, nunciari Cardinali Dux iussit litteras allatas sibi ex Belgis, Aurangium in conspectu catholici exercitus castra posuisse, et quotidie certari levioribus proeliis, dum Mosam haud ignobile flumen ut superet Aurangius, Albanus ut prohibeat, enixe contendunt. Si Albanus ho-

stes traiectu fluminis aliquot modo dies arcebit, spes est haud dubia victoriae. Qui enim cum Aurangio sunt milites, non tam ipsum quam praedae spem sequuntur, qua praeclusa, instante praesertim hieme, brevi dilabantur necesse est. Quod ipse intelligens dat operam ut hostem ad universi certaminis fortunam eliciat; quam Albanus putatur tum consilio, tum etiam insita eius ingenio cunctatione non subiturus, neque discessurus a fabianis illis consiliis, quibus olim Hannibal a victoria victus est. Transitiones quoque crebras fieri scribunt ab Aurangianis, et quia rerum omnium inopia premuntur, et quia certa stipendia, quae ab Albano proposita sunt, ostentatae rapinarum spei multi praeferunt. Brevis expectatio est: neque enim esse in ea contentione diu possunt.

Gallia scilicet flagrat bello, non alio sed plane eodem quo superiori anno: neque enim pax illa fuit, sed belli ad ipsum tempus dilatio. In Germania quoque magni armorum terrores. Sed nihil mihi nunc scito minus esse, quam otium ad haec scribenda. Hinc nos triduo proficiscimur, decretumque est nobis iter navigiis facere secundo Oeno. Nostri pueri germanice iam perbelle loquuntur, in quo mihi periucunda fuit Antonii garrulitas, cui abs te suavium, ut mihi praeceperas, dedi: uterque te amat, et a Cardinali unice diligi intelligit, quo magis ad te imitandum accenduntur. Meum desiderium, mi Thomici, aut potius nostrum, fac ut quam creberrimis litteris leniatur. Equidem in meis maximis laboribus respirare mihi videor ad te scribens, plane vero recreor tua legens: amabo, fac tuam tuam diligentiam in hoc genere ne desiderem. Cura ut valeas. Oeniponte pridie id. oct. 1568.

7. GRATIANUS THOMICIO.

Discessimus Oeniponte ·XVII· cal. novembris, triduum retenti nautarum et remigum inopia, quos Bavariae dux, qui nos antecesserat, secum omnes abduxerat. ·XV· cal. Halae pransi conscendimus, et non flumine magis secundo quam caelo, quinto die Pataviam venimus ad Oeni et Danubii confluentem, ·VIII· cal. ante meridiem Lintium. Hic tantisper descendimus, dum Poloniae Reginam Cardinalis salutaret ac viseret. Eodem die, quamvis humanissime et accepti a Regina et invitati ad manendum, quindecim milia passuum progressi sumus ·VI· cal. mane coortus adversus ventus non cursum modo nostrum tardavit, sed plane sic impedivit, et aegre Crempsium applicuerimus: ubi dum resistimus, haec ad te hypocausto inclusus, et quasi cum praesente loquens scribebam. Interea magna vis et stridor venti; et vereri nautae dicuntur ne plures hic dies reflatu hoc teneamur. Vienna iter unius diei absumus, quo ego cras dispositis equis, si ventus manet. Inde ad te plura scribam.

Dum hic moramur, ex viennensibus litteris intelleximus, Aurangium cum omnibus copiis Mosam traiecisse, et ignobilibus quibusdam oppidis occupatis, magno frumenti numero, atque omni genere commeatus reperto, exercitum fame et desperatione confectum, affatim refecisse. Mirum quod aiunt, haud longius sex milibus passuum a Catholicorum castris nemine impediente, ac ne sentiente quidem, pacate tantam equitum ac peditum multitudinem traductam esse, idque non ante a catholicis ducibus intellectum, quam eis sacerdos quidam, dum eius diripitur domus, inter hostium ma-

nus astu elapsus fidem primo non habentibus, mox rei magnitudine stupentibus nunciavit. In ea re magnopere fertur desiderata imperatoris vigilantia. Quid enim? Hostium discessu cognito, nonne missum oportuit exploratum illorum iter? Vicerat si transitu prohibuisset, nunc negligentia videtur admissum, ut aequata sit belli fortuna, in qua profecto magnum ad universam rem publicam momentum vertitur. Ingens omnes expectatio tenet et metus ne aut populorum motus aliquis et defectio ab Hispanis existat, aut ne qua nobilior urbs amittatur, ubi stativam belli sedem habere, atque hibernare sub tectis hostes possint; aut proelio certare Albanus cogatur, quod ei omni ratione videbatur evitandum, cum multo plus ex adverso periculi, quam commodi ex prospero pugnae eventu propositum sit. Crudele atque omni imbutum odio bellum geritur: non captis, non deditis parcitur: quicumque in potestatem veniunt, Aurangius exemptis praecordiis flammis exuri, Albanus suspendi iubet. Rem atrocem! Utinam auctoribus modo calamitosam! Sed haec ipsi viderint.

Ego cum tamdiu requiescam, quamdiu ad te scribo, egere mihi nunc videor epistolae argumento: nam nostro more quicquid in buccam, non libet; ita sum animo minime ad garriendum parato. Et mehercule angor desiderio tui, cuius mihi ante oculos assidue obversantur discedentis lacrimae. Utinam mihi advenienti Viennam, quod spero, praesto sint tuae literae, in quorum sermone omnes deponam molestias quibus afficior! Sed haec quoque missa sint. Scribenti, aut potius quid aliud ad te scriberem animo quaerenti, concidisse repente ventum mihi nunciatur, et Cardinalem vocare ad navem. Valebis igitur. Crempsii ·VII· cal. novembris 1568.

8. GRATIANUS THOMICIO.

Nunc ad eam epistolam respondebo quam mihi ·XIII· cal. scripsisti, brevem sed suavissimi amoris tui plenam, sed hoc prius. Hodie forte epistolam legens divi Pauli ad Timotheum, cum ad eum locum venissem, ubi divinus vir suam erga sanctissimum iuvenem pietatem verbis amplissimis testatur; continuo mecum: quam haec apte usurparem ego in meum Thomicium! Saepius deinde legi; et plane tam belle quadrare mihi visa sunt, ut libuerit adscribere, saltem quo plenior haec tibi veniat epistola. "Gratias ago Deo meo in con-„ scientia pura, quod sine intermissione habeam tui me-„ moriam in orationibus meis, nocte et die desiderans „ te videre, memor lacrimarum tuarum; ut gaudio im-„ plear, recordationem accipiens eius fidei, quae est „ in te non ficta „. Quid potuit ad amorem nostrum, aptius? Tu vero, ut redeam ad tuam epistolam, me etiam rogas, ut in hisce laboribus interdum me respiciam, mihi parcam, atque in tuenda valetudine mea sim tua causa diligentior, et me tibi conservem. Quod cum facis, quam refricas, mi Thomici, desiderium meum! quantos excitas amoris ignes! Sed haec iam nimis saepe. Cum patre ante quam quid incipiamus, expectandum censeo, ut ad eas litteras rescribat, quas ei Verona misisti circiter cal. oct. Spero illum facilem se tibi praebiturum, planeque futurum in nostra potestate, praesertim cum Cardinalis consilium paterni officii plenum accesserit. Festivum puerum tibi e Polonia missum, iucundumque eum esse tibi laetor: curabis ut non solum erudiatur iis artibus, ad quas illum tam longe evocasti, sed ut moribus probis modestiaque

sic imbuatur, ut apud te institutus agnosci possit. Martinum in Poloniam dimisi, habuique quamdiu mecum fuit tua causa humaniter.

Renaldus uterque in suis litteris, quas ad me scripserunt, exultant praesentia tua, et mihi mirificas agunt gratias qui tibi auctor fuerim istuc secedendi. Paternum fac quaeso visas: de institutione vinearum, de arborum ordinibus, de delectu, de lacu quem prope villam in convalle facere instituimus, et quod oculus illius loci futurum est de aquaeductu videto; ipsum fontem inspicias velim, unde ducenda est aqua; atque, amabo, surculos etiam ex selectis arboribus tua manu aliquot inserito, quorum tibi postea fructus vel in Poloniam mittam; mihi certe erunt hoc ipso, quod a te sati, multo suaviores. Quam vero velim videre te ibi villicum agentem, et imperantem operis: heus tu hanc adminiculo fulci, illius caput religa, hoc amputa, illud propaga, hic arborem istam, illic aliam sere, istum huc ordinem dirige, ut illi recte respondeat, et efficiatur quincunx. O mirificum agricolam! Tibi, mi Thomici, illud praedium vere Paternum puta. Nisi una tecum ambulatio mihi pluris esset, quam vel cum Caesare conspici, dicerem non invidere me aucupiis et venationibus vestris; nam Caesar occisarum ferarum luculentam nobis copiam suppeditat. Proxime venatu rediens, venire recta in domum nostram iussit onusta plaustra cervis et apris certe maximis, piscibus praeterea lectissimis, in quibus erat sturio (1) admirandae magnitudinis, cuius ingentia frusta misimus omnibus principum legatis mirantibus tam immane beluae corpus.

(1) Ob notam nominis controversiam, ponit italicum vocabulum Gratianus. Videsis Forcell. lex. voc. *acipenser*.

De patavinis turbis nihil mihi scribis. Pomorschius quidem spem afferebat sedatas iri, et videbatur Patavium tecum cogitare; cuius rei mentionem nescio quam istic intulit: nam exclamans scribit ad me Hieronymus, et meam fidem, meum promissum appellat: spopondisse me sibi ait, non ante ieiunia te abs se discessurum. Equidem in medio desiderio tui te cum nemine malim quam cum illo esse, qui me haud minus diligit quam te, paene dixi quam tu; sed mihi antiquissimus est reditus ad studia tuus, et tu fortasse Patavii eris cum haec leges; quod si ita est, nec te tuorum importunae inimicitiae impediunt, scilicet Pendasio omnem operam. De nostro reditu in Italiam quid ad te scribam nunc quidem nescio, incerta enim adhuc sunt omnia: vereri tamen cogor, ne paulo diuturnior haec nostra mansio sit, quam cum a te discessimus arbitrabamur. Venimus in negotium, mi Thomici, molestissimum, planeque praeceps, atque huiusmodi quod cadere sine omnium prope rerum ruina non posse videatur.

Caesaris quidem praeclara mens, sed ea miris quorumdam artificiis oppugnatur. Non voluntatis, sed opinionis vitio lapsus ab optimo sensu ad exitiosum consilium deflexit. Itaque laboratur vehementer ut hic error, qui falsa spe obiecta maioris commodi, haesit in eius animo, evellatur. Spissum opus, sed hoc nobis fatale iam esse videtur. Ecquis enim nodus his decem annis extitit in re publica difficilior, quin huic nostro traditus fuerit explicandus? Mihi omnis spes est in Deo, qui nos reget eius causam agentes. Filiola Caesarem auctum scito, non solum sine periculo, sed paene etiam sine dolore Mariae uxoris. Nec mirum, quae hunc sextum decimum ediderit partum, quo Annae

reginae socrus suae foecunditatem felicissime superavit. At regina Hispaniarum, in cuius capite duorum maximorum christianae rei publicae populorum pax et societas nitebatur, optima ipsa et sanctissima femina, enixa immaturum foetum ex dolore parturiendi mortua est, in summo et aetatis flore et inopia filiorum, et regiam domum unico nuper filio orbatam, quem quod multo miserius est, susceptum nunquam vellet, funere suo acerbissimo cumulavit. Mi Thomici, pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres. Scribunt ipsam, quum omnibus sacramentis ecclesiae rite magna cum religione adhibitis, animam ageret, Regem ad se vocari iussisse, et magno dolore animi perturbatum flentemque, cum lacrimis ipsam obtestatam esse, ut quando rei publicae salutarem illum propinquitatis nodum, qui ei cum fratre Rege Galliae erat, et sua vita constringebatur, laxare suo interitu Deo visum esset, eum et benivolentiae vinculo revincire, et conservare ipse vellet, et sibi eius rei fidem dextera morienti obstringere. Atque inter haec, et lacrimantis Regis complexum, extremum vitae spiritum edidisse, tristissimo desiderio sui universis Hispanis, a quibus studiosissime colebatur, relicto. Huius morte novae hic nuptiarum cogitationes suscipiuntur. Nemo enim dubitat quin aliam Rex ducturus sit, cum marem ex ea nullum susceperit. Itaque maior natu Caesaris filiarum virgo plenis annis nubilis paene desponsa Galliae Regi, huic iudicio et sermone omnium destinatur; neptis avunculo; altera, quae Regi Lusitaniae petebatur, iungetur Gallo, aetate illi propior.

Belgica sic nunciantur litteris ·IX· cal. novemb. datis ex castris. Traiecta Mosa Aurangius Lovanium iter habere coepit spe illius urbis haudquaquam pro mag-

nitudine munitae potiundae. Secutus cum exercitu Albanus: eodem die in conspectu castra sunt posita: idem sequenti factum; et cum nostri ad occupandum collem, qui hostibus imminebat, misissent, atque id animadvertisset Aurangius, quo nostros deterreret, eduxit omnes copias; et Albanus, ne detrectare videretur, in acie idoneo loco structa constitit, paratus proelium excipere, si hostes invasissent; inter quos sententiis certatum scribunt, cum Hostratius committendam pugnam censeret, Aurangius pernegaret se fortunae periculum facturum ante quam auxilia Gallorum in castra venissent, quibus magnopere fidit; atque ita reducti milites, levioribus proeliis aliquot locis commissis, in quibus nostri apparuere superiores, et aurangianos villa quadam cum caede ciecerunt. Postridie hostes, quamquam dimicandi cupidi videri voluerant, praemissis ante lucem impedimentis, mane summo castra silentio moverunt: neque id a nostris ante est animadversum, propter locorum ingenium, quo longior conspectus adimebatur, quam ipse Albanus ad explorandum progressus, abire hostes intellexit. Tum praemissis aliquot equitum turmis, quae ipsum fuerant secutae, iussisque morari hostium iter, ipse ad recipiendum exercitum revertitur. Continuoque cum omni equitatu, et expeditis tribus milibus sclopetariorum, reliquis copiis subsequi iussis, ad hostes proficiscitur. Erat eis, ante quam ad locum quo intendebant pervenirent, transeundus fluvius: hunc traiicientes consecuti nostri ita egerunt in fluvium, ut plus duobus milibus eorum interfecerint: et debellatum eo die vel confessione adversariorum fuisset, si omnes nostrorum copiae supervenissent: grave tamen incommodum est illatum; nam praeter occisos claros aliquot viros et captum Loyenium

unum de Belgarum principibus, ipse Hostratius graviter plumbeae glandis ictu vulneratus e proelio elatus est, et putatur ex vulnere periturus. Hanc quidem pugnam, quamquam ad minuendas vires hostium non multum, ad victoriae certe praeiudicium, et existimationem, continendosque in officio populos, non parum profecisse disputant ii qui belli rationes tenent. Pendemus singularum horarum expectatione magni alicuius proelii, in quo de rei publicae salute decernatur. Vale. Viennae ·III· id. novemb. 1568.

9. GRATIANUS THOMICIO.

Quam essem occupatus cum haec scribebam, etiam tacente me, ex litterarum brevitate facile intelliges. Id tu non solum mihi ignosces, sed pro tua humanitate etiam dolebis vicem meam, cui hoc quoque solatium, quod mihi reliquum est, tecum per litteras colloquendi eripitur: et in quo uno tamquam diversorio huius molestissimae operae soleo languens animo requiescere, eo excludor. Eram autem distentissimus qua opera, qua mente, et vehementer sane sollicitus de publica re, quam hic gerimus. Molestum omnino negotium et maximum! Iacenti ac paene moribundae in his locis religioni pro medicina venenum paratur; et quam ruinam fulciri volunt, eam prorsus impellunt his adminiculis, si adminicula haec sunt, et non potius arietes ad ipsum disturbandum culmen acti. Inductus Caesar in eum se locum commisisse videtur, unde vereor ut referendi pedem habeat facultatem. Ipse quidem labitur opinione, et suum hoc consilium utile fore religioni persuasum habet, quo nullum his quadraginta annis susceptum est exitiosius. Hanc opinionem, quam

mente infixam habet, nisi ratio convulserit, in quo omnes cogitationes, omnes Cardinalis curae consumuntur, flammam video: et fax accensa est, ex cuius agitatione quantum incendium excitari potest!

Sed apertius haec et pluribus quam huic epistolae committendum fuit, quae tu tecum habebis, aut cum archiepiscopo Cypri communicabis, praeterea cum nemine, cuius viri egregium erga te studium tibi, mi Thomici, gratulor: et quando Patavii iam es, quod te hortari coram non destiti, fovebis illud, et quibuscumque poteris rebus augebis: capies ex eius viri benivolentia atque usu iucundissimos et uberrimos fructus. Iam quanta in eo sit doctrina, quanta optimarum cognitio et exercitatio rerum, profecto intelligis, qui saepe mecum admirari solitus es in homine veneto, ut tu ais, atque eius dignitatis et amplitudinis viro tantam et tam reconditam philosophiae scientiam. Hoc ego praeterea tibi plane affirmo, has ingenii et industriae laudes, facile superare innocentiam viri et integritatem, quae omnia ita condit humanitas, ita ornat domesticus splendor, ut nihil supra. Sed ego ineptus, qui virum omnibus et animi et vitae ornamentis clarissimum laudare instituerim. Tu certe non ex ipsius solum, sed etiam ex doctissimorum hominum, quorum frequentia eius quotidie celebratur domus, sermonibus et consuetudine, magnum usum et utilitatem capies. Quae tecum ipse de me cum mea laude locutus est, fecit ex veteri sua erga me benivolentia, et fortasse dare etiam aliquid auribus tuis voluit, quod ipsum est mihi gratissimum.

Sed ego fui longior, quam mihi meum tempus concedit, et quam fore me putabam cum scribere coepi, et te video adhuc expectare res belgicas. Accipe igitur

brevissime. Mosam Aurangius repetebat, sive provincia cedens compulsus inopia pecuniae et commeatus, sive ut Gallorum auxiliis occurrat, quorum auctus viribus bellum instauret: nam neutrum pro comperto scribunt. Hoc quidem omnium litterae confirmant, ipsum affici summis rerum difficultatibus, et quod cum ipsius, tum suorum spes et opinionem valde fefellit, nusquam recipi; qui simul ac armatum se ostendisset, et intra Regis fines castra habuisset, magnos motus totis Belgis, magnas ab Hispanis defectiones futuras rebantur. Nunc omnibus locis exclusum, omni auctoritate amissa, ipsum deiecisse animum: Igitur spem aliorum defectionis secuta est magna eius animi defectio; itaque friget eius fama iam, aut plane refrixit. Boni rursus in expectationem victoriae erecti, eo magis quod recipienti se ad Mosam ita institisse Albanum scribunt, ut quingentos equites, peditum maiorem numerum amiserit. Si Gallis adiunctis penetrare denuo in provinciam conabitur, spes est posse ex occasione in itinere opprimi: nostri quidem et ducibus et numero et genere militum, et, quod caput est, causa sunt superiores. Haec de Belgis.

Ad tuas litteras, quae eodem die datas tribus epistolis accepi, tempus nunc quidem rescribendi non habeo. Hoc tamen scito, fuisse mihi iucundissimas, maxime quas scripsisti postea quam cum archiepiscopo fueras locutus. Quid enim potuit amantius? O mi Thomici, cur nobis nostro arbitratu, nostro amore frui non licet? De domestico familiae nostrae incommodo, quo ego sane excrucior, scribam tibi quid sentiam cum erit plus otii, nunc enim neque animi neque temporis satis habeo. Pendasio velim dicas, quod ipsum de te semper rogem, ut mihi ignoscat; non enim

possum praetermittere ad illum scribens, quin te ei commendem: quod si aegre feret, ego quoque illi ignoscam, cum quam te amet sua sponte me non praetereat: tu vero affixus illi fac ut sis. Fabio fratri meo mandavi ut secundum archiepiscopum te maxime colat, domum ventitet, obsequio et quotidiana assiduitate absentis mei studio respondeat. Tu habito cum in tuis. Nunquid aliud? Etiam. Podoschium Regis tui legatum, amplum et praestantem virum et mei peramantem, totum reddidi tuum. Sed heus tu! videsne procedere alteram paginam? Valebis igitur.

Nondum obsignata hac epistola, rediit a Caesare Cardinalis, quocum duas paene horas fuit: egit magna contentione. Quid multa? Rem obtinuit: sic enim ab eo discessit, ut totum hoc consilium concedendae suis augustanae confessionis Caesar abiecerit, inque Pontificis romani auctoritate futurum se promiserit; cuius rei emanato iam rumore mirifice lactantur omnes boni. Tu, quod nos facimus, id totum Deo acceptum referto. Qui nuntium huiusce rei perferat Pontifici, certum hominem dispositis equis Romam celeriter mittimus. Itaque plura ad te non possum. Tu huius lactissimi nuncii archiepiscopum, Pondasium, et ceteros amicos quam primum participes habeto. Vale. Viennae ·XIV· cal. decembris 1568.

IO. GRATIANUS THOMICIO.

Si mihi esset otium, aut nisi essem assidue in negotio, non solum nullam partem tuarum litterarum praetermitterem ad quam accurate non rescriberem, sed multis te rebus ad scribendum ultro lacesserem; neque enim libentius quicquam facio. Verum plerum-

que premor angustia temporis, quod etsi non ignorari abs te intelligo, tamen hac utor saepe excusatione, cum ut in litteris raptim scriptis maiorem diligentiam ne requiras, tum quod laboris mei molestias perscribens tibi, levari quodammodo videor. At mihi, mi Thomici, scito in summa voluptate quam ex plenissimis amore, benivolentia, fide, suavitate, litteris tuis cepi, magnum dolorem attulisse quod de patre nuper ad me scripsisti. Ego vero, quod quaeris, plane censeo, ut te indices patri, et totius facti et consilii tui rationem aperias. Nisi esses eius litteris admonitus, liceret fortasse tibi silentio rem dissimulare: nunc vero neque licet, neque omnino expedit. Equidem mihi persuadere non possum aegre laturum patrem, ecclesiae tibi auctoritatem et fuisse et futuram antiquissimam, et pluris quam ipsius etiam patris. Sic enim admonemur divino praecepto, obedire nos oportere Deo magis quam hominibus; et ita observandos et colendos nobis esse parentes, ut eorum causa nihil ab ecclesia id est a Dei iussis recedamus. Qui enim, inquit Dominus, amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Itaque omni adhibito verborum honore, ea modestia qua ornare omnia et dicta tua et facta soles, perscribe audacter patri, te in catholica esse ecclesia, atque in ea in qua et pro qua tot sanctissimi et Deo dilecti viri mortem oppetierint, inque ea quam maiores tui viri clarissimi augustissime semper coluerint.

Esse enim (contra quam hi nostri evangelii doctores docent) ecclesiam Dei, ac non solum esse, sed notam quoque, et urbi supra montem positae comparatam esse. Cum enim praeceperit nobis divina vox, ut in ecclesiae potestate et eius imperio audientes simus, qui id fieri a nobis posset, si eam ignoraremus? Esse igitur, et

quidem ita esse, ut perpetuo futura sit, ut caelesti vi et potestate regatur, ut portae inferi non sint praevaliturae adversus eam. Hanc autem esse unam, quia vera; et a falsis facile dignosci posse, si quis non ex praeiudicata quadam opinione de iis, qui eius partes administrant, sed ipsam ex ipsius proprietatibus et natura consideret. Quarum prima illa est, quod non ab ullo homine, sed ab ipso Deo originem ducit, et ab apostolis perpetua successionum serie ad nostrum tempus continuata sit. Deinde ecclesiae doctrinam, ut ab ipsis olim tradita fuit apostolis, ita servatam esse; non temporibus, non re ulla variatam: atque hunc uniusmodi et perpetuum fidei tenorem proprium esse catholicae ecclesiae; et hoc maxime privatos quorumdam coetus ab ecclesia dissidere. Patere cunctis innumerabiles de maximis rebus controversias, quibus inter se concertant, qui suum sensum pluris quam ecclesiae universae consensum superbe faciunt. Nec id mirum; permissa enim unicuique licentia interpretandi pro libidine sacras litteras, et laxatis ecclesiae habenis, quibus reguntur nostrae mentes, ne de recta rationis via deflectant, tum unicuiusque sensus tamquam effrenatus equus rapiatur praeceps necesse est; et de Deo, de religione sententiae tam multae sint, quam sint varia et multiplicia hominum ingenia. Quod accidere quotidie videmus, dum alios libido, alios avaritia, alios vindictae cupido stimulat; alios ambitio rapit, ut novae alicūius sectae auctores ferantur, aut ad immoderatam potentiam collectis vulgi studiis aspirent, ita deteriora quotidie excogitare.

Iam geminas illas rei publicae furias Lutherum a Calvino, tamquam tetram a teterrima belua dilaniatum ac paene consumptum esse. Ab his ortos Tri-

nitarios maius atque immanius monstrum utrisque imminere. Hos in ipsam Dei naturam notionemque invadere non dubitasse: quos quidem a Calvini fontibus profluxisse, nec ipsi quidem Calviniani inficiantur, qui in libro quem contra Gregorium quendam huius sceleris principem scripserunt, hoc eis iracunde exprobrarunt: nisi vitula nostra arassetis, non invenissetis. Hac nefaria licentia nihil iam esse in christiana fide, quod non in dubium vocatum sit, neque finem huius mali ullum videri: ut enim prohiberi non possunt aquae, ne in imum quemque locum emissae defluant; ita hominum audaciam nihil intactum relicturam, et in profundum impietatis torrentis instar ruituram esse, nisi ecclesiae auctoritate, tamquam aggere et munitione, coërceatur. Hanc esse columnam et firmamentum veritatis: huic adesse semper divinum numen: hanc qui non audiunt, totam ignorare salutis viam: ea qui non continentur, illa spe excludi qua aeternae et beatae vitae fruendae alimur et sustentamur. Quocirca miserabiles tibi videri, qui posthabita ecclesiae auctoritate vagantur semper in tenebris, et proprii sensus fluctibus assidue iactantur sic ut neque portum ullum videre, neque omnino quo nando exeant constitutum habere possint: atque ita aut Lutheri saxis, aut Calvini scopulis adhaereant, quibus demum illisi miseri pereant.

Te, cum diu Argentinae, diutius Tubingae fueris, cum Lutheranis cum Calvinianis hominibus, ut loci et temporis ratio ferebat, familiarissimi versatum, permulta, illa etiam puerili aetate, animadvertisse in illorum disciplina, quibus magnopere ab eorum communione et societate fueris deterritus. Illi enim cum assidue verbum Dei, et sacrarum litterarum auctoritatem iac-

tent, si quis diligentius rem expendat, id illis esse verbum Dei, quod aut Calvinus, aut Lutherus, aut Zuinglius, aut horum similes hominum quisquiliae suis effutierint, intelliget. Ab his sacra ipsa volumina conversa e graecis latina quotannis edi, immutari, depravari, ad suam a quoque sententiam accommodari. Quae ecclesia, sanctissimis viris interpretibus, summa et doctrina et fide reddita accepit, et nobis tradidit, ea tamquam nimis antiqua reiici. Et cum veteres illi patres (qua sapientia! qua sanctitate homines!) ex tam diversis et tam longinquis terrarum orbis locis, divinae doctrinae mysteria mandantes litteris, nunquam in fidei et morum disciplina discreparint; hos praeclaros evangelii doctores in eadem civitate, contraria et dissidentia quotidie concionibus proferre. Calvini ab Oecolampadio, huius a Luthero, illius ab utroque, scripta de summis rebus dissentire. Denique illud omnibus provinciis usu evenisse, quaecumque horum horum hominum partes factionesque sunt secutae, ut nulla ab iis neque externi belli, neque domesticarum discordiarum calamitas abfuerit.

His te atque multis aliis gravissimis de causis, quae unica epistola comprehendi non possunt, tecum feliciter actum existimare, quod in tanta temporum tempestate, tantis dissidentium opinionum procellis, quibus diversae aguntur hominum mentes, receperis te in ecclesiae navim, atque in illam Noae arcam, cuius figura et similitudine ecclesia nobis tanto ante designata et demonstrata est; extra quam qui deprehensi sunt, errorum undis omnes obruuntur. Id autem abs te non temere, neque inconsulte factum, sed postea quam diligentissime summaque religione et contentione animi, te ipsum et tuam adolescentiam Deo com-

mendaveris, atque omnibus precibus obtestatus fueris, ut quam salutis viam ingredereris, tibi monstraret, non hominum consilio sed plane divino monitu fecisse, inque huius tete sinum tamquam sanctissimae parentis totum reiecisse; in hac summam invenisse pacem, summam tranquillitatem, eundem cultum in Deum, eundem omnium sensum. Et ut multa a multis quotidie et scribantur et doceantur, tamen omnia ad unius auctoritatem ecclesiae referri; cui cum pollicitus sit Dominus, se eam non deserturum usque ad consummationem saeculi, quem locum dubitandi reliuqui, quin ecclesiae iussa cum Dei praeceptis et voluntate consentiant? Itaque hac tamquam certa fidei regula nostros animos ad caelestem dirigi sedem, in qua cum clarissimo illo et felicissimo beatarum mentium coetu aeterna beatitudine perfruantur.

Hic patrem appella: tuum obsequium, tuam fidem, tuam observantiam, denique illum tuum singularem amorem ac pietatem qua utrumque parentem (ipse tibi sum testis) colis, nec defuisse illi unquam, nec defuturam: eius te imperio, eius nutui subiectum semper fore: spem tibi in Deo esse, ut qua clementia aditum tibi in suam ecclesiam aperuit, eadem placaratum et benignum tibi redditurus sit patrem, qualem hactenus expertus es. Postremo illum obtestare, ut sine illius offensione manere sibi in ecclesiae fide liceat, in qua tuas preces, tua vota pro eius salute auditurus aliquando sit Deus. Quod si tibi irasci proterea voluerit, non te recusaturum quominus quae libuerit de te supplicia sumat: eaque tibi iucunda, quod fidei et religionis causa; acerba fore hoc uno, quod ab carissimo tibi patre perferes. Sed vide, amabo, quo me provexerit amor. Ignoscito mihi; vix enim ad te

scribens moderari sermoni possum, quod fere tecum tamquam cum praesente loquor. Itaque ne illud quidem praetermittam, de quo coram cum utroque vestrum egi, ut memineris aliquid operae augustiniano illi theologo amico tuo impartiri, quo te compares ad illud tempus, cum in patriam a qua puer discessisti, iuvenis redieris. Ubi non te fugit, quae turbae sint hominum ab ecclesia alienissimorum, et quidem tui etiam ordinis, a quibus continuo tua petetur fides. Quorum ut multitudinem facile reiicias, agent certe tecum proximi quique, orabunt, suadebunt, ipse pater etiam suo iure contendet: quibus tu quomodo resistas ante tibi providendi est (1). At vero cave te his angas; et mihi crede, ipse te Deus ex mediis hisce difficultatibus pignerabitur. Non te pater a catholica fide deterrebit, sed patrem tu in gratiam cum catholica ecclesia reduces. Et profecto cum te intueor, tuam probitatem, religionem, totius vitae innocentiam considero, in prope certam spem venio, tibi hanc palmam a Deo reservari. Ego certe si illum diem videro, satis me vixisse putabo.

De Amaltheo, probo; nam bonum, et doctum adolescentem esse mihi dixit Pendasius cum essem Patavii. Videbis etiam de Gallo, nam magni refert: poteris per Pendasium, cuius Pinellus (2) est amicissimus, et

(1) Commode igitur Augustinus Valerius Cardinalis scripsit libellum, editum postea inter epistolas Cardinalis Quirini, cuius hic est titulus: *quatenus cum iis qui a sanctae matris Ecclesiae gremio recesserunt sit versandum; sive de vitae ratione inter haereticos recte instituenda, ad Nicolaum Thomicium polonum.* Eum ego libellum, quod doleo, nondum conspexi; sed ibi magnopere commendatam fuisse Thomicii virtutem, testis mihi est Lagomarsinius in adnot. ad Pogiani epistolas T. IV. p. 377.

(2) Vincentius Pinellus vir doctissimus, qui tunc Patavii bi-

huic debet Gallus maxime. Res, de qua missi huc eramus, quem finem habuerit, scripsi tibi eodem die quo perfecta est. Bonis eo accidit gratior, quo minus spei ostendebatur. Equidem eo progressam videbam, ut plane coeperam desperare! Sed respexit rem publicam Deus: maior enim res in motu erat, quam quanta videbatur. Eram plura scripturus, sed ecce tibi Franciscus magnum litterarum fasciculum ex Italia allatum et redditum Cardinali mihi significat. Videbo si quid abs te, deinde pergam si quid erit reliquum. Interea vale. Viennae ·VII· cal. decemb. 1568.

Mi Thomici, quem accepi nuncium? Pogianum nostrum diem suum obisse. Nihil mihi scito neque minus expectatum neque magis acerbum accidere potuisse: plane sum dolore ita conturbatus, vix ut mei sim compos. Hei mihi; in florenti aetate, in medio cursu gloriae, ereptus es nobis Pogiane! Quanta Thomicio meo facultas excolendi ad veram eloquentiae laudem praestantis ingenii adempta! quantum in te lumen omnis liberalis doctrinae extinctum est! Heu nos miseros, quid sumus? quae nostrae spes? Expectanti mihi quotidie, ut scribendis pontificiis litteris in Florebelli locum succederet, atque eius rei animo iam gaudium praecipienti, mortuus reperte affertur. Quantus ad eam gloriam ad quam eniteris tibi dux decessit! Quam ego gravi teste mei amoris erga te privatus sum! Quam vero te ipse diligebat, quem nunquam viderat! Quam favebat ingenio tuo! Quam te sibi dari cupiebat, in quem divitias singularis doctrinae suae omnes effunderet! Non fero, mi Thomici, hunc dolorem. Cur tu non ades, in cuius me amplexum reiicerem, in

bliothecam illam ingentem codicum congerebat, quae postea in mediolanensem ambrosianam migravit.

cuius sinum has lacrimas profunderem, qui meum luctum aut consolando, aut aeque dolendo levares! O Pogiane, ex illa beatorum sede, in quam certe ex hac misera et calamitosa vita commigrasti, respice has lacrimas, et qui meus fuerit in te vivum animus ex dolore mortis tuae cognosce. Mi Thomici, vale: non enim possum plura: ita occupor dolore et lacrimis. Erant adhuc multa, de quibus ad te scriberem, sed fletu intercludor. Tuas litteras expecto. Te oro ut valeas; nam ego concidi hoc nuncio.

II. GRATIANUS THOMICIO.

Pogiani mors me afflixit, sic inquam ut relevari posse non sperem ante quam te videro, et in tuo complexu, sermone, benivolentia, hunc dolorem animi, quem incredibilem sustineo, deposuero, atque lacrimas quas tenere non possum, quotiens mihi illius venit in mentem, omnes simul effudero. Quotiens venit in mentem dico? Cuius mihi ita observatur assidue ante oculos imago, ut ne aberrare quidem animum ab eius cogitatione patiatur. Haeret infixus mente sermo, quem illis ipsis diebus, quibus ego Roma profectus sum, cum in vaticani horti ambulatione, quod fere facere consueveramus, spatiaremur, mecum habuit de morte; cuius initium erat ortum ab ipso discessu meo, cum ille mortis quoddam simulacrum esse degressum ab amicis diceret; in quo accurate admodum de discessu animi a corpore, de contemptione vitae, quam eius brevis usura, quam fluxa conditio; de spe futurae et aeternae felicitatis, quae manet bonos et qui caste innocenterque vixerunt, Christum Deum secuti, nihil ab eius fide et praeceptis declinantes; de pernicie quam christianae

rei publicae intulissent nostri temporis haereses; de vanitate, de lubrica et periculosa illorum tractatione (fuit enim in illo viro cum singulare lumen ingenii, tum mirificum pietatis studium): praeterea quam illa ipsa gloria, ut nostri nominis fama tradatur posteris et monumentis litterarum ab interitu vindicetur, non magni facienda sit, cum eius omnis fructus, quantum ad nos attinet, ipso vitae spatio terminetur: postremo quam christiano homini, spretis humanis rebus, in unam illam beatorum sedem coniiciendi sint oculi, illam spectandam, illo contendendum, illo fide et recte factis iter aperiendum disseruit: inque omni illa disputatione ita diligens, itaque multus praeter eius consuetudinem fuit, ut mihi nunc videatur se ipsum, quasi instans praesagiens fatum, confirmari illa oratione voluisse.

At quae commotio in digressu nostro! quae adhortatio ad parentis huius mei, sic enim libet potius dicere quam domini, vitam custodiendam! quae de ipso laudes! quae praedicationes! Quid multa! Ita me ab se dimisit (nam domi convenceram) quemadmodum si nunquam postea visurus esset. Et quidem postremum eius mandatum fuit, quod mihi nunquam excidet, ut tibi ab se salutem dicerem, quem unice diligi a me probe norat. Haec tum ego tantum amoris significationem putavi, quae nunc caelesti quadam mente percitus vicinum vitae occasum praesentiens dixisse mihi divinus vir videtur. Qualem ego, Thomici, in hoc viro amicum amisi! In eius mihi amicitia ornamentum, consuetudine fructus, coniunctione praesidium fuit. Eumne in ipso flore aetatis repentina vi morbi absumtum in tanto gloriae cursu? Sed quid ego? Non resisto huic dolori; ita enim insedit, ut tempus ipsum,

quod mollire omnes acerbitates et abstergere paulatim recordationes solet, quid mihi subsidii allaturum sit nesciam: adhuc quidem nihil proficit non solum minuendo, sed ne mitigando quidem dolore. Mihi illius memoria non perpetuo vigeat? Eius ego morte in luctu non sim? At cuius viri? Omnium, quos aspicit sol, dignissimi; qui quoniam mortis necessitas nobis imposita est, nonnisi exacta aetate moreretur. Mei certe ita amantis, ut ego in illius admiratione virtutum, non admirari singularem eius erga me animum non potuerim.

Quid igitur, inquis, aut tibi aut illi proderit conflictatio tua? Quid? Habet dolor, qui iuste percipitur, executione ipsa officii, quoddam levamen. Me quidem nunc magis quam gemitus, recreat nihil. Tum amicus, tum vir bonus, tam gratus mihi in illum mortuum esse videor, cum lacrimis eum extinctum prosequor. Hoc quoque fero commodi, quod disco haec despicere quae stabilitatem nullam habent. Quid mihi nunc Pogiani morte inopinatius poterat accidere, de illius honore nuntios quotidie expectanti? Cum enim Florebellus episcopus, Pontificis ab epistolis, iam gravis senio ab Urbe in patriam, atque otium secessisset, ei Pontifex Pogianum substituebat. Quem locum si adeptus fuisset, quantum ei muneri gravissimo dignitatis et splendoris sua virtute attulisset! Quanta ex illo loco eius illuxisset laus! At tam praeclaram facultatem singulari illius industriae invidit fortuna, mors praeripuit. Et nos quid spei in vita collocamus? Eius cupiditate duci nos patiemur? In hisce rebus defigimus nostras cogitationes? Quam imbecillitatem nostram ignoramus! quibus interitus quotidie ita imminet propter incertos casus, ut abesse longe propter vitae brevitatem nunquam possit.

Mi Thomici, quis tibi meum ad te reditum praestat? Propone dum tibi animo eundem de me casum; hunc de me nuncium tibi afferri cogita, quo quid facilius, in tanta tenuitate valetudinis evenire potest? Tum ex tuo sensu, qui meus sit de illius acerbo interitu dolor intelliges. At ego etiam eo mirifice crucior, quod tibi illum incommodissime ereptum esse video, in quo tantam spem inchoatae tuae laudis perficiendae collocaveramus: qui quidem te ita diligebat, ut mihi hoc ipso esset eius in me amor multo iucundior. Si eius itineribus, mi Thomici, ipso maxime ducente, ire potuisses, mihi crede, quae tua est ingenii vis, non eodem solum pervenisses, sed si ulterius progredi quisquam hominum potuit, tu esses progressus. Nunc tibi per te conandum atque enitendum erit, quod certe facies; neque ego tibi volenti difficile quicquam puto. Sed tamen Pogiano meo, illo inquam, quem tibi cantare tantopere solebam, carebis. Quos ego, cum tu Romam venisses studiorum, quos consuetudinis, quos domestici usus, fructus mihi cum illo fingebam! O fallaces cogitationes nostras! Sed vale, mi Thomici, neque enim te tam tristi sermone detinere diutius volo. Vale. Viennae, postridie cal. decemb. 1568.

Tuas ·XIII· cal. decembris datas accepi litteras, quibus institutam abs te cum Pendasio, cum Amalthco, cum Gallo studiorum rationem perspexi. Perge, mi Thomici, atque perfice ut laetitia tuae laudis desiderium nostrum quam maxime leniatur.

12. GRATIANUS THOMICIO.

Me adhuc nihil praeter maerorem ipsum, cui me dedidi, et quamdam spem nondum tamen satis expli-

catam tui brevi videndi iuvat; animum ab illius cogitatione abducere non possum, in quo si tibi, fractior aut intemperantior videbor, erit humanitatis tuae mihi ignoscere. Multum enim amabam, nec amabar minus, et scio quantum virum. Sed non committam, ut te diutius meis questibus molestum habeam: deploratum sit, quod deplorari satis nunquam potest. Epistola tua qua te in Asulanum ad Renaldum cogitare significas, magnopere meum desiderium, quo utriusque vestrum incredibilem in modum afficior, refricavit; atque ita emersit amor, ut alas cupiverim ad evolandum. Me quidem certe, si capere nunc delectationem ullam possem, illius maxime loci recordatio delectaret. Atque utinam nobis illucescat aliquando ille dies, cum rediens ego vos ab ipso villae ingressu desilientes gradibus, et ferentes obviam amplexus conspiciam! Sed quando id erit? Alia enim impendent. Interea me vel in hac frequentia et celebritate hominum totum abstrudam in solitudinem, qua profecto mihi secundum te nihil est hoc tempore amicius.

Quod scribis pueros nobis a patre tuo cum litteris venturos, eos expectabo, et ad litteras ita rescribam quemadmodum te maxime velle intelligo. Tu quid ei responderis, de quo te interpellavit, aveo scire. Quamquam hos quidem pueros ego venturos non arbitror; aut si venerint, quam recipiendi sint nescio: magna enim pestilentia dicitur esse in Polonia, praesertim maiori, atque adeo circum ea loca ubi habitat pater: et Silesia quoque, qua pueris iter futurum erit, valde infesta eadem est lue. Sed et patrem credibile est diligentissime curare, ne qua pestis contagio suam ditionem attingat, et pueros, si venient, iter caute facturos. At aliud pestilentia ipsa multo gravius multoque

pestilentius malum, Poloniam nostram, mi Thomici, invasit; quod quale sit, si coram essemus, aperirem tibi, et tecum perversitatem cum temporum, tum quorumdam hominum conquererer. Huic epistolae committere non est consilium, praesertim vulgo datae. Tantum habeto, ingens parturiri monstrum, quod si edetur aliquando, Ἰλιὰς magna malorum. Si ad unum modo sermonem tuarum mihi aurium facultas esset, incredibilia intelligeres; tu tamen hoc ipsum retice.

Cum Podoschio Regis legato saepe de te sum locutus; item cum aliis. Es mi, Thomici, in summa omnium expectatione. Quare etsi supervacaneum sit te sponte tua currentem hortari, tamen quia me quaedam tenet propter singularem amorem infinita in te cupiditas gloriae, hortor ut quoniam in istis studiis optimarum disciplinarum tanta spe, tanta ingenii fama versaris, ut nihil a te vulgare, nihil quotidianum expectetur, sed summa et singularia omnia. Fac cogites assidue quo pacto in omnibus rebus tantis hominum opinionibus, tantis de te indiciis, respondeas. A Cardinali warmiensi (1) nuper accepimus litteras, in quibus erat de te honorifica, et plena amoris mentio, coniuncta tamen cum illa querela de patris tui, quocum ei multa et pervetus benivolentia intercedit, abducto potius quam averso ab ecclesia animo. Qui quidem Cardinalis, si pestis ex Polonia abierit, Lublinum ad regni conventum cogitabat: ubi utinam ei faciat sui copiam pater! cum doctrina et sermonibus, tum admirabili illius viri sanctitate permoveri poterit, ut aut ecclesiae reconcilietur, aut sese prorsus det in perditorum cau-

(1) Stanislao Hosio, qui tunc erat catholicae religionis in Polonia fulcrum, et romanae purpurae lumen, cuius res gestae litterarum monumentis commendatae sunt.

sam, et tibi opportunior ad sanandum eius animum postea tradatur. Quod ego sperare nunquam desinam cum propter ipsius eximiam prudentiam, tum propter eorum vanitatem, a quibus ille abduci se passus est; qui cupiditatem hominibus novitate rerum iniicientes quasi verborum quibusdam praestigiis in errorem inducunt; quorum licentia mirum quanta in Poloniam religionum confusio illata sit, quae tamen ipsa permultos ad ecclesiam concordiae matrem et magistram convertit.

Proxime Cracoviae concilium haereticorum theologorum Miscovius Palatinus habuit, homo ut scis Calvini cultor, in quo conatus est omnes coniungere in unam aliquam de tota religione sententiam. Acta res est plures dies summo et Palatini studio, et illorum contentione. Demum non opinionibus magis quam odiis dissidentes discesserunt: tantum abest ut de re, quae maxime consensione nititur, convenire potuerint! Huic concilio atque horum concertationibus Palatini vicarius interfuit, homo et ipse calvinianus, sed qui Palatini potius quam suo staret iudicio. Is accensum sermonem medium abrumpens, consessu exsurgit, et indignabundus ad Papistas, inquit, abeo. (hoc enim ab iis nomen Catholicis inditum est) apud quos consentiens est de religione sententia; vos Deus perdat, qui vestra ambitione et pertinacia unam Christi fidem confunditis, et nefarie discerpitis: tu videris, Palatine, qui nebulonibus istis fidem habes. Atque haec dicens, e concilio sese fremens proripuit. Quod factum ubi rescitum, risu et approbatione celebratum est. Ad eas disputationes Dudithius fuit adhibitus, quibus prorsus narrant a Calvinianis alienatum esse. Cracoviae tribus locis in privatorum aedibus, trium diversarum disci-

plinarum haereticos docere sua quosque δόγματα, Calvinianos, Trinitarios, Anabaptistas. Lutheranae familiae doctorem nullum esse; eam desertam iam obsolevisse: maximum numerum esse Trinitariorum, quorum est doctrina proxima impietati illi, inquam, summae. Hac labe valde conspersam esse nobilitatem, plebem catholicam fidem colere, neque a maiorum institutis discedere.

Sed tu mirabere unde mihi otium ad haec scribenda. Mihi vero vacui temporis nihil conceditur; sed si quid conceditur, aut potius quicquid eripere assiduitati meae operae possum, id totum consumo tecum, et te res polonicas minimas quoque scire velle intelligo. De Radzwillo tuo fama sane praeclara: in catholica religione mirifice constans sic, ut omnibus artibus cum a gentilibus suis summis viris, tum a paternis amicis oppugnatus, deiici de suscepta sententia manendi in ecclesia Dei non potuerit. Sororem is Buczaczchio, illius Buczaczchii fratri, qui proxime Patavii fuit, despondit, catholico iuveni, ut audio, et cum praecipuae in Russia nobilitatis, tum magnis copiis praedito. Lublini si pestis discesserit frequentissimum senatum futurum scribunt. Rex eo Warsovia profectus erat: divertet tamen paulum de via, quod sibi Lithuanos principes in itinere occurrere iussit. De Mosco silentium est. In Borussia triginta magnas naves apud Dantiscum aedificari Rex imperavit, quibus Baltici maris oram tueatur: has naves deductas iam esse et instructas ferunt, atque omnibus Iohannem Kostkam Dantisci castellanum praefectum esse, et ei datum maxime negotium curandi ut ex maritimis Saxoniae civitatibus arma et bellica tormenta in Livoniam atque iude in Moscoviam ad hostes non importentur, quod

frequenter fieri a Saxonibus ductis spe uberrimi quaestus consuevit. Classe ante hoc tempus Poloni nunquam usi sunt, cuius conficiendae auctor fertur ipse praefectus, egregiae vir industriae, et magnae virtutis; atque valde hoc eius consilium utile regno Poloniae futurum putatur; ad multa enim pertinet. De Polonia satis.

De Galliis nunc omnis expectatio est, quo totius belli impetus conversus videtur. Nam Aurangius, contra quam sibi ac suis persuaserat, nusquam receptus a Belgis, et undique ab Albano actus, ad Condeium iter habere dicitur, ut coniunctis consceleratorum manibus impium bellum utrique Regi, communi consilio, inferant. Sed eius magnopere extenuatum esse exercitum narrant, parte suorum aut domum dilapsa, aut variis proeliis consumpta. Decedens minacia et speciosa in singulis paene oppidis Belgarum edicta affigi curavit. Patriam se Hispanorum tyrannide oppressam, si per eos licuisset liberaturum advenisse, summis suis laboribus amicorum opibus comparatum exercitum non finibus modo admovisse, sed in interiorem provinciam induxisse; neminem eorum memorem libertatis fuisse: itaque brevi se maioribus copiis rediturum, nec patriam illam, sed hostium terram ducturum, ferro atque igni vastatum iri omnia. Irrisa haec sunt. Sed cum Condeio coniungi, ancipitem curam facit. Quod tu genus calamitatis abfuturum a Galliis censes? Quid illic Anglos, quid Belgas Aurangium secutos, quid Saxones totamque illam colluviem perditorum hominum sceleris praetermissuram putas? Quid in sacerdotes, si quos deprehenderint, effecturos? Quas caedes, Deus bone, quae exempla! Profecto, mi Thomici, in misera tempora et difficillima incidimus.

Hic rumor est ex litteris Spira allatis, Wolfangum Palatinum illum nimburgensem cum mille quingentis equitibus ad Condeium euntem profligatum esse ab Umalio, strenuo Gallorum duce, quem etiam scribunt egressum Galliae finibus cum tribus milibus equitum et viginti cohortibus, Bipontem Wolfangi oppidum in Germania obsidere; et sunt qui putent progressurum, et in ipsius Palatini provinciam impetum facturum, ut intelligant Germani, Regem vires non solum ad propulsandum, sed etiam ad inferendum bellum habere. Quod quidem de Umalio subiti atque expediti consilii duce credi facile potest, vel si violari propterea pax quae Gallis universe est cum Germanis atque Imperio deberet. Vale ·V· idus decembris 1568. Viennae.

LIBER VIII.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Me vero nihil fefellit, qui irritatos vulneribus iuvenes nunquam quieturos, et quo dissimulantius agebant, eo vobis observandos et cavendos esse diligentius, praedicebam. Nos quidem dici non potest quam commoti simus tuam epistolam legentes, in qua primum erat de cura et sollicitudine, qua te perturbatum narrabas, vix ut quid scriberes intelligeres. An me hoc initium putas non pupugisse? Deinde de Piotrowschii reditu. Hic ego suspicatus, id quod res erat, reliqua magno animi timore legi, ne quid tibi aut tuis adversi accidisset. Hinc de pacis simulatione qua Belgae usi essent, post de impetu ab iis in Polonos facto, et de Polonorum virtute, qui pauci plures non sustinuerunt modo, sed etiam illatis vulneribus repule-

runt. Et haec quidem grata virtus, nisi caedes Belgae intervenisset, quae profecto me perstrinxit, cum illius misericordia qui cecidit, tum eorum causa qui patrarunt, qui se gravissimi delicti culpa obstrinxerunt. Postremo insanum Adami facinus (quid enim audacter eum fecisse dicam?) qui veritus non sit ministris et satellitibus publicae potestatis manus afferre, et quidem unus tam multis. Ego hominis audaciam paene magis admiror, quam eius facti successu laetor. Grave crimen; itaque aliquo amandandus est, dum videatur ista quorsum evadant.

Vide modo: quid si cum illis quatuor tum fuisses? quod ego profecto vel potuisse fieri horreo. Per Deum, hac me sollicitudine libera, et te nunc a turbis istis protinus subtrahe. Antiquissima cura sit salutis, proxima studiorum, quorum hanc iacturam, quam facere in nationis tuae tempestate necesse habes, in Asulano cum suavissimo et humanissimo Renaldo nostro facile resarcies industria et diligentia tua; quo nisi cogitare te propediem significasses, equidem angerer animo, neque possem quiescere, donec te in aliquem locum periculo vacuum secessisse intelligerem. Nunc expecto hac spe tuas litteras, quae ad ·XIIII· calendas ianuarii afferentur. De pace, cum caedes intercesserit, video difficilem esse rationem; et manentibus inimicitiis nullum invenio consilium, quod probem: nam quidvis potius, quam ut Patavii sis cum periculo; et ut absis diu, aut te alio conferas, et Pendasium et tantas praeterea opportunitates relinquas, adduci non possum ut feram. Quamquam spem facit archiepiscopi aptissima persona, qui se tua causa in istam pacificationem interposuit; eius enim et magna prudentia est, et singularis auctoritas, et com-

modissime praetori ipsi sanguine coniunctus. Expectabimus si quid ipse efficiet. Tu te interea in Asulano cum libellis tuis, et pacem per litteras urgebis: nihil enim interpellatione hac tuo tempori importunius.

A patre nihil dum litterarum: pestilentia iter clausum esse arbitror; quam tamen extinctum iri hac vi frigoris in spe sumus. Quod si tibi propterea pecunia in sumptum non mittitur, sume de Cauco (1) quantum opus erit, illi enim scripsimus ut tibi suppeditet. Curabis autem ut non solum tibi nihil desit, sed etiam ne Conieczpolscii contubernales tui indigeant, si forte eadem ipsi difficultate afficiuntur, quos velim meo nomine iubeas salvere. Et ne multis, cave putes quicquam te nobis gratius facere posse, quam si te nostra omnia, maxime tua ducere intelligamus. Quod in extrema epistola scribis de archiepiscopo, id est huiusmodi ut non tam ego monendus abs te fuerim (etenim ne ipsi quidem cupiditati concedo qui te rogavit, cuius tamen tu retices nomen) quam ipse amandus a me es, qui mihi tam diligenter et tam studiose scripseris. Atque utinam huius voti compotes efficeremur! quod mihi esset mille nominibus gratissimum; esset hoc ipso gratius, quod de eo tu tanto studio laborasses. Vale. Viennae ·XVII· cal. ian. 1568.

2. GRATIANUS POMORSCHIO S. D.

Ego vero, mi Pomorschi, quod scripsi nuper Nicolao, nihil explico consilii; ita omnes nostras rationes importunae istae inimicitiae perturbarunt: quo magis affligor dolore, paucorum temeritate nos impediri, et illius studia saepe interrupta; aliquando, ut mihi

(1) Erat hic Cardinalis Commendoni ex sorore nepos.

ipse scripserat, constituta, denuo interpellari. Patavii vos esse sine gravi periculo non video posse, cui certo Nicolaus non est committendus; neque quo vos potissimum transferatis, locum ullum eius studiis aptum invenio, et si maxime invenirem, tamen relinquendum Pendasium, et sexcentas praeterea, quae Patavii sunt opportunitates, non censerem. Quid igitur, inquis, suades? Quidvis potius quam ut Pendasium deseratis; in huius enim summa doctrina, et mirifico in Nicolaum animo, omnem spem illius erudiendi repositam habeo. Cardinalis quidem, ut ex litteris quas Nicolao scripsi, intelliges, in Asulano vos reditum suum expectare iubet. Ille est locus omni periculo vacuus, et ipsa solitudine et salubritate aptissimus studiis: amant enim recessum litterae, in quibus sine ulla interpellatione Nicolao arbitratu suo abdere se licebit, atque eodem tempore valetudini operam dare.

Interea aut pacabuntur res Patavii, quod illorum quatuor discessu fortasse fiet, adnitente maxime archiepiscopo et novo praefecto urbis, ceterisque Cardinalis amicis; aut quid aliud, cum nos redierimus, consilii de Cardinalis sententia capiemus. Nihil potuit nobis accidere incommodius; itaque irascor etiam strenuis istis vestris. Ecquid (malum!) illos in Poloniam non compulistis? Quod certe nisi feceritis, quod ante monere non destiti, etiam praedico vobis, quocumque se conferant in Italia, periculo non carebunt; ubique illis insidiae, et vis parabitur. Hac enim caede plane incitati sunt Belgae, nec eam inultam unquam ferent. Extrudite homines; neque Tarvisii, neque circum ista loca labitare tuto possunt. Sed illud teneto maxime, ut ubicumque illi sint, eo tu Nicolaum ire ne permittas: satis enim participem cum harum inimicitiarum fecit

Adami audacia. Quod si etiam cum illis videretur, omnis ira Belgarum, omnis impetus in ipsum converteretur, ipsum unum maxime peterent, qui insignem fore suam vindictam in adolescente cum praecipua nobilitate, tum excellenti gratia clarissimo, existimarent. Sed haec omnia uberius scripsi Nicolao. Et quid praeterea de Conieczpolsciis consilii attulerim, cognosces de illius litteris. Vale. Viennae ·X· cal. ian. 1568.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Petrum Scargam canonicum leopoliensem cum Romam iens, Viennam ex Polonia venisset, plures dies apud nos habuimus, spe maturioris discessus nostri, ut una veniret nobiscum. Sed hunc discessum differri quotidie cum intelligeret, expectare noluit, quod ineuntibus ieiuniis Romae esse vult, quo non alia quam religionis causa profectus est ex usque Russia. Quare hominis piam cupiditatem remorari diutius non placuit: ita tamen dimisimus, ut ad te salutatum divertat, quod facturum non dubito; recepit enim, neque est devium, et te videre incensus fama praestantis ingenii et virtutis tuae, magnopere cupit. Cum Sacilum venerit, qua illi rectum est iter, paulum de via decedet ad Altanum comitem, ad quem litteras a nobis afferet: inde eum ad vos in Asulanum qui ducat, Altanus dabit. Hic est Scarga, qui me superioribus annis in Russia gravissimo ac paene desperato morbo affectum, et cum ipsa morte luctantem, et visere saepissime, et consolari solebat, vir innocentiae et probitatis singularis, quod facile ex ipso vultu hominis et sermone intelliges: quo minus necesse habeo abs te petere, ut optimum et religiosissimum virum, et studio

tui flagrantem, humanitate et benivolentia tua complectaris. Retine aliquot tecum dies: eius te et consuetudo delectabit, et res polonicas cognosces ab eo omnes; est enim inde recens. Vale, nam de ceteris rebus dabo publicis tabellariis litteras, quae fortasse hanc epistolam antecedent. Quae hic frigora nos experti simus, ipse tibi Scarga probe narrabit, sentiet enim ante quam in Italiam veniat. Vale ·VII· cal. ian. 1568.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Cum diu tuas litteras desiderassem, accepi tandem uberrimas et amoris plenas, quas Tarvisio ipso Christi natali die dedisti. Video te diligentissime omnia collegisse ad minuendum dolorem meum, quem ex viri omnium praestantissimi mihique amicissimi nostri cepi. Atque effecisti tu quidem quod cupiebas, ut me consolareris, sed, mihi crede, non tam iis rationibus, quae sunt a te accurate conquisitae, quam ipsa voluntate et studio tuo. Equidem mihi non desum, et eas recordationes quae acres quosdam doloris morsus habent, quoad possum refugio. Verum magna vis est amoris. Cum me ex dolore ac tristitia exemi, et ad constantiam, et ad illa de quibus me tuae litterae monent, revocavi animum, tum denuo peccare hoc faciens mihi videor, et nescio quomodo moerore ipso magis delector: nihil tamen gratius tuis litteris, nihil salutarius. Quare te rogo, ut scribere non intermittas; hoc enim ipso mirifice levas dolorem meum, quod de eo levando tantopere laboras. O mi Thomici, quae unquam aetas referet talem virum? Ac tu, quod me penitus angit, hoc amisso, ad quem te conferes? Sed ecce tibi subito se lacrimae profuderunt. Hactenus igitur.

Discessus nostri dies dicta erat ad ·XIII· cal. februarii, quo tempore Caesar Possonium ad habendum Hungariae concilium cogitabat. Sed profectio dilata fuit ad tempus incertum propter nunciatos ex Hungaria nescio quos principum motus, quorum nobilissimi quidam ad Transilvaniae Regulum transfugisse dicuntur. Nobis quid futurum sit nescio. Tu tamen hoc scito, nihil esse quod magis verear, quam ne ab hac spe, quam tenere videmur, repente in novum aliquem rerum oceanum reiiciamur. Paratum video nimbum, a quo hunc reflatum timeam : quocumque feremur, danda nimirum vela erunt. Adhuc quidem nos tenuit hic opinione nostra diutius, quod Pontifex huius urbis templa, sacraria, resque omnes sacras Cardinalem invisere atque inspicere voluit : quem etiam corrigendis sacerdotum moribus, et veteri disciplinae restituendae totâ Germaniâ ita praefecit, ut imperium in ipsos etiam episcopos dederit. Obire ipsum provincias, quae quidem illi videbantur, iussit, lustrare omnes ecclesias, singularum vitia, depravatasque consuetudines, quae irrepserunt, subiicere oculis, emendare, corrigere ; revocare pristinos res sacras tractandi ritus; in civitatibus seminaria puerorum, qui ad ecclesiasticum usum erudiantur, instituere ; in monasteriis quos abbates, aut monachos inquinatae vitae aut sui muneris negligentes esse compererit, potestate abrogare, novos substituere, alios aliis poenis coërcere ; dare denique operam ut et antiquentur ea, quae paulatim ab antiquis ecclesiae moribus institutisque degenerarunt, et studia atque artes, quae sunt veterum sanctissimorum virorum monumentis disciplinaque tradita, colantur ; atque omnia, quoad eius fieri potest, ad pristinam integritatem splendoremque restituantur. Magnum, in-

quis, negotium narras: maximum. Sed, ne commovearis, decretum est Cardinali hinc discedenti nihil de via, quae in Italiam ducit, huius rei causa deflectere.

Ex itinere Bavariam, et Saltzburgensem provinciam ipse obibit, in alias Germaniae partes, quae quidem medicinam ferre posse videntur, huius potestatis suae vicarios, spectatae integritatis et ecclesiasticae institutionis intelligentes viros dimittet; totam enim rem Pontifex eius arbitrio voluntatique permisit. Morabitur hoc quidem nostrum in Italiam cursum, tamen in ipso navigabimus portu. Alius vero ventus est, qui si flare coeperit, in altum nos reiiciat. Verum hoc quicquid futurum sit, gubernabit Deus: ego paratus nihil laboris, nihil defugere incommodi. Unum, ita me Deus adiuvet, desiderium tui ferre mihi vix videor posse. Si te haberem, cum quo tamquam cum me altero omnia et laeta et tristia communicarem, quem facerem omnium rerum et quae accidunt et quae timentur participem, in hoc acquiescerem: cetera sic acciperem ut se darent. Sed hoc quoque Deus gubernabit. Ex archiepiscopi litteris in spe sum, brevi te Patavium rediturum. Etiam atque etiam videbitis, ut tuto illic esse possitis: nobis quid videretur, et ad te et ad Pomorschium perscripsi. Si redibitis, mementote ita Belgarum fidei vos committere, ut nihil cautionis ad vos custodiendos muniendosque praetermittatis. Quantum enim credendum eis sit, iam profecto intellexistis: ego non possum hac de re non vehementer esse sollicitus.

De rebus novis et maxime de gallico et aurangiano bello, quibus bellis de omnium prope rerum salute decernitur, avere te certo scio scire quid agatur; neque ego cupiditati tuae deessem; sed incredibile est

quanta in iis varietas et dissensio sit, qui ea aut scribunt aut nunciant, quae geruntur; ita sunt infecti partibus omnium animi! Quo in genere mira est sedulitas adversariorum: cum veris multa affingunt, tum confingunt ipsi falsa et concinne pro veris venditant. Itaque quotidie nobis novae sunt clades audiendae, ut si tot accepta incommoda, tot proeliis superati nostri essent, quot tribus hisce mensibus iactata sunt, nihil iam abesset quin internicione deleti catholici exercitus omnes essent. Vide impudentiam! Dux (sed reticebo nomen) magna certe dignitate, magna etiam gravitate vir, superioribus diebus litteras Caesari misit, in quibus erat, Regem Galliae acie victum a Condeio, caesas, profligatas, dissipatas eius copias, ipsum fugere Regem, et instare victis Condeium. Quid quaeris? Terruerat is nuncius bonos. Eas litteras germanice scriptas ipse Caesar Cardinali legit, et interpretatus est, cum tamen constaret, neque tum Regem ad exercitum fuisse, et aliquot secunda proelia illis ipsis diebus a regiis ducibus esse facta. Quid hos censes multitudinis auribus inculcare, qui tantam rem Caesari ementiri non sunt veriti? Atqui hos nuncios perscribunt suis per omnes provincias, nunciant in concionibus populo, iubent ire, agere gratias Deo, qui illorum rem respiciat. Nosti genus. Atque his irretitum mendaciis vulgus tenent. Nostri non tam quidem impudenter, nec tam gloriose, sed tamen suorum res quoque efferunt verbis. Ita certatur studiis, et difficile est, ut quaeque res gesta sit, cognoscere.

Id nunc maxime caeditur omnium sermonibus, Regi Galliae Albanum ducem nihil satis fecisse; primum quod Aurangium prohibens a Belgis, in Gallias potissimum compulerit; potuisse enim in Germaniam agi,

unde venerat; deinde quod protinus secutus ipse hostem non fuerit. Contra queri Albanum, se relictis Belgis in Galliam exercitum induxisse, neque ex regiis ducibus praesto sibi quemquam fuisse; atque Aurangio, cum undique teneretur, et opprimi posset, commeatum tutumque in Germaniam regressum a Gallis praebitum esse; regios amicos non tam ut vincat Rex, quam ut ne vincatur, laborare; id quantum peccatum sit, sero intellecturos. Has querelas, sive hae verae sint sive falsae, huic certe tempori non utiles, non desunt qui studiose serant. De receptu Aurangii in Germaniam, magnus fuerat rumor, et nunciabant omnium litterae. Verum cognitum est, ipsum in Gallia adhuc esse; et castra ad Catalaunum habere, atque ibi putatur moram ducturus, tum ut in hostium terra exercitum alat, et simul Condeio et reliquis regiis hostibus ex propinquo animos addat. Tum sperat, si, quod timeri non desinitur, nova aliqua turpi pactione adolescenti Regi arma de manibus extorta fuerint, meliori loco fore suas res, hoc saltem ipso, quod suum discessum Galli redimere pecunia cogentur, cuius in summa ipse difficultate versatur.

Haec quidem hic de Aurangio intelligebamus; qui si bellum in sequentem aestatem perduxerit, multo maiores motus futuri videntur: miscentur enim passim in Germania belli consilia, et erexit animos in expectationem magni alicuius conflati foederis nova Palatini cum Saxone inita affinitas. Palatini enim filio Augusti filia nupsit, inter quos cum tantae et tam acres gestae inimicitiae sint, et tot odii et inimicitiarum causae intercesserint, iure suspicantur homines, huic conglutinatae concordiae magnum aliquod subesse mysterium. Nam Condeium Palatini omnes opes confirmant, Aurangium

Saxonis. Illud quoque huc pertinet, quod eodem tempore pax inter reges Sveciae et Daniae, de regnorum possessione paulo ante omnibus viribus decernentes, confecta sit. Huius autem soror in Augusti matrimonio est. Aliquid certe monstri conceptum est. Huius totius coitionis auctor et architectus, qui putabatur, Christophorus virtembergensis dux, re nondum perfecta, de vita migravit, magni vir consilii, atque eo acrior hostis catholicae fidei.

De rebus polonicis nihil erat magnopere nunciatum. Rex Lublinum ·X· cal. ianuar. cum splendido Lithuanorum principum comitatu ingressus est. Multi iisdem diebus senatores, quos admodum frequentes convenisse scribunt. Prima erit actio de adiungenda Poloniae Lithuania, quae res quotannis agitata, perfecta iri tandem aliquando putatur. Quod si fiet, regni vestri fines latissime proferentur, et fortasse frenum importuno hosti iniicietur; qui quidem hostis movere dicebatur, et innumeris illis suis equitum gregibus potius quam turmis, Lithuaniae finibus appropinquare. Alii emissos dicunt a Lithuanorum principibus hos rumores, quo maturius Lublino dimittantur, et res de adiunctione in sequentem annum differatur. Sed incubuisse Rex in hanc voluntatem videtur, ut perficiatur. Ad hunc conventum duos legatos amplissimos viros Caesar decrevit; quorum princeps est Guilellmus Prosinoschi episcopus olomucensis, de cuius excellentibus animi atque ingenii ornamentis scio me tecum esse saepe locutum: est enim mihi probe cognitus, quippe una Patavii viximus, qui cum Cardinalem mandato Caesaris convenisset, ut ab eo idoneis consiliis (sic enim praefatus est) ad hanc ipsam legationem instruc-

retur, postea quam variis essent de rebus collocuti, in commonefaciendo episcopo de quibusdam Poloniae principibus ad amicitiam partesque Caesaris adiungendis, de patre tuo multa, qua prudentia, qua auctoritate, qua gratia, quibus in maiori Polonia clientelis sit praeditus. Sed haec omnia cum illa exceptione, alienatum eum a Catholicis esse: et ab episcopo vehementer petiit, daret operam ut eum ecclesiae restitueret. Narravit etiam, amore communem sibi cum illo te esse filium. Itaque episcopus me de eo diligentissime postea et de te percunctatus est. Ego vero materiam nactus, accendi hominem studio tui, qui etiam mihi litteras ad te dedisset nisi fuisset summis occupationibus impeditus. Quibus autem de rebus missa haec legatio in Poloniam sit, huic epistolae non committo, omnia coram intelliges. Hunc tu virum, prorsus volo ut ames; est enim omnibus vitae et humanitatis laudibus cumulatissimus, et in episcopalibus muneribus, praeter consuetudinem horum et temporum et locorum, ita diligens, ut solus in hac gente episcopus esse videatur.

Quod scribis de Borussis, nihil equidem audivi; quamvis cum illis quoque negotii non nihil futurum videtur. Longe est aliud, quod ego tibi parturiri periculum scripsi; qui nisi partus, quod sperare iam coepi, maturis medicamentis abigatur, nullum est, quod non impendat malum. Sed hoc quoque coram, utinam mea spe et opinione celerius! Vale. Idibus ianuarii 1568. Viennae.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Ex Pendasii litteris, quae tranquilla esse Patavii omnia significabant, eo vos rediisse putabam, cum

haec scribebam. Quod si ita est, et tua te iam in sede collocasti, primum illud etiam atque etiam moneo, ut omnino caute nec sine comitibus per urbem incedas, ante quam indagaris Belgis quid animi sit; quod dabis operam per Pendasium et reliquos amicos penitus ut odorere; eorum enim gratiae reconciliationi fidendum magnopere non esse, intelleximus tum cum vulneribus modo essent irritati. Quid nunc credemus incitatis caede? Deinde ut litteris ac studiis te tuis totum involvas, ita tamen ut valetudinis rationem ducas, et memineris tibi saepe ex lectionis intemperantia malum accersitum; praesertim siquod tempus intermiseris, tum enim soles tamquam diuturnam sitim explere cupiens, avidius te in litterarum uberrimos illos fontes ingurgitare. Fac tibi moderere, et tamen Pendasii opportunitatem etiam atque etiam urgeto. De Tarvisinae iuventutis studio et observantia erga te scripsit ad me Renaldus: id mihi gratissimum fuit, novum non accidit. Praetori, ut te velle intellexi, significabimus te nobis de eo scripsisse, grataque Cardinali officia humanitatis, quae tibi praestitit esse.

Laetari te fama, quae de Cardinali ad vos perfertur, certo scio; sed multo laetabere magis cum coram a me omnia cognosces. Scis me ita parce solere loqui de eo, ut etiam extenuare verbis eius res tibi saepe visus sim; tantum abest ut gloriari, praesertim apud te, velim. Sed tamen sic habeto, plus multo in re esse, quam in sermone. Illa, quae tu suspicere et admirari soles, maxime in hoc toto negotio atque itinere enituerunt. Et quod fortunae fuit (neque enim ratio hoc praestare poterat) mirifice est ab hac tota comitum cohorte nostrae famae et existimationi servitum: summa in omnibus modestia et abstinentia. Plane est illud verum οἷα τ' ἀν διαποτνα.

De Petro fugerat me ad te scribere, ita nunc elatus, ita inflatus est, ut se ipse non capiat. Eum Caesar se primum, deinde etiam filias pingere voluit. Fecit perbelle. Caesari certe suam scientiam mirifice probavit eius artificii intelligenti existimatori: et cum uno Caesare nihil comius, nihil inveniri possit commodius, non solum loquitur iam cum eo Petrus, sed etiam familiariter garrit. Hui cum Caesare Petrus! Si videres hominem, risum non teneres; ita subnixus et se circumspiciens ambulat. Quid multa? Vel cum veteri illo Apelle se confert, a quo uno pingi se rex Alexander volebat. Hic autem noster Apelles, praeter Caesarem, pingere vult neminem. Itaque cum ego illum monerem, ut aliquando receptum ac promissum, quod tibi discedens, me sponsore fecerat, exsolveret; non habeo quid, inquit. Novi, inquam, tuam gloriam: depinge dum mihi Caesarem, cuius imaginem habes domi. Ille excusare se, credo quod vulgare Caesares nefas putaret. Apprehendi hominem, convicium ei mirificum feci; et scis quam cum illo soleam pro imperio, et quam me ipse revereatur. Ne multa; praeclaram Caesaris effigiem atramento una nocte sic effecit, ut ne illa quidem sit similior, quam coloribus depictam habet. Eam cum mihi attulisset, hoc quidem, inquam, extortum est: fac tua sponte Caesaris filias reddas, si vis fidem tuam solvere. Pollicitus est; ego urgebo hominem; sed cessator est maximus. Eam imaginem in harum litterarum fasciculum addidi.

De discessu, nisi quis novus casus nos impedierit, constitutum est nobis proficisci Vienna ante cal. feb. de quo ipso certius tibi scribam aliquid iis litteris quas polonicis tabellariis ad sextum calend. daturus sum, et faciam te de tota ratione itineris nostri certiorem.

E Polonia nunciant ita frequentes convenisse Lublinum non Poloniae modo sed etiam Lithuaniae principes, ut capere urbs tantam hominum multitudinem non possit, ac permultos in tabernaculis, quae sibi in campo collocarunt, manere. Pater tuus eo nondum venerat. Ut opinio est omnium, coibitur tandem illa in perpetuum cum Lithuanis societas, sic ut idem sit utriusque gentis Rex, atque eam dirimere in posterum societatem neutri populo fas potestasve sit. A Mosco venerant illis ipsis diebus cum litteris ad Regem nuncii: quid sibi velint, nondum erat cognitum. Si in partem regni Lithuani recipiuntur, pacem fortasse volet Barbarus. Indicio est, quod Regis legatum, quem superiori anno ad se euntem in vincula coniecerat, dimisit, et tum ipsi tum mercatoribus, qui eum ut mos genti est, secuti fuerant, omnia ablata restituit. Crassinius certus putatur vicecancellarius. Haec ex Polonia.

Ex Gallia pridem nihil certi, quod ipsum non placet. De Aurangio quotidie percrebrescit rumor, sed nullo auctore, excessisse Galliis a magna militum parte desertum; ipsum cum reliquis ab Umalio, in quem incidit, vapulasse. Sed hoc totum, ut dixi, ferebatur sine auctore. Novi et magni belli initium hodie allatum est. Hispanica magna navis, quae Antuerpiam petebat, quadringenta milia nummum aureorum in belli usum Albano duci ferens, cum in Britanniae portum delata esset, eam Regina suam praedam duxit; atque intercepta navi pecuniam omnem eripuit; ad quam repetendam, et questum de ea iniuria cum Albanus misisset, ita responsum est a Regina, ut Albanus britannos homines, qui in Belgis negotiantur, custodiae omnes tradiderit, eorumque res in publicum retulerit,

idem Regina belgis negotiatoribus in Britannia fecerit. Turbulentus initur annus. Sed nos nostra praestemus, reliqua committamus Deo. Has ego litteras Patavium Fabio fratri misi, ut si Patavii es, tibi reddat; sin adhuc abes, ad te mittat. Domus nostra te tota salutat. Vale. ·XIII· cal feb. 1568. Viennae.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Cardinali epistolam misisti sane perbellam, tum pure loquentem, tum multis ingenii conspersam luminibus. Cum te paulum incitasti, nihil est quod non assequaris. Perge, et cave putes nos ex ulla re plus laetitiae capere, quam ex hoc genere tuae laudis. De profectione nostra nihil iam dubito; dicta dies est ad pridie cal. febr. Haec autem scribebam ad te ·VI· cal. et eram sane occupatus. Cogitabamus parva itinera facere propter nostrum quorumdam imbecillitatem, et laborum insolentiam, et profecto etiam quod intempestivo hoc caeli tempore solutis nivibus omnes vias teneri aquis narrant qui veniunt, et nos curruum et plaustrorum impedimenta trahimus. Nostrum erit iter primum Lintium ubi Reginam Poloniae videbimus, deinde Pataviam, qua Oenus in Danubium influit. Hic Cardinalis urbis templis inspiciendis et sacris ordinandis rebus aliquot necessario dies dabit. Inde Saltzburgum incuntibus iciuniis; et incidet adventus noster in concilium, quod ad eam diem indictum est illius provinciae episcoporum, cui concilio vult Pontifex ut Cardinalis praesideat. Ea res plures nobis detrahet dies. Saltzburgo cogitamus Monachium, quo Cardinalis crebris litteris a duce Bavariae invitatur.

Sed haec tibi deinceps ex illis ipsis locis, in quibus

consistemus, perscribam; et curabo ut itinerum nostrorum tempora scias, ut statuere possis quando et quo nobis obviam cum Renaldo nostro progrediaris. Cum quo quidem Renaldo communes te meas litteras habere arbitrabar, et eo eram in ipsum negligentior. Sed questus nuper mecum est per litteras, quod ei de Cardinalis valetudine nihil significassem, de qua se dicit multis post diebus a te casu intellexisse. Velim me hoc labore leves, et eum participem habeas omnium rerum quas ad te scribo. De vestro reditu Patavium statuetis, ut ex incolumitate, studiis, rationibusque vestris vobis et archiepiscopo et Pendasio videbitur. Expecto quid Pomorschius egerit Patavii. Equidem ex litteris Pendasii, quas mihi misisti, rediisse vos putabam. Quod quaeris, ita credendum censeo Belgis, ut eis facultatem tui nullam facias, teque ita compares, ita munias, ut etiam si velint, nocere tibi non possint. Qui cum Pomorschio locutus est, sane liberaliter; sed ut non simulate, quod affirmare est difficile, tamen ei tam debes pari humanitate respondere, quam nihil de custodia tui remittere. Omnino toto isto negotio vobis opus non fuit. Bolderius triumphat tua epistola, mirificus mehercule iuvenis et plane liberalis naturae, ita certe probus, ita iucundus ut commodiorem hominem non viderim; itaque nobis est in amoribus, atque ego huius maxime suavitate tui desiderium sustento.

Scargam tantopere properasse nollem; fuisset enim tibi gratus illius de polonicis rebus sermo, et vir ipse est summa religione et innocentia: vidisse te tamen illum et allocutum esse, laetor. Cupivissem hanc epistolam longiorem facere, sed me res iam et tempus deficiunt. Pomorschio salutem. De puello tuo nihil nuncias: scire velim ecquid discat, et quando tam bono

ingenio est, cura, obsecro, eum diligenter. Vale, et valere per litteras Conieczpolschios tuos iube, atque ipse a Cardinali salve, et a domo nostra tota; rogant enim id me certatim omnes quotiens ad te scribo. Vale ·VI· cal. febr. 1569. Viennae.

LIBER IX.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO THOMICIO S. P. D.

Sicut ad te scripseram nos esse facturos, pridie cal. febr. pransi Vienna discessimus, et ad ·XV· miliare Maurbachii substitimus, cum ut comites qui alius alia de causa ad biduum Viennae restiterunt expectaremus, tum ut litteras Romam publice mitteremus: qua in re cum essem sane occupatus, et itineris nostri rationem omnem perscripsissem tibi proximis meis litteris, non erat magnopere quid scriberem; tamen huic tabellario nihil dare ad te, religio fuit. Heri mihi profisciscenti litterae ex Polonia redditae sunt in quibus hoc potissimum erat, Lithuanos postulasse a Rege ut si adiungendi ipsi et eorum regio Poloniae forent, ante sanciretur, ut ne quis Polonorum in Lithuania magistratum gerere, neve ulli publico muneri sive id sacrum sive profanum fuerit praefici, neque omnino bona ulla possidere possit. Hoc vero impudens senatui visum, et Polonis omnibus adeo movit stomachum, ut conviciis temperatum non sit. Regem certe habuit molestissimum, qui interposita haec postulata, quo tota res reiiciatur intelligit a paucis lithuanae nobilitatis principibus, subdi se Polonis (id enim ipsi coniunctionem appellari suis persuadere student) non ferentibus. Increpati a Rege sunt, et iussi aequiora postulare; sed

in incerto res est, quam paene confectam putabamus: et equitum legati, quos appellatis, potestate illa sua plane iam tribunitia, quam ipsam sibi a paucis annis assumpserunt, negant se passuros ulla de re agi ante quam de coniunctione transactum sit: ita pendent adhuc reliqua omnia. Publicum regni signum a Plocensium episcopo praeter multorum expectationem sponte in senatu depositum, et Crassinio continuo datum a Rege audivisti; id tu Crassinio gratulabere. Caesar Regi militares octo equos dono misit; item duos Olicae duci, cum ipsos pulcherrimos, tum ephippiis et ornatu insignes. Quem ego Ducem ad conventum, frequentia maxime Lithuanorum clarum, non venisse miratus sum. Ne pater quidem tuus venerat dum Lublinum, et venturus ne esset ignorabatur. Sed valebis, nam urgeor temporis angustia. Vale. Cal. feb. 1569. Maurbachii.

2. GRATIANUS THOMICIO.

Novae, quod me cruciat, res quotidie existunt, quae nostrum iter morentur, ut nec quando in Italia futuri simus, nec quam diu peregrinaturi, scire possim. Verum id quidem fors viderit. Illud ego tibi confirmo, valde me negotii taedere: agitur iam duodecimus annus ex quo sine ulla certa sede Scytharum ritu domum vehentes plaustris vagamur; in quo quanta miseria sit, credere te mihi malo quam re unquam experiri. At praeclarum est alienas regiones multas peragrasse; ego vero in illo meo lectulo, quem Patavii mihi librorum tuorum in conspectu, straverat Pomorchius, requiescere multo malim; aut in Asulano nostro tecum vel lacertas captare, quam illius omnem laudem ferre, qui mores hominum etc. Quin illud mihi saepe

cano: quid brevi fortes iaculamur aevo multa? Quid terras alio calentes sole mutamus? etc. Otio mihi opus est, cuius tanta cupiditate teneor, ut semel nactus ita complectar, nec ut abstrahi me ab eo ulla causa non sim passurus. Sed hoc tum agemus cum licebit.

Novi haec habebamus. Non discedere Galliis Aurangium; et quod maioribus quibusdam subsidiis hominem fulciri argumento est, consumptis omnibus facultatibus, tamen unius mensis stipendium militibus solvisse, eoque alienatos ac prope aversos eorum animos adhuc retinere. Wolfangum quoque nimburgensem sex milia equitum germanorum scripta habere: nec hunc quidem sua pecunia, utrumque britannico auro sustentari. Ad hoc Daniae regis equitum ac peditum haud negligendas copias, quas contra Svecum habuit, post illam conglutinatam pacem transire ad Aurangium. Atque eo scilicet spectare hunc totum conatum ut Galliae regi adolescenti, et a fidelibus amicis admodum inopi, novae pactionis compedes iniiciantur; ac deinde totius belli moles in Philippum regem avertatur. Fovent illorum hanc spem mutuae Gallorum et Albani ducis querelae, quibus nihil poterat rei publicae causae intervenire incommodius. Coniuncti enim hi duo Reges non solum quod timeant non habent, sed ultro terrori hostibus ipsi essent futuri: disiuncti, verendum est, ut pares multorum principum conspirationi esse possint. Magni enim armorum strepitus exaudiuntur. Hoc mihi certius, ingens vere ineunte bellum fore. Quot hominum milia innocentissimorum, quot urbes excidio et vastitati paucorum scelere addictas putas?. Quot templa diruta, quot sacras res direptas et pollutas iri? O rem miseram! dimicare nefarios homines de sua potentia christianae fidei totius peri-

riculo, neque huic pesti tam apertae tam manifestae occurri a nostris principibus, qui mihi profecto prudentes et scientes ruere ad perniciem videntur: qui non intelligant, dum spectator quisque alterius calamitatis esse vult, se mox ipsos spectaculo futuros. Quot enim tu Condeios et Aurangios latere nunc censes? qui cum tempus feret, nisi ante provideatur, validissimi reurgent. An vero his scopum hunc esse existimas ut beati populi, ut liberi sint, et quod assidue iactant, ut suo iudicio de religionis cultu et fide utantur? An ut ex dissidio et confusione religionum ipsi adversus reges convalescant, et populorum licentiam instrumentum habeant perturbandi et miscendi arbitratu suo omnia, et ad amplissimas opes et ad regnum ipsum viam affectandi? Magnum, mi Thomici, in christiana re versatur malum.

Haec tibi scribebam in Cartusianorum monasterio, ipsis sane invidens monachis harum rerum ignaris omnium. Hinc autem cras cogitabamus, et Lintii brevi nos sperabam futuros, ubi non dubito quin tuas litteras accepturus sim; eo enim italicas omnes litteras conferri iussimus. Inde ad te plura scribam; neque sane ullum locum praetermittam, in quo paulum modo consederimus, quin aliquid ad te dem. Haec scribente me, litteras Vienna accepimus, excessisse Galliis Aurangium veritum Regis adventum, quem magno exercitu evocatis undique ducibus ad se opprimendum iter habere cognovit, simul ea spe deiectum, quam Catalaunum per proditionem occupandi alebat. Nam eius cohortes, quae noctu cum scalis ad moenia accesserant, cum magno detrimento a regiis repulsae sunt in castra; et intus re patefacta, de auctoribus sumptum publice supplicium. Reliqui omnes Hugonotii ab oppida-

nis aut trucidati, aut ciecti sunt. Ipse traiecit Mosam Aurangius: alii ad Nassavium fratrem in Hessos, alii ad Wolfangum eum se recipere scribunt; et Wolfango quidem et Palatinis omnibus Umalium ducem cum iusto exercitu imminere, quem corum finibus admovit. Vale ex Gimnich id. feb. 1569.

3. GRATIANUS THOMICIO.

Non dubitavit Umalius acer et bene sibi fidens dux, Aurangio exacto, in Palatinorum provinciam irrumpere; ut qui totiens nulla provocati iniuria milites in Gallias contra Regem traduxerint, Regis hostes omnibus rebus iuverint, non semper id eis impune fore intelligant; et quas belli calamitates aliis intulere, eas ipsi aliquando perferant. Late incensis ac depopulatis agris Umalius tantum terrorem iniecit, ut Palatinus timens rebus suis, Svevorum concilium convocaverit, ut quae propria ipsius est, communem omnium efficiat causam. Contra Umalius et edictis et litteris denunciavit Germanis, se Palatinis tantum hostem venisse, qui priores Regi bellum intulere; ceterum pacem colere. Ipse Rex magnis refertus copiis, ut Umalio ex propinquo praesidio sit, et Germanorum transitiones in regnum prohibeat, Metas venerat.

De Aurangio, si vera sunt quae scribuntur, nae ille magno conatu magnam sibi infamiam pepererit. Fertur enim post eius in Germaniam receptum, cum flagitantibus stipendium militibus et minas inter flagitandum iacientibus, solvendi neque facultatem neque spem ullam explicaret, metuens ne ab iis vinciretur, deseruisse exercitum, atque Argentinam ingressus, se urbis moenibus a militum suorum vi tutabatur. Verum

cum Argentinenses, ne quid periculi eorum civitati ex illa re crearetur, ei praecepissent ut urbe excederet, ille se Manhemium in Palatini oppidum ad uxorem recepit. Constat duos eius equitum praefectos ad Gallos transivisse, adiunctosque Philiberto badensi germanorum equitum in regiis castris praefecto. Francofordiae legatorum cum Caesaris tum principum conventus habetur, in quo tot tumultibus qua ratione occurri possit consultatur. Atque hunc conventum publicum Germaniae concilium pariturum putant; magni enim motus nunciantur. Haec nobis Saltzburgum venientibus narrata sunt, quae tibi subito cum descendissem equo, et proficisci celeriter in Italiam Caesaris tabellarium mihi nunciassent, penulatus exaravi. Reliqua scribam postea. Vale. Saltzburgi, nonis martii 1569.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Litteras tuas XIII. calendas mar. datas, Saltzburgo proficiscens accepi in ipsa via, quibus resignatis primum me delectavit ipsa ubertas, erant enim longissimae. Quid quaeris? Earum lectione me illum diem commodissime refeci. Nam de Piotrowschio, mi Thomici, quam mihi gratum acciderit, facilius est tibi existimare quam mihi scribere, qui meam curam de illius salute saepe perspexisti. Et factum vehementer laetor, et tua potissimum auctoritate, diligentia, consilio, industria factum, mi Thomici. Quando illud, Dei in eum benignitate et studio ac virtute tua, sublatum est quod quasi muro interiecto coire voluntates nostras non patiebatur, nihil est quod me retinere iam possit, quin me tecum dem penitus in illius amorem. Tu vero macte pietate esto. Ego de eo quoque te amo, quod mihi

sermonem omnem disputationemque accurate plenissimeque perscripseris. Orselchium doleo me non vidisse. Eum ut diligam, quid opus fuit tam diligenti cohortatione? An me tui in illum animi et amoris significatio non impelleret? Tu vero effice ut ego ab ipso diligar, quod sane videris perfecisse; humanissimas enim ad me litteras et benivolentia plenas scripsit, ut facile venditatum me illi abs te intellexerim. Ad ipsum et ad Piotrowschium quid ego rescripserim, cognosces ex litterarum exemplis quae tibi misi. Nunc quidem Patavii certe es, ubi non dubito quin istam plurium dierum moram tuis studiis illatam, cursu sis correcturus: quem ego ne interrumpam, ne audeo quidem a te petere ut nobis obviam cum Renaldo ad Alpes procedas. Verum de hoc, quid statuerimus, scribam tibi Oeniponte.

Nunc Saltzburgum redeo unde discesseram. Ibi Ernestum Bavariae ducis filium invenimus, et quidem quamdiu Saltzburgi fuimus cum illo totos dies. Non te salvus videam, mi Thomici, si aliter scribo ac sentio: nihil illo puero vidi humanius, nihil amabilius, ita se apte in omni genere officii adhibet. Atque in illo canonicatu ac munere suo ita vivit et princeps et puer, ut pudoris, innocentiae, religionis, assiduitatis exemplum sit collegis suis: prorsus magna est indole, persuasumque habere videtur, non omnem laudem esse in generis claritate, nisi propriis animi ornamentis cumuletur; idque agit strenue; itaque maximis honoribus non solum commendatione maiorum, et dignitate et studio patris, summi viri ac principis, sed etiam bonorum optatis destinatur. Cardinalem nosque convivio accepit splendido illo quidem et magnifice ornato, verum nihil in eo conditius, nihil sua-

vius ipsius familiaritate et humanitate pueri. Quid ego tibi sermones de te cum illo habitos a nobis scribam? Eius in te conceptum ante amoris igniculum non excitavimus modo, sed plane accendimus. Quare licet tibi plane persuadeas, amari te ab eo, fierique plurimi. Incredibili cupiditate Italiae visendae tenetur, de qua cum mecum loqueretur, velim, inquam, ut ante Thomicii discessum. O utinam, inquit! Quin tu mihi, ut hoc Cardinalis a patre impetret, curato. Dabo, inquam, operam. Proficiscentem Cardinalem honoris causa ipse et archiepiscopus prosecuti sunt ad quintum miliare. Haud alia profecto de re quam de te sermo; nosti enim meam, cum de te coepi, intemperantiam. In ipso vero digressu nostro post dictam ut fit omnibus salutem, postulanti mihi sua mandata, suavissime Dux Thomicium, inquit, nostrum cum videris, salute a me plurima. Simul dexteram germanico ritu constrinxit; qua quidem salute, quod eam tibi dulcissimam fore certo scio, claudam epistolam. Vale XV. cal. aprilis 1569, ipso Cardinalis natali die; cuius causa ut rem divinam ipse faceret, constitimus hodie Pamburgi. Vale.

5. GRATIANUS THOMICIO.

Hodie accepimus, Wolfangum Lotharingia atque illo in Gallias aditu ab Umalio prohibitum, quocum congredi ausus non est, iter per Helvetios in Sequanos convertisse (Burgundi hi sunt) ubi Condeius illi occurret. Ducit septem milia optimorum equitum, et viginti peditum cohortes, iustum exercitum et pertimescendum, si se cum illa manu sceleratissimorum latronum coniunxerit. Quid a nostris, contra hoc eius

consilium, consilii capiatur, vehementer expectamus. Aurangius in infamiae suae sordibus iacet, vel sua confessione perditus ac miser. Si in militum manus incideret, iam non vinciretur, non, sed discerperetur: ita exarsere in ipsum odia! Locutus ipse sum cum quibusdam, qui eius fugae interfuerunt; omnia maledicta, quae in nequissimum proditorem ac perfugam dici possunt, in ipsum coniiciunt.

Evasisse ita narrant. Cum se intra moenia Argentinae urbis coniecisset, specie conquirendae in stipendium pecuniae, et iam illius consilium de fuga cognitum militibus esset, saepe postularunt a civitatis consulibus milites ut imperatorem suum sibi dederent; quod cum ipsi recusarent, sed eum secedere urbe coacturi pollicerentur; milites eludi se existimantes, et vim frustra futuram in oppidum egregio opere munitum et iusto praesidio firmatum intelligentes, aliquot illorum variis portis bini ternive urbem ingrediuntur, et ad Aurangii domum eodem tempore conveniunt, tacitique se in aedes inferunt; atque ipsum Aurangium cum urbis praefecto, quod ei saluti fuit, caenantem imperatorio apparatu offendunt: tum arma ei intentantes cooperiunt hominem omnibus probris, desertorem, perfidum appellant. Cum ille metu simul ac pudore conturbatus, se in conclave proripuisset, milites vasa argentea totamque suppellectilem diripuerunt. Ipsum quidem appetiverunt, sed ab urbis praefecto defensus est, cuius fidei cum se flens et affectam ac perditam suam fortunam conquerens commendasset, ab eo eductus clam domo atque in parvum navigium cum tribus servis illatus effugit. En vindicem germanicae libertatis! en patriae liberatorem! His enim illum ante titulis efferebant.

6. GRATIANUS THOMICIO.

Ad ·III· cal. aprilis cum venissem Oenipontem, binas abs te litteras accepi, quas mihi Alexander reddidit ·XVII· et ·VIII· cal. datas. Ad eas nihil equidem rescribam cum te propediem visurus sim. Tu enim Patavio ·III· id., nos pridie Brixinone ubi festos dies agere decrevimus. Igitur ad constitutum Lavisii, et omnia ad nostros sermones, quorum ego incredibili cupiditate teneor. Unum praeterire non possum. Quid, quaeso, quid est, mi Thomici, quod in postremam epistolam obscure iniecisti, expectare te certum hominem a patre, qui tibi et litteras et mandata afferat, qualia uterque nostrum desiderat? Hoc primum mihi cum veneris aperito; in magnam enim spem me conieci. Mihi quidem de patre scribitur, ipsum Lublinum non venire decrevisse, ubi non rei publicae consulitur, sed omne tempus tempestivis conviciis conteritur. Illa certe societatis spes cum Lithuanis coëundae penitus recisa videtur: eo enim contentionibus progressum est, ut principes illius gentis, ne salutato quidem Rege, Lublino discesserint. Est omnino difficile negotium, et in magnum aliquando malum erupturum, nisi provideatur. Contemni se Lithuani a Polonis iniquissime ferunt; atque hinc illorum in vos odium acerbissimum accenditur. Roysius Regis iurisconsultus duobus versiculis non bellissimis illis quidem, sed tamen veris, rem explicavit.

Vis gens iungatur genti lithuana polonae?
Fac hinc contemptum dempseris, unde odium.

Sed ne ipsi quidem inter se Lithuani consentiunt. Volhinii enim et Podolii ab aliis secessisse, et se Po-

lonis adiunxisse dicuntur, Polonorum iure et legibus acceptis; quo ne tota res penitus reiecta sit, effectum esse scribunt.

Sed quando res novas coepi, nos Oenipontem venientes maximum de Condeii caede et Hugonotiorum clade nuncium accepimus, de quo cognovisse te ante existimo. Ferdinando quidem archiduci quaternis hodie litteris sic allatus est. Ad ·III· id. martias cum regis frater Castianum ab hostibus cepisset, ante quam Condeius opem ferre suis posset, atque ipse postera die cum omni exercitu Condeius supervenisset; ne frustra susceptus labor, neve illo incommodo quicquam sibi aut virium aut animi detractum videretur, quem prorsus Wolfangi spes, ad quem recipiendum vadebat, extulerat, aciem struxisse et nostris pugnae potestatem ostendisse, non eo quidem consilio ut proelii fortunam subiret, quam in Wolfangi adventum differebat, sed tantum ut se superbe adversariis ostentaret. Ne regios quidem tum de pugna cogitasse, quamquam et ipsi copias instructas haberent. Condeium, ubi paulum in acie constitisset, movisse suos, et transire fluvium coepisse, quo iter institutum persequeretur. In illius transitu fluminis accensis aliquot levioribus certaminibus, dum subinde novae utrinque cohortes submittuntur, rem ad universam pugnam delapsam esse.

Cuius initium ab Guisio fortissimo puero, et paternae virtutis probe memore, ortum esse, quem in hostes invectum secuti ceteri, Condeianos terga dare coëgerunt, strage maxima totius exercitus. Ammiralium duobus vulneribus acceptis, aegre Sontagium evasisse: eodem se Landelotium fratrem, et puerum Navarrae principem ex fuga recepisse. Rupefucaldium et nonnullos praeterea nobiles duces vivos in potestatem

pervenisse, in quibus Mongumerium, illum Henrici regis interfectorem esse; idque magnopere victoriae laetitiam auxisse. Is enim cum veniam illius funestae caedis et ab ipso Rege ante quam exanimaretur, et a regiis filiis impetrasset, tantum abest ut facti dolorem quem debuit ceperit, ut acerrimum se regiae domui hostem praestiterit, et saepe dexteram extollens, illam esse quae Henricum sustulisset, nefarie gloriatus sit; cuius nunc gloriae digna praemia feret. At Condeius amisso equo, qui ictu glandis traiectus conciderat, accurrentibus subsidio suis tamdiu se tutatum esse, dum in ambiguo quis esset fuit: ex insigni enim ornatu et suorum in ipso defendendo conatu, aut imperatorem eum aut imperatori proximum esse omnes intelligebant, eoque instabant acrius. Demum ubi circumvento extracta galea est, et impii belli dux atque auctor omnium calamitatis apparuit, nihil valuere preces vitam sibi concedi suppliciter obtestantis, et praemium ducenta milia nummum aureorum, si vivus servaretur, militibus proponentis, quin reiectus conviciis, multis vulneribus obtruncatus sit, eiusque corpus ad Regis fratrem ab exultantibus gloria et gaudio militibus relatum.

Regi vero ipsi optatae magis quam expectatae tum tantae victoriae nuncium Lossium pertulisse. Hunc Metas post mediam noctem pervenisse, ac Regi e somno excitato fasciculum litterarum a fratre reddidisse recenti adhuc cruore conspersum, quo Rex territus, cum salvus ne frater interrogasset; Lossius, salvus inquit, ac victor, a quo tibi has litteras Condeii sanguine tinctas attuli, quem ego multis vulneribus caesum in fratris tabernaculo stratum hisce oculis aspexi. Tum Regem lectis fratris litteris et victoria cognita,

ingenti laetitia effusum se lecto eiecisse, et confestim ducum ac militum concursu in regiam facto, laetissimi nuncii participes omnes habuisse, et totam continuo urbem clamore et gratulatione repletam esse. Ast ubi illuxit, cum Rex ad agendas Deo gratias, lacrimans processisset, primum omnium templum Hugonotiorum, quod peramplum sibi in illa urbe extruxerant, ipsis inspectantibus civibus hugonotiis fere omnibus exscindi funditus, et aequarì solo imperasse, idque incredibili militum alacritate factum fuisse. Divinum adolescentem, qui nulla re magis pias persolvi Deo grates posse putavit, quam si eum demoliri locum iuberet, in quo maxime Dei ipsius iussa sacraque violari quotidie intelligebat! Regium faciuus iam diu nullum praeclarius! Potitus est maxima et inperata victoria, sed perinde futura ac uti Rex sciet, aut Regem qui regunt. Sed ego nimis fui longus, qui te visurus iam iamque sim. Fac, mi Thomici, ut valentem te hilaremque videam. Valc. Postridie cal. april. 1569. Ocniponte.

7. A. M. GRATIANUS IOHANNI PIOTROWSCHIO S. P. D.

Neque sera gratiarum actio reprehendi potest, quae nulla eius, qui debet, culpa praetermissa sit; neque ista, mi Piotrowschi, liberalitas animi, qua nescio quid officii a me in te profectum, instar magni beneficii commemoras, non amari magnopere non potest. Sed tu tarditatem scribendi tuam excusans, meumque in te (ut tu quidem interpretaris) promeritum praedicans, et cum eximia praeclarae tuae erga me voluntatis significatione coniungens, subtiliter in me omnem gratiae debitionem retorsisti. Qui et quam me diligeres, et

quam ipse isto animo diligendus amandusque sis, declarasti. Ego vero et amore tuo ita delector ut a nemine diligi malim, et voluntati tuae ita studio et benivolentia responderi mea intelliges, si usus feret, ut ne eos quidem mihi ante laturus sis, quos tibi coniunctissimos habes. Referre praesertim apud te non libet, quae me tuae et quot laudes adiunxerint tibi, quae sunt certe ingenii et humanitatis maximae.

Sed ut eas mittam, quantum illud est vinculum amoris qui tibi cum Thomicio meo intercedit? Quo quidem vel uno vinculo ità astringimur, ut laxari coniunctio nostra nulla iam temporis longinquitate possit. Nam etsi charitate in Thomicium nec te mecum nec alium quempiam confero, etenim mihi in amando sic primas concedi volo, ut proximum longe ponam, tamen et tuum esse singularem in illum amorem perspexi, et ego benivolentia erga te vel cum ipso Thomicio, cui te carissimum esse scio, libenter sum certaturus. Qua profecto consensione nostra nectetur nodus amicitiae pulcherrimus: cuius fructum praesentis consuetudinis eripi nobis discessu in Poloniam tuo sane doleo, eo magis quo non voluntarium nunc quidem istum in patriam reditum esse intellexi ex tuis litteris, sed eius tibi necessitatem impositam ab illis ipsis perturbatoribus studiorum vestrorum, qui Thomicium abesse plures Patavio dies magno suo nostroque cum dolore coëgerunt; quibus ego propterea irasci non desino. Importuni! qui neque pacem pati propter inconstantiam animi potuerunt, et lacessentes ultro novasque cientes turbas gravius semper multati discesserunt, ignaviae ipsi multo magis quam vos iniuriae rei.

Verum quoniam sic accidit, et tu immaturi discessus tui incommodum mitigabis rerum tibi carissima-

rum aspectu, et Thomicius amissum alicna culpa tempus facile recuperabit celeritate ingenii sui; cuius tanta vis est, ut nisi is cursus doctrinae et optimarum disciplinarum, in quo est, intercidatur praepropera ad suos revocatione, hoc tibi, mi Piotrowschi, confirmo non temere, nec benivolentia inductus qua faveo eius laudi, sed iudicia praestantissimorum virorum secutus, uberrimos amoris nostri ex illius summa virtute fructus capiemus. Non is graditur, mihi crede, ad gloriam, sed plane sic evolat, ut defuturum illi spatium videatur. Vos modo videte, ne quid festinetis, et maturari hanc virtutem sinatis. Mihi si coram agere cum clarissimo viro patre eius liceret, essent sane permulta de quibus non iniucundam sperarem ei fore meam sententiam. Quamquam vereor ne provehar studio, et faciam parum pudenter, qui consilium afferre me posse putem et patri de filio, et viro illa prudentia atque illo usu. Sed amoris mei in Nicolaum vis tanta est, ut parum admodum abfuerit, quin nuper Vienna in Poloniam hac una de causa colloquendi cum patre excurrerim: fecissemque, nisi me pestilentia, quae illis in locis ingens esse ferebatur, multo magis quam aut meae imbecillitas valetudinis, aut longitudo itineris, deterruisset. Cupio enim mirum in modum ipsi patri patefacere me ipsum, et susceptum erga totam illam familiam huius causa animum, cum re minus liceat, et litteris assequi non possim, saltim congressu ipso, atque vultu, qui praeclarus est index animi, aperire. Sed huius quidem rei ereptam tum mihi facultatem, in perpetuum praecisam esse non statuo. Te tamen rogo, ut suscipias meas partes, si Nicolai patrem fratresque videris, et mihi eorum benivolentiam concilies; quo uno cave putes te mihi gratius facere quicquam posse.

Vides me uti coniunctione iam nostra, qui tibi huius officii vicem mandare et onus imponere non dubitarim. Ex quo scilicet intelliges, et quam verus sit amor in te meus, et quam mihi tua in Nicolaum fides, itemque illius in te voluntas, perspecta sit. Restat ut tu de me tibi omnia pollicearis, quae ab amicissimo homine expectari possunt, et eum mihi amorem conserves quem humanissime detulisti. Vale.

8. A. M. GRATIANUS ANDREAE FABRICIO LEODIENSI. S. P. D.

Ad litteras tuas respondebo brevius quam velim, quod haec scribebam Monachio proficiscens, quo ad •XI• cal. aprilis venimus. De Frisingensibus rebus actum est diligenter a Cardinali et cum duce Bavariae et cum cancellario; demonstratumque est quam conveniat, Ducem prospicere illius ecclesiae rationibus, cum ipsius maxime virtute ac fide fretus Pontifex maximus puero filio illam administrationem commendarit: id autem maxime factum iri conservanda ac restituenda ecclesiae disciplina, corrigendis cleri illius inquinatis moribus, coërcendaque turpi quorumdam licentia: ad haec de consiliariis Ernesto adhibendis non solum catholicae fidei cultoribus, sed moribus, studiis, et totius vitae genere ad eius institutionem accommodatis; item de seminario, deque aliis rebus. Ut est summae pietatis atque optimi sensus princeps, videtur suscepturus hanc curam, ut illius ecclesiae vulnera sanentur, idque prorsus se facturum recepit, ad quam rem magno adiumento erunt ea, quae vos istic in synodo sanciveritis. Vestris enim decretis stare omnes necesse erit. De missione Ernesti in Italiam, nihil quidem nunc statuit Dux; sed magnam spem fecit se brevi missurum, et

magnopere probare consilium visus est: si accesserit adhortatio quoque tua, facile a cancellario, qui rem valde probat, impelli poterit, ut brevi vos mittat. Quod faxit Deus! nihil enim ego ad principem istum puerum, qui tantam de se spem bonis facit, recte instituendum fieri posse puto commodius. Haec de re. De mea voluntate erga te, cum me tibi coram patefecerim nihil arbitror necesse esse ut ad te scribam amplius. Tuum in me studium et benivolentiam cum ex praesenti sermone tum ex tuis litteris ita perspexi, ut dubitare non possim quin ea perpetua futura sit: restat ut hac voluntatum coniunctione utamur quotiens usus feret. Nos prosequimur iter nostrum nivosa et incommoda sane via. Ernesti, qui nos sibi omnes humanitate et modestia sua certe singulari devinxit, gratiam mihi ut conserves, a te maiorem in modum peto. Hoc mihi facere gratius nihil potes. Valetudinem tuam cura, et perge me amare ut coepisti. Vale. Monachii. .VII. cal. aprilis 1569.

9. SINE EPIGRAPHE.

Cum singularem voluptatem cepissem ex ea epistola, quam mihi superioribus mensibus misisti, cum ipsam elegantem et plane latinam, tum mirificum erga me animum ac studium tuum significantem, quo mihi accidere optatius nihil nec potuit nec debuit, prope nunc pari dolore afficior quod parum tibi diligens ac paene negligens officii videri potuerim, qui humanissimis abs te litteris ad benivolentiam amicitiamque provocatus, ad eas quarto iam mense responderim. Quod quidem ego peccatum tantum duco, ut cruciarer animo, nisi me aequitatis et humanitatis tuae spes

consolaretur, qua confido fore ut cum silentii mei causam cognoveris, sic accipies excusationem meam, ut ego de tua voluntate erga me nihil detractum intelligam, planeque mihi te eundem constare, quem tuae litterae declarant.

In itinere rediens ex Germania accepi tuas litteras, et cum affecto viarum molestiis, multisque praeterea curis animo, illarum responsum in meum reditum et quietius tempus reiecissem; simul ac Italiam attigi, ex infirma valetudine, qua fere ego utor, in lentum et periculosum morbum incidi, quo ita sum conflictatus per hosce menses, ut saepe in salutis desperationem venerim. Eo emersi nunc quidem aliquantum; convalescendi, tam prostratis omnibus viribus, ne spem quidem video ullam. In illa morbi conflictatione, ut me tibi excusaret, saepe rogavi Thomicium meum, tuumque, cuius mihi amor, assiduitas, curaque et sollicitudo meae salutis paene saluti fuit. Ita iucundus accidit fructus nostrae benivolentiae! Is mihi de te prorsus ea dixit, ita ingenium, humanitatem, mores, eruditionem praedicavit tuam, ut et quanti te ipse faceret ostenderit, et me currentem ad te amandum complectendumque incitarit. Itaque qui diligendus mihi fuisses, vel hoc ipso, quod Thomicio carissimus esses, accedentibus praeterea tot tui animi ornamentis, tantaque in me benivolentia, statuere debes, nihil esse me uno in te amando iam ardentius. Quod cum tibi persuasum esse magnopere cupio, tum illud abs te peto, ut qua benignitate me diligendum suscepisti, eadem amorem et benivolentiam mihi tuam perpetuo conserves. Haec scripsi ad te cum essem apud Thomicium nostrum, et adessent Woinowichii, quorum ego sermonibus studio tui sum incensus. Vale.

IO. GRATIANUS NICOLAO SANDERO.

Ante quam ad duas epistolas tuas rescribam, quarum alteram ·X· cal. augusti datam a Gibbone, alteram ·XVI· cal. decemb. a Butlero paulo ante cal. ian. accepi, peto abs te ut minime aut oblivioni nostrae benivolentiae, aut meae negligentiae tribuas, quod annum paene ipsum nihil ad te litterarum dederim. Nam non solum ab urbe abfui, sed partim itineribus (in Germania enim fuimus hoc anno) partim morbis ita exercitus sum hoc totum tempus, ut amicos qui longissime ut ipse aberant tacita potius recordatione quam ullis litterarum officiis coluerim. Huc accessit, quod ignorabam tu ubi esses: dictum erat enim mihi in Hispanias profectum esse te ad Franciscum tuum illum, cuius humanitate, diligentia, facultatibus, omnes qui patria carere quam ecclesiam deserere mavultis, sustentamini (1).

Habes excusationem silentii meam, quam veram praesertim non dubito quin accepturus sis. Et quando Romae iam ipse sum, quo ad idus decemb. venimus, nec tu Lovanio discessisti, praeteriti temporis silentium facile, ut spero, sarciemus frequentia litterarum. Gibbonus libellum mihi tuum de sacrificio missae cum epistola reddidit. Quid mihi eum gratum dicam fuisse, qui me ipsum paene pluris quam antea faciam hoc ingenii tui et doctrinae monumento memoriae posteritatique commendatum? Et cum hac mea laude delector, tum vero mirifice laetor extare hoc perpetuum amoris nostri indicium. Atque ego quid hac sive com-

(1) Nicolai Sanderi angli satis nota sunt et constantia in fide catholica, et ob eam exilium, et edita opera.

mendatione mei nominis, sive testimonio tui animi erga me, sive utroque, ita fruor, ut me tibi plus multo hoc benivolentiae tuae munere debere intelligam, quam quantum agendis gratiis assequi videar posse. Ago tamen maximas, habeoque eo maiores, quo librum ipsum doctissimi cuiusque iudicio maxime probari intelligo. Quem quoniam a me multi petiverunt, curabis ut eius plura huc exemplaria mittantur, et ad me aliquot publicis tabellariis perferenda dabis. Butlerus et Gibbonus eo amicitiae loco apud me erunt, quo sunt apud te ipsum; cum quibus minus adhuc fui frequens, quod hosce adventus nostri dies salutationibus amicorum officiisque omnes consumpsimus, fuimusque in iis occupatiores quam quanti ipsa res tota est.

De Anglia tua ad nos quidem nihil certi afferebatur; erat tamen rumor satis ille quidem constans, et esse in armis aliquot insulae civitates, et plures, si modo firmos duces viderint, ad eandem defectionem spectare: taedere omnes impotentis iam quorumdam dominatus. Tu quaeso ad nos certi aliquid scribe, cum vestra omnium, qui exulatis, atque in primis tua, tum publicae rei causa, vehementer expectantes ut florentissimae olim christianae ecclesiae parti antiquum fidei et religionis decus recuperandi spes aliqua affulgeat. Tum, quod modo dicebam, fac ut amissus taciturnitate litterarum fructus, crebritate compensetur; et mihi quae ratio mittendarum litterarum dehinc sequenda sit, quo tuto ad te perferantur, scribe. Has quidem ego Antuerpiam Taxo, qui publicis tabellariis dispositisque equis praeest, misi. A Cardinali meo, qui te merito tuae virtutis et diligit et facit plurimi, etiam atque etiam salve; et salvere iube ipsius verbis Anglos qui istic sunt omnes. Vale. Romae.

LIBER X.

I. ANTONIUS MARIA GRATIANUS NICOLAO SANDERO S. P. D.

Omnem conditionem eorum, qui in Anglia pro christiana religione, et pro communi libertate, utraque que impotenti feminae dominatu oppressa, arma ceperunt, statumque Anglici regni mihi demonstrarunt litterae tuae, quas ad me ·XV· cal. martii longissimas dedisti; in quibus ex omnibus partibus cum prudentia tum singularis pietas in patriam tua sese ostendit; quae profecto me, tanta praesertim amoris erga me significatione adiuncta, vel in medio dolore, quem ex istarum rerum perturbatione cepi, mirifice delectavit. Sic enim, Sandere, velim existimes, probitatem, religionem, excellentem doctrinam tuam, tanti a me fieri, ut ex omnibus amicis, ad quos diligendos ipsorum me virtus adduxit, te uno mihi neque cariorem esse quemquam, neque ullius benivolentiam iucundiorem: cui certe benivolentiae tantum tribuo, ut tuam de patriae salute sollicitudinem curamque, communem mihi ducam, planeque ea sic afficiar, ut ne vobis quidem ipsis, quibus tanti fuit catholicae fidei professio, ut pro ea extorres patria, iis rebus omnibus careatis, quae sunt hominibus carissimae, studio et voluntate in praestantissimi regni salute, concedam. Quod si par animo mihi facultas suppeteret, nae tu ex rebus ipsis intelligeres, quam amanti tui, quam cupido rei publicae patriam tuam commendasses.

Sed redeo ad tuam epistolam. Ea mihi reddita est ad ·XII· cal. aprilis, quam cum legissem, continuo ad Cardinalem qui, ut scis, singulari est in vestram gen-

tem animo, detuli. Is eodem die, quod conveniendi tum Pontificem propter eius incommodam valetudinem potestas nemini erat, Pontificis ipsius intimo consiliorum ministro ostendit, et apud eum reliquit, quo Pontificem de omnibus rebus, quae scripsisti, edocere posset. Quod et factum est ab eo diligenter, et plane est quod speremus currentem Pontificis animum ad vos complectendos suscipiensdosque iis litteris incitatum iri. Sed incredibile est, sanctissimus senex quam multis curis occupationibusque distineatur; ut nisi Dei singulari in ecclesiam benignitate, quae tot temporum procellis sic cuncta miscente adversario humani generis haud alio gubernatore eget, conservaretur, fieri non posse videatur, ut illa aetate, illa etiam tenuitate valetudinis, tantis rerum fluctibus tempestatibusque sustinendis sufficeret. Quo minus mirum tibi videri debet, si non ut quaeque provincia fluctuare coepit, continuo ad opem ferendam praesto sumus.

Quae enim nunc rei publicae pars non periculose iactatur? Qua Hugonotii amentes scelere atque audacia omnia conturbant; qua Turcae perennes hostes christiani nominis cunctorum exitio imminent, et modo Venetos ingenti bello terra marique aggressi, in reliquorum quoque fortunas sua spicula intendere videntur. Et christiani cum principes tum populi, aut religionis discordia, aut privatis simultatibus inter se perniciosissime dissidentes, dum quisque spectator esse vult alterius periculi, omnes se opportunos barbarorum effrenatae violentiae praebent. In tantarum rerum curis cogitationibusque, quae Pontificem maximum maxime tangunt, ne vos quidem expertes opis suae princeps paterna plane in omnes charitate, quicumque ecclesiae Dei amantes sunt, relinquet. Nam et de iis ip-

sis remediis, quae tu commemoras, cogitatum ante est, et adhibebuntur cum exploratum erit salutaria fore; adhuc quidem habere videntur deliberationem; de qua re cum clarissimo viro priore Angliae, qui eximia pietate omnem suam industriam, curas, labores in patriae salute consumit, multumque apud optimum quemque Cardinalium et gratia et opinione virtutis pollet, locuti sumus. Ipse, ut arbitror, omnia Francisco Inghefildio tuo, a quo mihi longam et prudenter scriptam epistolam nuper ostendit, perscribet. Tu de Francisco ipso cognosces: ego certe agendo, rogando, monendo ubi opus fuerit, meam vobis et tibi in primis diligentiam ac fidem praestabo.

Warmiensi Cardinali legendam epistolam tuam dedi, deque ea ipse et Cardinalis meus acturi sunt cum Pontifice. Qui quidem Cardinales tibi salutem ut adscriberem, suis verbis uterque mihi mandavit. Ego abs te peto ut crebras ad nos, et ut instituisti facere, plenas de omnibus rebus litteras mittas. Gratius facere mihi nihil potes. Illud etiam a te quaero, ecquod te Italiae atque huius urbis desiderium teneat? Nihil enim causae est, cur non te utilem patriae tuae operam praestaturum confideres, si Romae esses. Vale. Romae ·IIII· cal. apr. 1570.

2. GRATIANUS THOMICIO.

In meas huiusmodi occupationes inciderunt litterae tuae, ut si maxime velim rescribere, tamen tibi ad eas minime possim. Distineor enim, ut aegre huic tantulae epistolae raptim exarandae tempus necessariae operae eripuerim. Omisissem profecto ad te scribere, quod tibi visum esset monstri simile, nisi metuissem ne, quod

minaris, omitteres posthac ipse italice ut instituisti ad me scribere. Quod institutum obsecro te ut teneas; neque enim ego aut possum aut libenter facio ut latine scribam, sed multo possum minus voluntati tuae non obsequi. De pecunia tu tamen a gratiarum actione non discedis. Quousque haec manere in amicitia nostra vis, quae pridem sublata esse oportuit? Piotrowschio rescribam postea; interea scito, mihi gratissimam eius fuisse epistolam. Perbellam tu ad iocandum per litteras materiam praetermisisti qui mihi de Voronicizchio, si modo vera sunt quae feruntur, nihil scripsisti. Mirifica vero transitio a germanico contubernio! Os hominis speciemque per fora volitantis videre mihi videor, nec teneo risum. Sed plura quam putaram. Vale, et tibi me et Carolo Sanbonifacio comiti excusato, quod ad eius epistolam non rescribam. Rosdzrazonius nudius quartus Roma in Gallias missu Pontificis profectus est per dispositos equos: defert sacratum ensem ad Regis fratrem. Proficiscens a me petiit ut tibi salutem a se dicerem. Vale, et salve ab utroque Cardinale. Romae, idibus aprilis 1570.

3. GRATIANUS IOHANNI PIOTROWSCHIO.

Cum essem in magno desiderio de te aliquid cognoscendi, et scripsissem Thomicio si quid ipse accepisset, mihi ut significaret, commodissime mihi tua allata est epistola pridie id. februarii data, quae humanitatis, benivolentiae, diligentiae tuae plena, fuit mihi ut quidem debuit iucundissima. Nam et vivere tibi memoriam nostri, conservarique nobis optatissimum amorem tuum intellexi; et qua una re efferri ego laetitia soleo, praeclaram istic de Thomicii mei laudibus

famam esse, ex te libentissime cognovi. Nam etsi haec quae scribis, nova mihi minime acciderunt, cui et egregii eius conatus ad solidam virtutis gloriam, summaque illa spes, quam de se divinus adolescens commovit notissima sunt, et eadem ab aliis item multis saepe accepi; tamen vel in magna de eo praedicationis constantia, cogebat me illustris meus in illum amor et singularis animus, subvereri interdum ne aliquid laudis eius cupidissimis meis auribus etiam darent ii, qui isthuc aut veniunt, aut ad me scribunt: quae in te suspicio non cadit, tanta fide, tanta in utrumque nostrum benivolentia.

Itaque sic habeto: magnam me ex tua epistola cepisse voluptatem; quam praeterea mirifice cumulavit, quod scribis de patris eius animo et amore erga me, quem quidem ego amorem facio certe maximi, et quid ni faciam? Si enim ab illa amplitudine, dignitate, nobilitate viro diligi magnum est, quanti tandem mihi esse putes et a tali viro, et a Nicolai patre diligi? Quem Nicolaum ego quid amicum appellem? in quem ita effusus sum, ita me cum illo coniunxit quaedam animi et naturae similitudo, ita vero cepit summum eius ingenium, suavissimi mores, singularis probitas, ut ne ipsum quidem carissimum et sanctissimum nomen amicitiae posse mihi videatur assequi vim pietatis atque animi in illum mei. Tum quod in amicitia ipsa primum et maximum et summae felicitatis est, sic mihi ab eo par voluntas et gratia refertur, ut diiudicari non facile possit, utrum amabilior ipse, an mei amantior sit. Haec mutuae caritatis vinculis coniuncta et constituta summa et singularis inter nos benivolentia, non unis tamen in nobis consistit, sed diffunditur et propagatur in nostros, ut utrique aeque cari sint qui ab altero

diliguntur. Quod ideo a me commemoratum est, ut cum diligendi summi istius viri tot tantasque et ipsius dignitatis et Nicolai necessitudinis causas habeam, quam grata mihi acciderit tua de illius eximia voluntate erga me testificatio, intelligas. Ego vero abs te peto, de me ei ut id prorsus confirmes vel etiam recipias, cum a Nicolai et domestica pietate discesserit, me habiturum esse proximum.

Utinam, mi Piotrowschi, nos illum diem videamus cum Dei benignitate ruptis et reiectis illis laqueis, quibus irretitum eum callidi quidam homines tenent, aliquando se vir prudens colligat; et eum errorem, in quem novitate rei, quae plerosque decipit, inductus, et falsa religionis specie non animi vitio delapsus est, ratione et prudentia sua depellat! et cum illa, quae columna est et firmamentum veritatis et salutis nostrae, communi piorum parente ecclesia, a qua hominum ambulantium in circuitu et in adinventionibus suis abeuntium artificiis alienatus est, in gratiam redeat! Tum eius praeclara virtus, tot animi et ingenii dotes, illa civilis et senatoriae prudentiae laus, qua excellit, sine exceptione praedicabuntur a nobis; tum meum studium amorque in eum liber sine ulla impeditione feretur, et vel cum Nicolai mei pietate, qua est in patrem singulari, contendet. Quod certe ego cum viri ipsius sapienti et subtili iudicio, tum eorum quos sententiae suae auctores habet vanitate fretus, sperare non desinam, tum maxime confisus clementia et misericordia Dei qui assiduas Nicolai et meas, et multorum praeterea preces pro illius salute rogantium, non aspernabitur. O illum diem faustum Thomicio meo! Huc enim optatorum adolescentis votorumque summa omnium refertur, in hoc eius curae cogitationesque con-

sumuntur. Sed ego pluribus haec ad te scripsi, quam debui ad eum cui notissima sunt Nicolai omnia. Quod tamen tu mihi facile ignosces: nosti enim quam mihi ea cordi sint.

Ad postremam epistolae tuae partem, qua de tua ratione accedendi ad rem publicam scribis, unum est quod rescribam, ac ne id quidem necessarium, ut te horter coeptis ut instes tuis, teneasque institutum iter, neque ut quidque tibi ad progrediendum obstiterit, continuo resistas, multo minus pedem referendum tibi, aut de suscepta ratione decedendum ut putes. Sed contra, quo plures ad superandum obiectas videris rerum asperitates, eo tibi adnitendum et contendendum statuas magis. Animadverti enim in tuis litteris insolens adhuc aulicarum artium, liberum et simplex ingenium tuum deterreri, ac detrectare istud molestiarum iugum, quod tamen necessario subeundum est omnibus qui ad istuc se vitae genus applicaverunt. Neque enim, mi Piotrowschi, ad magna sine magnis laboribus pervenitur. Tibi ad enitendum praesidia et naturae praeclara suppetunt, et fortunae non desunt. Nactus praeterea es, quod non omnibus contigit, virum cui te adiunxisti sane egregium, apud quem dum sis innocentiae, religionis, officii, virtutis, exemplum quod tibi ad imitandum proponas aliunde petendum non erit. Huius auctoritate, gratia, studiis, opibus, adiuta tua industria nihil est, quod non assequi posse videatur. Thomicius quidem et, ego quibus aeque carus es et es profecto carissimus, in magna de te expectatione sumus; quam tu, si tua noris bona, si huc ea omnia contuleris, non sustinebis modo, sed etiam vinces. Tuis certe commodis et ornamentis qui magis laetetur quam nos habiturus es prorsus neminem. Vale. Romae X. cal. maii 1570.

4. GRATIANUS THOMICIO.

Heri cum venissem ad Cardinalem augustanum (1) scis quem virum, qua amplitudine, sed mitto amplitudinem, qua humanitate, qua bonitate praeditum; cum ad se ingredientem me vidisset, primis tribus verbis sane amanter et comiter, ut solet, Thomicius, inquit, tuus ut valet? Nihil ad meas litteras rescripsit. Hic ortus de te sermo continuatus nobis est, planeque multus fuit, cum ego quam dignus esses in quem vir summus omni se benivolentia effunderet, ostenderem, ipse eadem se a Cardinali quoque nostro de tua praestanti virtute audisse diceret. Postremo, at vos, inquit ille, insignem fecistis vestram benivolentiam; sic enim audivi a multis, nihil iam esse amicitia vestra coniunctius.

Hoc quidem ego sermone optimi et amplissimi viri incensus sum non amore tui, quid enim me uno esse potest ardentius? sed studio coniunctionem illustrandi nostram. Quis enim prohibet aspirare nos ad illam laudem, ut cum tria admodum aut summum quatuor amicorum paria universa vetustas numeret, amicitiae nostrae vim sanctitatemque et in praesentia claram et posteritati notam efficiamus? Ego vero si vita suppetet nobis, confido sic fore tua fretus virtute, tuo ingenio. Ad epistolam quod non rescripseris, dixi non ulla negligentia tua factum, sed quod inanibus litteris hominem summis semper in rebus occupationibusque versantem interpellare sis veritus. Hanc ipse excusationem non accepit: itaque meditandum aliquid est, quod ad eum scribas. Exemplum litterarum, quas Car-

(1) Intellige Otthonem Trusches, inter celebriores eius temporis Cardinales.

dinalis warmiensis ad Firleium scripsit, quas scito bellissimas esse, petii ab ipso Cardinale apud quem hodie eius invitatu sum pransus cum protonotario Spinola, ut mihi describendum daret: quia tum non est inventum, promisit se perquisiturum missurumque mihi; id cum accepero, ad te continuo mittam. In istis exercitationibus, quas domi tuae instituisti docendi alios quae ipse aut legeris aut commentatus fueris, laetor nactum esse te discipulos ex animi tui sententia, qui ingenio et diligentia sua etiam acuere tuam industriam possint, cum intelligas tibi cum intelligentibus et teretes aures habentibus rem esse. Ad patrem si quid pangis, fac opus appareat; videor enim mihi odorasse aliquid ex tua epistola. Vialis quod officiosus in te sit, mihi est gratissimum: id ego mandatum ei proficiscenti maximum dedi.

Expectas tu res novas tibi ut scribam; sed scito nihil esse, a quo magis avocare cogitationem velim; tantum abest ut contrectare commemorando nostra vulnera possim! Ruere omnia videntur ad interitum, et quod miserrimum est, ita decipiuntur quidam in tota ratione tot malis incommodisque medendi, ut timendum sit ne perniciosiora remedia sint quam morbi. Plena sunt discordiis tumultibus et seditionibus omnia: qua oppressus Hugonotiorum impetu et scelere Gallus; qua Hispanum impediunt atque occupant Mauri; qua omnium exitio imminet Turca ingenti bello terra marique nos aggressus. Nostri vero principes novis honorum titulis delectantur, quos aut intempestive appetunt aut delatos aliis ambitiose invident. Huiusce rei alienissimo sane tempore coepta contentio nunc maxime nos exercet: quae quorsum eruptura sit, equidem horreo. Audienda est hac de re nobis Caesaris legatio, quae superioribus

diebus ad Urbem venit. Haec quid attulerit, faciam ut scias.

Libellum de Despota (1) meum, quem triennio ante dum rusticamur in Asulano rogatu atque impulsu tuo scripsi, legit warmiensis Cardinalis ei datum ab Cardinali Commendono, me ipso nescio. Nisi sanctitatem gravissimi viri perspectam haberem, dicerem mihi assentatum esse. Sic enim extulit illud opusculum, ut cum edendi eius mihi magnopere esset auctor, moleste videatur tulisse, quod id ego negaverim. Tuo, inquit, Thomicio iniuriam facis, cuius verissimis laudibus ornasti nomen. Ne id quidem, inquam, impetrare a me potest, ut librum divulgare velim. Quid quaeris? Tulit aegre. Libellum, quando ita vis, ad te mitto cum ea obtestatione ne a quoquam describi patiare; vulgari enim plane nolo. Vale. Romae 22. apr. 1570.

5. GRATIANUS BRESNICIO.

Rem vero belle tenes, qui me ex harum rerum molestiis solere intelligis in tuis litteris acquiescere: neque enim est profecto aliud in quo fessus curis et laboribus tamquam reclinet animus. At cum omnes mihi litterae tuae iucundissimae et suavissimae sunt, tum me quas proxime accepi mirifice delectarunt. Erant enim pulcherrimae, et verbis scriptae amantissimis, et hoc ipso mihi maxime voluptati fuerunt, quod futuras ipse putaris. Petri fratris adventum miror quidem quid moretur, nec tamen dubito hanc esse causam cur tibi tam diu nihil a patre litterarum, quod et mandata et litteras de omnibus rebus fratrer sit allatu-

(1) Notemus testimonium de libello, quem nos in hoc volumine edidimus, scripto an. 1567.

rus. Itaque de ea re sollicitus, quaeso, amplius ne sis. Crucifixi eburneam imaginem utramque habeto apud te, dum tibi quo alteram missurus sis significem: interea memento mihi, ex his mittendam esse eam quam ipse delegeris tibi: utramque gaudeo pari opere et pulchro artificio subtilique effectam.

Bolderium vidisti: scripsit, enim mihi Patavii apud te fuisse cum Veronam curreret. Sed heus tu, qui ardes desiderio nostri, ecquid vides instare tempus quo hinc discedamus? Quo? inquis. Satis tibi scire, quod non ad te: nam quo aut qua, quid tua? Exire nobis constitutum est ante quam maius exeat, et cogitamus Tudertum: id est municipium, quod bidui iter ab Urbe distat, et caelo, et loco, et copia rerum quieti et otio, quo nos egemus, aptissimum maximeque salubre. Experiar uter nostrum magnetis aut ferri plus habeat; aut enim tu me Patavium hac aestate, aut ego te traham Tudertum. At in quo plus erit ferri, is certe minus erit ferreus. Sed hoc tum viderimus.

Caesaris legatio audita est. Ad ·X· cal. maii Pontifex vocatis ad se in curiam ·XXII· Cardinalibus, quorum tamen tres impediti morbo non adfuerunt, legatos introduci iussit, qui adorato de more Pontifice eam orationem habuerunt, ut dicerent, salvis imperii romani iuribus, Florentiae duci novam magni ducis Etruriae appellationem tribui non potuisse, quod Florentini in imperii ditione et societate sint: ob quam causam coactum Caesarem fuisse appellationem eam abrogare. Haec summa orationis eorum fuit, quam tamen habuerunt tanto honore verborum, tanta et in pontificiam potestatem et in Pontificem ipsum reverentia, ut cum tangentes genu terram dum dicerent, Pontifex surgere et stare iussisset, non nisi saepe moniti, et

crebra manus significatione paene coacti a Pontifice surrexerint, stantesque perorarint, saepe repetentes Caesarem observantem et obsequentem Pontificis filium vehementer rogare, ut hoc eius necessarium factum Pontifex patresque in malam partem ne acciperent, neque propterea quicquam de sua pristina voluntate detractum existimarent. Nam sicut summam et duces et reges appellandi et quoscumque vellet honorum titulos tribuendi potestatem Pontifici maximo concederet, ita iis qui sine dubitatione romano imperio pareant, ea non ab alio quam ab Imperatore tribui oportere. Haec Caesaris in re ancipiti minimeque facili ad explicandum modestia et moderatio magnopere quorumdam ardorem lenivit: nihil certe huic toti actioni poterat accidere salutarius. Itaque in spe sumus aversa iri quae timebamus. Legati ·VIII· cal. discesserunt sine responso, quod Pontifex per suum legatum daturus esse dicitur (1). Tu valetudinem tuam cura, et Pendasio, Carolo comiti, Pomorschio, Conieczpolsciis tuis plurimam salutem. Vale ·III· cal. maii 1570. Romae.

(1) Extat de hoc collato magni ducis Etruriae titulo constitutio S. Pii V. data an. 1569, in magno bullario T. IV. part. III. p. 74. Res autem gesta describitur accurate abs I. B. Cino in vita ·M·D· Cosmi lib. VII. p. 482. seqq. Controversia denique cum Maximiliano Caesare exponitur in vita S. Pii per A. Maffeium lib. III. cap. 18.

ANTONII MARIAE GRATIANI

EPISCOPI AMERINI

EPISTOLARUM APPENDIX SIVE LIBER XI.

ex alio codice vaticano

I. HIERONYMO COMITI A ROSTAZOFFA EPISCOPO VLADISLAVIENSI.

P. Lambardinus theologus societatis Iesu nudiustertius mihi litteras tuas reddidit, mense usque septembri scriptas, quibus binarum exempla litterarum, quas antea ad me dedisse te scribis, adiuncta erant, quam ego litterarum neutram accepi; neque enim commisisissem, ut ad eas non rescriberem, praesertim tantam ac tam optatam veteris nostrae benivolentiae commemorationem habentes, tuaeque constantiae atque humanitatis tam insignes notas. Et fero sane aegerrime, quod desideratum nulla quidem mea culpa, sed desideratum tamen abs te suspicer officium meum. Equidem in tam diuturno multorum iam annorum utriusque nostrum silentio, meisque variis ac plerumque difficilibus et nunquam non exercitis temporibus, non solum interire amoris ac sollicitudinis nostrae memoriam in animo meo passus non sum, sed mansit plane idem meum erga te studium, eadem observantia, idem desiderium non ipsa longinquitate imminutum, non bonis non malis rebus immutatum. Nec quia siluerim, propterea tuus me secundus famae, dignitatis, cursus minus delectavit, minusque ex tua fortuna atque amplitudine voluptatis atque fructus cepi: quin eo haec mihi laetiora iucundioraque acciderunt, quo meis de te deque tua probitate, religione, virtute, iudiciis egregie responderunt.

Me post mortem illius praestantissimi viri, quem ut scis parentis loco summa semper fide ac pietate colui (1), cum secedere domum ab Urbe aulaque, atque in otium litterulasque nostras abdere me decretum constitutumque haberem, Sixti primum pontificatus invitum plane ac repugnantem retraxit Romam, romanisque iterum aestibus involvit, iterumque molestissimo atque inviso scribendarum epistolarum muneri alligavit. Deinde Clemente hoc octavo, viro omnium quos aetas nostra tulit optimo atque sanctissimo, ad summum humanarum rerum fastigium una suffragante virtute evecto, idem otium eundemque spectans recessum, Amerinae ecclesiae procurationem episcopatumque suscipere iussus sum; quam procurationem, quando detrectandi locus non fuit, cum suscepissem, moram mihi nullam feci, protinusque relicta Urbe ac urbanis rebus, illecebrisque multa salute dicta, Ameriam abii, atque in tradita mihi statione vigiliaque tamdiu fui, donec eiusdem Pontificis maximi imperio evocatus legationis huius (2) subire praegrave onus coactus sum, quo biennium ipsum iam premor; ac pridem labore ac taedio fessus, aliquot menses de missione agentem, atque adeo flagitantem, ferrariensis haec belli expectatio, et additum mihi ex ea re arduum ac salebrosum sane negotium interpellavit. Ex secuta nunc eximio Dei munere pace, et recepta sine armis Ferraria, magna mihi spes rediit fore, ut bona cum Pontificis venia decedere hac legatione, et ad caululas

(1) Intelligit Cardinalem Commendonum, qui anno obiit ·M·D·LXXXIV·

(2) Intelligit legationem venetam, qua per triennium functus est Gratianus. Huius non postremus fructus tria volumina italicarum epistolarum fuerunt de gravibus negotiis scriptarum, quas ego in vaticanis codicibus legi ineditas.

meas me recipere liceat, ubi quod reliquum est vitae sacris et officiis et curis quiete ac tranquille transigere est animus. Incumbit enim gravis in sexagenario senectus, et mors aurem vellens, vivite, ait, venio; et sarcinulas colligere, et reliqua ad supremum quod instat iter comparare monet.

Verum ego ubicumque et quacumque fortuna sim, et meam veterem observantiam benivolentiamque erga te retinebo semper; et meum tibi obsequium, opera, studium, si eo uti aliquando volueris, promptum paratumque erit. Ac si hoc litterarum officio defungi interdum nos placuerit, quo et ego de tua salute cognoscam, et tibi significem de mea, ego quidem non solum provocanti respondebo, sed ultro te summa voluntate lacessam. Vale. Venetiis ·XV· cal. martii 1598.

2. GRATIANUS EPISCOPO CUIAVIENSI. (1)

Cum apud ecclesiam meam agerem, quo protinus ab veneta legatione me recepi, reliquarum iam rerum, et maxime romanarum incuriosus, et tantum ad episcopalis huius officii munera animum curasque intendens, divertit forte ad me Patavio Romam rediens vetus hospes atque amicus meus, a quo cum multa percunctarer, atque ille item multa, ut fit de suo itinere, deque Patavii rebus narraret, polonum episcopum magnae amplitudinis virum Patavii esse, et curandae valetudini, et quartanae febri depellendae operam dare, mihi exposuit, Cuiaviensemque a suis appellari. Vix habenti fidem; quid? inquit, si ego ipse

(1) Cuiaviensem sive vladislaviensem, unum eundemque episcopatum esse, omnes sciunt. Itaque cunctae huius libri epistolae eidem scribuntur homini.

non vidi solum eum, sed etiam allocutus sum, hominem procero corpore, statura egregia, et ipso quoque aspectu, atque oris specie magnam gravitatem morum, ac dignitatem praeferentem. His auditis non dubitavi quin tu Patavii esses. Quando autem in Italiam veneris, et qua de causa, etsi ignorem, tamen sive publice iussu Regis, sive privatim ad recuperandam confirmandamque valetudinem, sive ad urbem Romam, quod malim, longo intervallo revisendam, instante praesertim iubileo, tam longum iter susceperis, faciendum mihi putavi, et ut appellarem te litteris, et vivere me, et pristinum erga te studium, amorem, observantiam vigere mihi adhuc, nec tam longinqua tam diuturna absentia silentioque nostro immutatam imminutamve esse, non temporum utriusque nostrum varietate, non ulla fortunae vicissitudine convulsam, te facerem certiorem, tibique operam, officium, ac singularem voluntatem meam deferrem, eaque, si uti volueris, scires tibi praesto fore. Quin ipsemet Patavium accurrerem cupidine videndi atque amplectendi tui, nisi me non tam iter, et aetas, et graves iam anni, quam domesticum impedimentum moraretur. Decumbit enim apud me duplici correptus febri, et plures iam dies male habetur Carolus unicus fratris mei filius, puer aut adeo adolescens et indolis probae, et mihi unice carus. Quem ego utroque parente paucis mensibus orbatum paterno animo complexus, periculose laborantem deserere pie non videor posse. Verum et diligentia summa in eo curando adhibetur a nobis, et Deum pro sua benignitate confido incolumem mihi praestaturum. De te, de statu valetudinis tuae, et quamdiu, et ubi in Italia futurus sis, sane aveo scire, ut, si qua erit, inire aliquam conveniendi tui rationem possim. Vale. Ameriae ·IIII· idus septembris 1599.

3. GRATIANUS EPISCOPO CUIAVIENSI.

Ex tuis litteris, quas ad me ·XI· cal. oct. Patavio proficiscens dedisti, susceptum abs te ad Urbem iter, itinerisque consilium cognovi, et spem revisendi aliquando tui toto sum animo atque cogitatione amplexus. Cum et Bononiae quatriduum, et totidem Laureti dies subsistere, quietis capiendae causa, et sustentandae valetudinis, qua non optima utebaris, in animo haberes, ·VI· circiter idus Narniam te esse venturum, ex viae atque itineris tui ratione coniecturaque existimabam. Narnia milia quinque Ameria abest. Huc ut divertas, quando non sane est devium, et veteris amici humile hospitium subeas, primum quidem te rogo, quod ea res, et voluptati magnae mihi, et honori erit, deinde etiam suadeo. Hic enim splendorem fortasse cultumque illum, qui personam atque amplitudinem istam decet, desiderabis, ceterum tamquam domi tuae ages; nostraque erga te officia, non illa fucata atque ambitiosa, quae speciem modo gratiae atque studii habent, sed veri amoris, verae benivolentiae atque observantiae plena erunt; remotoque inani ac supervacaneo luxu, more institutoque antiquo simpliciter, atque intima cum hilaritate accipieris, habeberisque a nobis; omniaque tibi lautiora conditioraque et iucundiora vultus ipse animusque a vultu non discrepans, sed ad omne obsequium promptus paratusque hospitis, efficiet. Hinc tu praemittere Romam tuorum aliquos, qui domum tibi, aliaque quae necessaria videbuntur, in adventum tuum comparent praeparentque, poteris. Atque hic ubi dies aliquot resederis, fessumque de via, nec dum satis va-

lidum a superiori morbo corpus, requiete ipsa ac laxamento refeceris, tum demum in Urbem bidui itinere perges.

Invenies praeterea Ameriae Federicum Borromaeum Cardinalem archiepiscopum mediolanensem, qui his diebus ab Urbe, salubritatem nostri caeli, secessumque ab omni interpellatione liberum secutus, huc venit, moraturusque est nobiscum ad calendas usque novembris; iuvenem non nomen magis, munusque ac dignitatem superioris Borromaei Cardinalis, quam modestiae innocentiae, religionis, doctrinae, morum, ac totius vitae laudes omnes referentem. Cuius tibi congressum sermonemque, propter ingeniorum studiorumque vestrorum similitudinem, optatum iucundumque fore non dubito. Igitur abs te peto etiam atque etiam, ut me de tuo itinere, et ad quam diem adventurum te putes, facias certiorem. Ego tibi Narniae occurram, deducamque Ameriam. In quo unum modo est quod me nonnihil molestum habeat, quod ineptam curribus sis amerinam viam habiturus, non illam quidem arduam nimis, aut tumulis ascensuque difficilem, sed salebris saxisque paulo asperiorem, non inviam tamen, siquidem Borromaeus Cardinalis nuper germanica huc rheda sexiuga pervectus est. Deum precor, ut te quam primum quam valentissimum videam. Vale. Ameriae postridie cal. oct. 1599.

4. GRATIANUS EPISCOPO CUIAVIENSI.

Post tuum a nobis discessum nihil ad te, ut pollicitus fueram scripsi, quod aliquot et ipse dies abfui domo, Balneoregium ad visendum Montaltum Cardinalem profectus. Cum rediissem Ameriam, partim ex

publicis actibus eorum qui res urbanas colligere, et absentibus perscribere et omnia persequi, quae aut geruntur aut feruntur, consueverunt, partim ex Sinibaldi mei litteris de tuo in Urbem adventu cognovi, ipsumque Sinibaldum commodum certe hominem, et cum ingenio eruditum, tum romanarum rerum diuturno usu apprime gnarum praesentem fuisse tibi, teque congressu ac sermone eius delectatum esse, mihi sane iucundum accidit. Ego quidem ad eum scripsi, ut nullum observantiae officium erga te praetermittat, ventitet domum, te saepe adeat, an quid eum velis roget; denique et tibi et tuis ut operam navet; qua si uteris, confido fore, ut non studium solum eius, sed consilium etiam atque industriam probes. Me illud scilicet primum et maxime delectavit, quod tibi ex ipsa quiete et tepore urbani caeli melius aliquanto esse, et aliquid remisisse de molestia sua quartanam, in eiusque accessu minus iam te quati frigore, minusque obrui somno solere, accepi.

Laetum deinde optatumque fuit, quod scribunt, Pontificem simul ac advenisse te Romam intellexit, misisse domum tuam, qui te viseret, ac suis verbis salutaret, fructuum quoque ac vinorum vario genere, et medicis ac citreis malis odoris et magnitudinis eximiae muneratum te esse, ac praeterea aditum tibi ad se, quotiens et quando velles, patere iussisse, velleque ut ex domo, quam conductam habes, in pontificios quirinales hortos aedesque in hortis longe magnificentissimas demigres: medicis quoque suis recreandae valetudinis tuae ac depellendae quartanae curam mandasse. Postremo cum ad ipsum adiisses, tanta te humanitate accepisse ferunt, ut repetitis saepe amplexibus, saepe collo inhaeserit. Quae etsi a Pontificis natura nihil abhorreant, faci-

le ad omnia comitatis et benignitatis officia prolabentis, tamen quia ferri singulari in te animo videtur, est sane quod tibi de eo magnopere gratulemur. Haec quamquam a Sinibaldo non vano nec dubio auctore accepta, et rumore etiam, ac sermone vulgi delata, si certiora ex tuis litteris cognovero, tam erit mihi gratum, quam quod gratissimum. Vale. Ameriae ·XVI· cal. decemb. 1599.

Ferre aequo animo non possum, esse non solum in Italia D. V. illmam sed etiam Romae, et praesens studium, operam, assiduitatemque meam desiderare. Etsi multa me nunc quidem impediant, retineantque domi, tamen de conducenda comparandaque mihi domo Sinibaldo iam scripsi: neque enim antiquius quicquam mihi, aut longius est, quam ut tecum sim hoc tempore, et amore nostro tuaque singulari erga me benivolentia perfruar coram.

5. GRATIANUS EPISCOPO CUIAVIENSI.

Uterque nostrum alterum studio ac benivolentia antevertit. Nam quo die tu ad me de tuo adventu in Urbem, de tua valetudine, de aditu, primoque cum Pontifice maximo congressu scripsisti, eodem ego haec ipsa audisse me de aliis, et de te ipso scire avere scripseram tibi. Factum utrinque bene; mihi certe tuae litterae fuerunt iucundissimae, spero item meas tibi. Quirinalis habitatio ista hoc anni tempore, hoc statu valetudinis tuae mihi de te, deque tua salute assidue cogitanti suspicionem incussit minus salubris consilii, quod eo in colle, etsi summa sit amoenitas, summa serenitas, atque laxitas, magnificentia, nitor pontificiarum aedium, adiunctique aedibus horti tam laeti,

tam culti, tum viridantes, et directae in tam longa spatia ambulationes, non visu solum, sed aspectu quoque ipso exhilarent ac recreent animum, tamen pro quartanae ac morbi ratione, quocum ipse nunc luctaris, videtur caelum eo loci, adventante adeo praesente iam hieme algentius esse, et affectum tertio quoque die febri non levissima corpus, modico ac temperato aëris calore fovendum, domique habendum potius, quam his oblectandum, et caelo licet puriori ac tenuiori, frigidiori tamen exponendum. Sed haec tu cum medicis melius. Ego Deum tibi, consiliis, rebusque tuis omnibus summe propitium opto. Vale. Ameriae V. cal. decemb. 1599.

6. GRATIANUS EPISCOPO CUIAVIENSI.

Carolo fratris mei filio has litteras tibi reddendas dedi, eique mandavi, ut te conveniret, viseretque meis verbis, seque istic in tua fide atque auctoritate fore tibi profiteretur, et quid agas, ut valeas, ut diuturnam molestiam tam lentae quartanae feras, ut cura ac temperantia tua lenias, ad me scriberet. Eum ego Romam erudiendi gratia misi, et in contubernium convictumque eorum tradidi, qui ex Iesuitarum disciplina atque in ipsorum maxime scholis instituuntur. Istis enim praeceptoribus nunc valde plauditur, ac sub iis potissimum magistris videntur adolescentes, et in litteris optimarumque doctrinarum studiis proficere, et quod omni doctrina praestantius est, castis et probis moribus ad religionem et pietatem, sine qua probitas ipsa castitasque nulla est, imbui atque instrui. Cupio autem in eo, vel ob id cum aetate bonas quoque adolescere artes, ut quem heredem perpetui atque singu-

laris mei erga te amoris atque observantiae relicturus sum, ne te quidem susceptae iam nunc erga illum benivolentiae unquam paeniteat. Vale, pridie idus decemb. 1599.

CLEMENS PAPA ·VIII· (1)

ANTONIO MARIAE GRATIANO EPISCOPO AMERINO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Facit vetus noster in te amor, ut tua omnia praecipuo quodam affectu sentiamus. Itaque cum ex dilecto filio nostro, et secundum carnem nepote, Cardinale sancti Georgii, et ex litteris quas ad eum scripsisti, cognovissemus de obitu Aloysii germani atque unici fratris tui, cuius animae Deus aeterna gaudia largiatur! sane commoti non mediocriter sumus, et iustum dolorem tuum doluimus. Homo enim est humanitate praeditus; tum ille id a te promeritus erat, ut scribis, ut eum natu maiorem, sed obsequiis erga te minorem, toto ex animo diligeres. Accedunt domestica onera, quae narras, tot nubilium filiarum, quas reliquit, et unius maris impuberis. Sed quid agas, frater? Ex hac lacrimarum valle hos fructus colligimus. Nos quoque quot carissimorum fratrum funera extulimus, et ante nos praemisimus! qui ex tot fra-

(1) Inter italicas Ant. Gratiani mss. epistolas una extat, qua fratris sui obitum Venetiis ·IX· calendas februarii an. 1798. significat ipsiusmet fratris uxori. Domesticum hunc dolorem Clemens ·VIII· tunc pontifex lenire voluit hac epistola, quae cum sit Gratiano nostro perhonorifica, et latinitate Silvii Antoniani commendetur, non incongruam epistolaris huius collectionis clausulam existimavimus.

tribus, quorum complures meministi, soli relicti sumus. In Dei voluntate acquiescendum est. Hoc unicum perfugium, hic portus in huius vitae tempestatibus tutissimus. Quare fraternitatem tuam hortamur, ut excites virtutem tuam, et qui alios multos consolatus es, te ipsum consoleris in eo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; quod te facere pro tua prudentia et pietate non dubitamus. Fratri vero mortuo gratulemur, quod tam pie et christiane, ut scribis, in Domino et in tuo complexu obdormivit. Deus autem, qui tui sollicitus semper fuit, te et res tuas gubernabit. Tibi vero quam humiliter petisti apostolicam benedictionem nostram paterne impartimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris pridie cal. februarias ·M·D·XCVIII· pontificatus nostri anno sexto.

Silvius Antonianus.

DE CARMINIBUS ALIQUOT

IOHANNIS FRANCISCI CARDINALIS COMMENDONI

MONITUM.

Idem codex, qui A. M. Gratiani epistolarum libros nobis exhibuit, Cardinalis quoque Commendoni, qui Gratiani perpetuus patronus fuit, complura continet latina poëmata, quorum nonnisi quinque brevissima, in laudem operis Hippolyti Salviani, quod aquatilium animalium historia *inscribitur, edita fuerunt in praedicto libro an.* 1554. *Reliqua latent hactenus, quorum nos partem aliquam nunc sumus vulgaturi. A. M. Gratianus in Commendoni vita lib. I. cap.* 3. *ubi de studiis eius iuvenilibus loquitur, haec habet: "captus primo „ poëtarum suavitate, ita se poëtices studiis, legendisque „ ac scribendis carminibus dedidit, ut inde praecipuam sibi „ famam comparaverit, ita ut cum claris viris conferretur, „ qui poëtices laude praestare tum existimabantur.„ Deinde cap.* 8. *idem Gratianus pergit dicere, poëticam facultatem fuisse Commendono iuveni primam apud Iulium III. pontificem commendationem. "Hortos Iulius extra portam Flaminiam sumptu atque opere sane magno aedificabat. In „ eos nobilis ac vetusti fontis aquam virginem duxerat. Antiqui operis statua eam virginis sopitae somno ac super „ urnam recumbentis effundebat. Hanc celebrari carminibus „ varii generis, prout spatia lapidum erant, quibus incidenda essent, et Iulius iussit, et certatim non Romae solum, „ sed per Italiam quoque arrepta materia est decoris ingeniis. Commendonus illud studium suum, quo a pueritia „ fuerat incensus, deque animi ad eam rem impetu plurimum remiserat. Sed tum incitatus studio Pontificis, et „ contentione eruditissimorum hominum, et ipse epigrammata aliquot et argumento et intervallis apta composuit.*

„ *Quae cum Iulius legisset, (et habebatur talium peracutus* „ *aestimator) non probavit modo, sed omnibus praelata in-* „ *sculpi protinus iussit.* „ *Quod autem mox Gratianus addit, post id tempus desivisse prorsus in Commendono rei poëticae studium, id parum accurate dictum videtur; quandoquidem Commendoni versus et ad Paulum IV. PP. et in obitu Pii V. habemus in codice vaticano, quo tempore quadragesimum octavum aetatis annum Commendonus agebat: is enim anno* 1524. *natus est, Pius autem anno* 1572. *caelum cum terra commutavit.*

Age vero quum in sexto Spicilegii volumine prosae orationis specimen ex Commendono attulerimus, nunc aliquot eiusdem carmina, atque in primis fortunata illa de aqua virgine in hortis Iulii pontificis, et de pulcherrimo virginis simulacro, aquam illam ab urna fundente, libenter heic proferam ex dicto codice, quoniam lapides cui insculpta fuerant nusquam hodie iam apparent. Antea tamen audiamus virum cl. Hieronymum Lagomarsinium, qui in ms. dissertatione italica, codici adnexa, sic loquitur. "*Supersunt ad-* „ *huc extra portam Flaminiam, in dextra parte euntibus* „ *ad pontem Milvium, apud palatium, quod vulgo dicitur* „ Iulii papae, *horti illi, haud tamen ut olim ad delicias* „ *culti, sed vitibus plerumque et oleribus consiti. Et virgo* „ *quidem aqua abundanter ibi non uno in loco scaturit, ve-* „ *rumtamen neque virginis statua, neque urna, neque ulla* „ *marmora aut incisa epigrammata uspiam visuntur. Sed* „ *duo tamen fortuito superfuerunt lapides, muris infixi qui* „ *aquae virginis scatebras circumstant, cum his egregiis in-* „ *scriptionibus, quas a me hoc anno* 1768. (inquit Lago- „ marsinius) *non sine labore exscriptas heic expono.* „

I.

IULII III. PONT. MAX. AUSPICIO

Balduinus eius frater praediolum suburbanum prope Flaminiam, ab Antonio patruo Cardinale olim animi causa comparatum, silva, hortis, villis, vinetisque contiguis, et cuiusvis plantarum generis numero paene infinito a se auctum, novoque ac politiore cultu nullo non loco directum atque illustratum, aqua virgine et fontibus saluberrimis e latebris terrae inaccessis, non minus ad commune omnium quam ad privatum commodum in lucem eductis, undique irriguum factum, salientibus, piscina, aviario, atque hoc quasi theatro admirabilis picturae, statuarum, emblematum splendore constructis, temploque in primis Deo opt. max., ac divo Andreae ab ipso Iulio pontifice erecto atque dicato, sibi, Innocentio Cardinali, et Fabiano comiti filiis, et eorum posteris, in ampliorem et augustiorem formam redegit. Praedium autem hoc ipsum, ac quicquid uspiam in eo ortum, cultum, structum, ampliatum, ornatum, vel in praesenti est, vel erit in posterum, sive totum sive aliqua ex parte, cuiusque modi et quantula ea cumque fuerit, praeter ipsos fructus, uti nullo prorsus precio, nullo pacto, nullo iure, cuiquam unquam alicubi vendi, obligari, donari, aliove quovis modo alienari possit, testamento in perpetuum ab eodem Balduino omnibus est interdictum, ne de nomine exeat familiae suae.

II.

Deo et loci dominis volentibus, hoc in suburbano, omnium si non quot in orbis, at quot in urbis sunt ambitu, pulcherrimo, ad honestam potissime voluptatem facto, honeste voluptarier cunctis fas honc-

stis esto. Sed ne forte quis gratis ingratus siet, iussa haec ante omnia omnes capessunto.

Quovis quisque ambulanto, ubivis quiescunto, verum hoc citra somnum. Circum septa passim quidlibet lustranto, ast nec hilum quidem usquam attingunto. Qui secus faxint, quidquamve clepserint aut rapserint, non iam ut honesti moribus, sed ut furtis onusti in crucem pessumam arcentor.

Ollis vero qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint, villici pro anni tempore, pro rerum copia et inopia, proque merito cuiusque, largiuntor.

Aquam hanc, quod virgo est, ne temeranto; sitimque fistulis non flumine, poculis non osculo aut volis extinguunto.

Piscium lusu oblectantor, cantu avium mulcentor; at, ne quem interturbent interim, caveuto.

Signa, statuas, lapides, picturas, et cetera totius operis miracula, quamdiu lubet, obtuentor, dum ne nimio stupore in ea vertantur.

Si cui quid haud mirum videbitur, eorum caussa, quae nemo mirari sat quivit, aequo potius silentio, quam sermonibus iniquis, praeterito.

Dehinc proxumo in templo Deo ac divo Andreae gratias aguunto, vitamque et salutem Iulio ·III· pont. max, Balduino eius fratri, et eorum familiae universae plurimam et aeviternam precantor.

Huic autem suburbano speciem atque amplitudinem pulchriorem in dies maioremque, ac in eo quidquid inest, felix, faustum, perpetuum optanto.

Hisce actis valento, et salvi abeunto.

Hactenus iulianae villae inscriptiones in Lagomarsinii schedis: quam ego villam quum hoc anno 1842. *forte inviserem, mirabar potentiam temporis omnia transformantis; vacuum nempe palatium, atque uni commissum seni custodi; picturas quidem parietum partim certe superstites et adhuc floridas, sed statuas plerasque ablatas, aquaeductus magnam partem effractos, cavaedia silentia et herbida, inculta nemora, vineas ad dominos varios translatas: ubi vero in stabulis aurati currus et bullata ephippia olim nitebant, atque equi regii alebantur, ante hos postremos annos boum nosocomium collocatum fuit; et nunc demum, hoc quoque amoto, tristes ibi custodiuntur sandapilae, quae cadaveribus efferendis cholerico morbo, heu quam graviter saeviente! fuerunt adhibitae.*

Nunc Commendoni de aqua VIRGINE, et de VIRGINIS simulacro ibi recubantis, venusta epigrammata, si non omnia, partim saltem recitemus. Quibus postremo pauca alia carminum Cardinalis eiusdem specimina subiungemus.

IOH. CARD. COMMENDONI

CARMINA.

I.

Nympha loci niveosque sinus pectusque pudicum
Tecta iacet, crines fusa, supina caput.
Virginei flos oris hiat, patulisque labellis
Halat inoffenso blanda sopore quies.
Dextra iniecta humero tereti labentia tergo
Colligit in parvos lintea pressa sinus.
Laeva comes lateri pronae superincubat urnae,
Qua nitidis virgo desilit unda vadis.
Et fovet algentes latices levis halitus almi
Pectoris; haud alio mitior aura loco est.

Ede diu molles animas, genialia fontis
Flumina! Sic felix irriget ora sopor!
Sic et nympharum princeps celebrere choreis!
Sic tibi perpetua defluat amnis aqua!
Rexque paterque hominum totum qui temperat orbem
Saepe suam dicat, semper Iulus amet!

II.

Tibure ducta, patris sub Iuli montibus aureis,
Foeta undis virgo delicias pario.

III.

Casta verecundis oculis pete virginis hospes
Limina, virgineas et pete purus aquas.
Labitur una vadis virgo, cubat altera virgo,
Sacra vides geminis marmora virginibus.
Labilis in blandos dum murmurat unda susurros,
Sub Iuli dormit munere nympha loci.
Et somnum et violare sacrae vada virginis, hospes,
Parce, bibe, et domino laeta precatus abi.

IV.

Quisquis ab aurorae populis et luminis ortu,
Quisquis ab occasu pelagoque, ruente quadriga,
Sive aestu nimio, sive ustis frigore ab oris,
Cernis inexpletis oculis haeresque tuendo
Eximia forma recubantis virginis ora,
Compositosque in somnum artus, propriumque quieti
Obrepens per membra decus, placidisque labellis
Molliter halantes tranquilli flaminis auras;
Hoc volo te monitum paucis, ignarus Iuli
Ne forte in legem commisso, principis iram
Offendas, graviter teneros violare sopores,
Virgineosque manu latices temerare profana
Ausis, Oreadum cum sit castissima princeps.
Virgo est quam spectas efflantem pectore somnum,

Virginis ad blandae crepitantia murmura lymphae.
Scilicet haec olli pater ocia fecit Iulus.

V.

Sum fons virgineus, fluenta pura,
Aqua virginea virginis puellae,
Nitori sacer, et sacer pudori.
Immundi procul este et impudici.

VI.

Virgo puella, virgo aqua est.
Aut purus hospes adi, aut abi.

VII.

AD CARDINALEM SIRLETUM.

Quemnam ego te appellem? vel quo te nomine signem?
Divitiis sapientis aquae pleno ore fluentem,
Vasta animae memoris vi omnia circumplexum
Oceanum, velque ipsa oblivia capta trahentem
Sirletum, Lethes iterum submersa palude
Victorem? Qui cuncta unus monumenta virorum
Sive Syris Latiisque olim seu scripta Pelasgis
Praesens mente tenes, collectasque undique condens
Semper inexhausto depromis pectore gemmas.
Anne tuos potius castae pietatis amores?
Utque licet nimis et contempto forsitan auro
Fortunam superante manu mirer te animo amplo
Aurea facundae manantia flumina linguae
Aequantem? Innocuos an nullo crimine mores
Exemplo promptuque pari sermone loquentes,
Allicientem homines in caecae oblivia vitae,
Perque salutares divinitus aetheris auras
Monstrantem certi cursus compendia caelo?
Salve, oh! Hesperiae, et nostri decus ordinis ingens!
Thesauro rerum et verborum fonte perenni,

Congestisque opibus tantis, locupletior heres
Scriptorum, quos prisca tulit foecundior aetas.
Viribus aucte novis, o terque quaterque beate
Salve, nosque diu donis caelestibus orna,
Temporaque heroum monitis expressa repone.

VIII.

AD PAULUM IV. PONT. MAX.

Sancte heros, mundi columen labentis Averno,
Quem veterum exemplar morum, quem relligionis
Pervigilem excubiis custodem, et pectore firmo,
Casto assertorem eloquio pietatis avitae,
Admirata diu, demum dedit oscula plantis
Roma, iubente Deo et nostros miserante labores;
Quam nos in tanta rerum caligine, et Orci
Praestigiisque dolisque ruentes erigis in spem!
Salve heros atavis, heros heroibus orte,
Quasque tibi proprias superi fecisse dederunt
Caelestes curas, et relligionis amore
Efferventem animum factis ingentibus exple,
Immensique laboris opus (res postulat) urgens
Aggredere, excelsae menti datur aequa potestas.
Solis inextincti sublimis regia, solis
Aeternum geniti, quam tu, Pater optime, terris
In genus humanum summi pietate parentis
Structam opere immenso, et pretium superante labore,
Caelesti eloquio radiisque salubribus orbi,
Virtutisque tuae exemplo et pietate serena
Exprimis incolumem propriisque coloribus ornans,
Pandis inexhaustos puri candoris honores etc.

IX.

DE VICTORIA CHRISTIANORUM AD ECHINADAS.

Ut crucis elatum sublimi e vertice classis

Terris et caelo semper venerabile lignum
Fulsit etc.
Procubuere, omnes pretiosa in vulnera fixo
Eminus obtutu, gemebundi et pectoris ictu
Dux procerumque cohors pugnaeque accincta iuventus.

X. (etc.

IN OBITU PII V.

Ergo ne tanta ruunt flammato fulmina caelo?
Ergo ne caelitibus tantae clementibus irae?
Orbis Atlas, caelestis Atlas, quo publica firmo
Cardine nixa salus, et quo stetit ardua virtus,
Cana fides, populi cultus, reverentia regum,
Et castae incolumis maiestas relligionis;
Concipiens caelos, terrarum margine maior,
Par Superis pietate Pius, sublatus olympo est?
Ergo ne in infensas astris, Hecatesque triformis
Lunatas acies, et vero sole carentes,
Perpetuumque piorum hostem immanemque tyrannum
Collatis signis rerum discrimine tanto
Commissa est Europa Asiae felicibus armis,
Sospes ut in cassum cedat victoria retro?
O pietas, o prisca fides! decussa magistro
Classis iter repetat victrix? Quis publica curet
Commoda? ne primis studiis dilapsa fatiscant
Foedera, quae nixu nimio et duro edita partu
Vix tanto studio, tanto aegre iuncta labore
Et probitate sua, et vi invicta relligionis
Fortiter unâ Pii dextra indefessa tenebat. (1) etc.

(1) Postrema haec tria poëmata sunt satis prolixa.

DE PETRI BEMBI
ET ACTII SYNCERI SANNAZARII
CARMINIBUS ALIQUOT.

Poëtico Cardinalis Commendoni specimini, maioris multo famae ac suavitatis poëtam subtexere placet Petrum Bembum, qui fuit aeque romana purpura ornatus. Ab hoc enim plurimos iuvenili praesertim aetate dictatos versus scimus, qui non omnes ad typographorum manus venerunt; veluti poëmatium heroicum de Sarca fluvio, quod in vindobonensi codice contineri nunciavit Apostolus Zenus Epist. ed. sec. T. III. p. 30. *Ego vero exemplar huius in Italia nactus, novum hoc bembinae elegantiae documentum divulgare non detrectavi. Est autem ingeniosissimae fabulae argumentum hoc.*

Sarca fluvius (is qui e tridentinis alpibus in Benacum influit) filiam Gardam (quod est nunc oppidum ad eius lacus ripam) legitimam sibi coniugem a Benaco patre impetravit. Connubii conditiones fuerunt, ut Sarca aquas suas cum Benaco, qui tunc tantum rivulus erat, misceret; ita ut inde lacus efficeretur qualis quantusque nunc cernitur, eique Garda nomen imponeretur. Parantur igitur nuptiae, ad quas finitimi celebrandas tum terrestres tum fluviatiles Dii concurrunt. In his fatidica Manto, futura fata ad thalamum praecinit, nempe quod e Garda naturus sit filius, id est fluvius Mincius, is qui Mantuam a filio vatis Mantus aedificatam stagnantibus aquis cingit. Porro ex hoc Mincio et Maia nympha andina (nempe oriunda pago dicto Andes) oriturum poëtam maximum Virgilium, cuius poëmata summatim recensentur. Hunc autem in Calabris extinctum et Neapoli in colle Paupilypo sepultum imitaturos fore postremis saeculis Iovianum praesertim Pontanum, et Actium Syncerum Sannazarium, quorum magnifiis laudibus carmen suum Bembus concludit.

Bembi poëmati subiecci inedita aliquot Sannazarii praedicti carmina, quae in eius autographo vindobonensi (cuius ego italum vidi exemplar) adhuc latebant.

PETRI BEMBI

PATRICII VENETI ET POSTEA CARDINALIS

POEMA HEROICUM CUI TITULUS

S A R C A.

Pierides magno genus ab Iove, queis labor alto
Asserere interitu clarorum gesta virorum,
Longaque consulere involvant ne saecla tenebrae,
Neu subeant animos priscarum oblivia rerum;
Linquere si gelidas Permessi fluminis undas,
Murmuraque Aonii fontis rupemque potestis,
Alato quam excussus equo sacer abluit amnis;
Huc, precor, huc non sit grave concessisse: fluenta
Hic quoque sunt virides inter labentia ripas,
Hic quoque perspicui fontes et amoena vireta.
Nec procul umbrosae valles, tacitique recessus,
Prataque nec pictis distincta coloribus absunt.
Benaci ad ripam dulces captabimus umbras,
Antiqui donec referam connubia Sarcae,
Et Gardae liquidas translatum nomen ad undas.
Sunt ignota quidem, et multis haec obsita saeclis;
Vos meminisse tamen, vos et memorare potestis.
Eia agite, ipse lacus sternit cantantibus undam,
Nec fremitu assurgens, nec fluctu concitus ullo.
Sarca (1) erat alpinos inter clarissimus amnes,
Qui montana ruens inter fragmenta sonanti
Gurgite praecipiti spumans delabitur unda.
Hic dum forte Arci per vallem et pinguia culta
Mitior allapsu leni rigat arva, suasque

(1) De Sarca fluvio, qui superne in lacum Benacum influit, Cluverius Ital. antiq. T. I. p. 414.

Attenuans vires per prata virentia fundit,
Tectus harundinea madidum caput extulit umbra
Gurgite de medio, circumspectansque subinde
Hinc atque hinc laevae deflexit lumina ripae.
Atque hic umbrosam prope morum visa fluentes
Pectere nympha comas ad solem, quas modo fontis
Egelidi intingens secreta laverat unda.
Benaco hanc olim rapta de Balbide nympha
Progenitam, dici Gardam voluere parentes,
Cedentem nulli vultus formaeque nitore
Quae nemora alta colunt fontesque aut stagna Dearum.
Sed tunc non magno saliens Benacus ab ortu
Rivus erat (1), modico qui stagnans gurgite laevam
Vallis ad apricae partem secesserat, alta
Dum timet ad dextram labentis flumina Sarcae.
Huius ut ad roseos defixit lumina vultus,
Si me, virgo, tuis non dedignabere taedis,
Ne me aliquem credas, inquit, de plebe creatum.
Ille ego sum aëreis qui nascor in alpibus, in quem
Innumeri exonerant nivium sua pondera montes;
Qui convulsa trahens non uno ex vertice saxa
Vorticibus vallem rapidis hanc Sarca pererro.
Omnia cum libuit sterno sata, votaque spemque
Agricolarum eludo; at cum libet, arva remisso
Flumine perlustro, et florentia rura peragro,
Humorem glebis tacitum atque alimenta ministrans,
Ut poma evincant ramos, atque horrea messes,
Efficio; sic finitimis dominamur in agris.
Dicere plura parabat, at illa rubore decentes
Interfusa genas, veluti perfuderit ostro
Siquis ebur, roseis vel candida lilia sertis,

(1) De hoc Fracastorius in epigrammate quod incipit: *laurum et citrum*.

Effugit, et medio haerentem sermone relinquit.
Tum Sarca in vitreas Benaci prorúit undas,
Atque illum his audens compellat vocibus ultro.
Ex aequo tecum est animus, Benace, pacisci.
Legitimos Gardae, Divos quod tu ipse precari
Nunquam ausus, nunquam tibi quod contingere posset
Sperasses, thalamos peto: pacem aeternaque tecum
Foedera percutiam: inter nos satis hactenus esto
Ira certatum atque odio. Quam ferre maritis
Consuevere nurus dotem, non ferre recuso
Ipse meae sponsae. Mansuri pignus amoris
Confundam mea regna tuis, discrimen aquarum
Sit nullum inter nos, nomen cedamus uterque,
Tu natae ut dotem exsolvas, ego munera nuptae.
Garda tui simul et nostri sit gurgitis heres.
Atque hic praecipue nostro qui flumine cretus
Hanc vallem implebit magni lacus aequoris instar,
Ventura ut posthac connubia nostra loquantur
Saecula, et aeternum nostros testentur amores,
Signetur placet egregio de nomine Gardae,
Garda sit ut nullo per me non nobilis aevo.
His pater auditis, fugat omnem mente timorem
Atque odium; bene consultum nataeque sibique
Esse putat vel coniugio vel munere tanto.
Moxque manum iuveni intendens, haec insuper addit:
Non haec, Sarca, Deûm veniunt sine numine; mentem
Caelicolûm pater hanc tibi summo inspirat olympo,
Qui statuens odiis ut res utrinsque sepultis
Laetius assurgant, paribus communia regna hacc
Auspiciis iubet et sceptris moderemur iisdem.
Nulla tuis per me fuerit contentio dictis.
Cuncta probo, gener ipse places ante omnia; natam
Unica quae nostrae spes est iucundae senectae,

Quod tibi quodque illi sit faustum, spondeo; dextra
Polliciti et veri posthac sit pignus amoris. (haec
Inde manum pallentis adhuc multumque timentis
Attollit natae, generoque innectit, et esto
Hic, inquit, tuus auspicibus Dis, Garda, maritus;
Cum quo mox pulchra videam te prole parentem.
Illa verecundo niveum os perfusa rubore
Sidereos terrae vultus et lumina figit,
Insperata premens occulta gaudia mente.
Ergo diem placuit certam statuisse, iugales
Qua thalamos ineant, qua sollemnes hymenaeos
Concelebrent: it finitimas vaga fama per urbes,
Perque agros, montes, vicinaque flumina, perque
Silvicolas Dryades et amantes rura Napaeas.
Antrum ingens fuit excelsa sub rupe cavati
Montis, ab ingressu patulo quod protinus ore
Panditur introrsum, mox in spatia ampla recedens,
Humida per varios partitur tecta recessus.
Desuper irriguo dependent pumice saxa,
Et circum viridi stant picta sedilia musco.
Vestibuli ad dextram ramis florentibus hortos
Aprici claudunt scopuli, quibus aspera nulla
Tempestas viridem foliorum excussit honorem.
Non annus variare vices, non tempora norunt.
Semper odoratis pendet vindemia citris
Aurea, surgenti semper subit altera foetu;
Quaeque super gravibus pomis nova poma recumbunt,
Prospectu vario tabulata per alta renident.
His, quae massylio quondam servata draconi
Herculeae carpsere manus, his naufragus heros
Dulichius quae Corcyrae miratus in hortis,
Invidisse queant. Haec magni regia Sarcae
Tunc fuit; huc fessum se se referebat ab undis

Cum libuit longo vires reparare labori.
Hic ergo in mediis thalamus penetralibus ingens
Erigitur pedibus pariter sublimis eburnis
Et gradibus variis; tum sponda illusa figuris
Utraque, nunc auro nunc dente intexitur indo.
Conclavi thorus in medio velatur amictu
Purpureo, spinis horrens quem carduus ambit
Aureus, et foliis et lento vimine limbum
Saepius intexens, et eodem margine currens.
Parte alia priscis pendent variata figuris
Aulaea, intextis quae non Atrabata Gallis
Misêre, aut Morinum extremae gens ultima terrae,
Sed quae parmensi doctae de vellere nymphae
Texuerant vario pariter distincta colore.
Nam procul hinc agmen ramosis cornibus errat
Cervorum, incessu gestans capita alta superbo.
Illic auriti lepores, capreaeque fugaces,
Demissis aliae longis cervicibus herbas
Attondent, aliae per mollia prata recumbunt,
Nonnullae arrectis pavitantes auribus adstant.
Ergo dies optata aderat; montana relinquit
Proxima quisque; ruunt Baldi de vertice nymphae
Grandia vimineis portantes dona canistris.
Quaeque Nagum educto positum sub vertice, quaeque
Torbilis ima colunt oleis bene consita saxa.
Tum Melsemninae vallis quae rura frequentant,
Quaeque his Lenaec pater clarissima donis
Praedia non procul hinc, mensas queis nulla secundas
Uberius decorant pomis aut dulcibus uvis.
Quatuor ante alias forma venere sorores
Egregia, fidibus doctae et cantare peritae,
Nobilis antiquo Nogarolum a sanguine proles.
Harum si ingenii cultum respexeris, ipsae

Vicino cupiens Athesi placuisse roganti
Nympharum commissa viris longa agmina mittit.
Nymphis compressae corpusque et bracchia vestes
Substringunt, gremium crispo sinuatur amictu,
Colla humerosque breves claudunt velaminis orbes
Pectora nectentes et candida guttura nexu
Aurato, tum serta premunt his florea crines,
His flava incingunt gemmantes tempora cycli.
Intactis facies nivibus certare, capilli
Flaventi possunt auro, tum lumine partim
Caeruleo, partim glaucis variantur ocellis.
At iuvenes tunicas pertusi in mille fenestras,
Et patrio pictas gestantes more lacernas,
Virgatosque sagos, incedunt ordine longo.
Tympana rauca animos, et acuto tibia cantu
Exhilarant, gressumque sono moderantur eodem.
Arma illis humero ferratae cuspidis hasta,
Et lateri fidus qui numquam ponitur ensis.
Ast Athesis magno Sarcae devinctus amore,
Nec minus antiqua consanguinitate propinquus
Eligit ex omni numero turbaque clientum
Bis denos, quibus assueto compescere in alveo
Mandat aquas se absente, aliis hunc praeficit undis,
Hunc aliis, varient solitos ne flumina cursus.
Praecipit his curare sinus, tortosque reflexus
Undarum, ast illis rectos intendere cursus
Per valles campi spatiosa per aequora molles.
Ipse his compositis, centum praemittit ab omni
Lectas natarum numero, totidemque ministris
Stipatus, veteris petit alta palatia Baldi;
Atque ad neptis avum thalamos comitatur euntem,
Grandaevumque senem grandi comitatur honore.
Illum mille viri laetantes, mille sequuntur

Matres atque nurus, pueri, intactaeque puellae.
Illa patrem blando compellat Hamadryas ore,
Illa salutat avum, tendentes brachia parvos
Protendunt aliae poscentis ad oscula natos.
Omnibus his tenues capitum velamina vittae
Exertis immissae humeris, virgataque multis
Palla modis late niveos circumtegit artus.
Tu quoque barbarico nimium Verona furori
Obvia, et alpinae infelix male proxima genti,
Posterior nulli officiis donisque fuisses,
Ni tua cinxissent fulgentes aere cohortes
Moenia, et horrisonis quateret tunc ictibus urbem
Plurima contorquens ferri grave machina pondus.
His super advenit Phoebi thebana sacerdos
Interpres Manto, quae post tibi, Mantua, nomen
Indidit, auspiciis postquam felicibus urbem
Filius, et Musis dilectas condidit arces.
Venerat Hesperiam paucis haec ante diebus
Crudeles fugiens dircaea ex urbe tyrannos,
Cui pater ipse (1) suas primis monstrarat ab annis
Solamen rapti quondam sibi luminis artes
Fatidicas, dederatque ignaram haud esse futuri.
Haec ut coniugium Dis hoc auctoribus esse
Decretum, atque huius venturum a stirpe nepotem
Inferat, ingenio qui se sublatus olympo,
Praescia fatorum cernebat, lacta penates
Confertos hominum turba matrumque subibat,
Gratatura novis, quibus haec ignota, propinquis.
Decedunt omnes vati, mirantur et omnes
Illam incedentem, et longa se veste ferentem,
Tum lauro et niveis redimitam tempora vittis
Insigni ante alias venerati sede locarunt.

(1) Scilicet Tiresias.

Interea positis omnes longo ordine mensis
Discumbunt, epulas cumulatis lancibus alte
Praecincti apponunt famuli; tum pocula cuique
Stant sua creteo primum spumantia Baccho;
Inde mero nigrum simulanti plena falernum;
Mox tridentinae servant quae frigida cellae,
Pressaque nobilibus ponuntur rhaetica prelis,
Quaeque dedit fervens ardenti sole Maranum,
Quaeque incincta iugis Annonia vallis apertis.
Tum variare dapes pergunt, semesaque tollunt
Fercula, substituunt alio condita sapore.
Integer has onerat mensas aper, has simul implent
Cervorum et verubus caprearum tosta colurnis
Viscera, non desunt lepores variaeque volucres,
Et pavo, et perdix, et habens a Phaside nomen,
Quem genitrix quondam crudeli caede peremptum
Apposuit patriis epulandum perfida mensis.
Postquam epulis fine imposito, sublatus edendi
Est amor, assurgunt choreis iuvenesque nurusque,
In numerumque pedes concordi lege moventes
Alternis agitant deductum cantibus orbem,
Aut bini inter se manibus per mutua nexis.
Interea occiduo surgens taciturnus olympo
Vesperus exacta referebat luce tenebras.
Ecce autem abductis sese penetralibus effert
Tecta verecundos croceo velamine vultus
Garda micans, roseo qualis cum Lucifer ortu
Oceanum linquens radianti luce tenebras
Excutit, atque alios praecellens occulit igues;
Haud secus illa alias forma supereminet omnes,
Quae circum egregio glomerantur corpore nymphae.
Nec mora, prorumpunt Hymenaeum accire canentes
Hi primum, argutis respondent vocibus illae;

Exultant iuvenes laeti, exultantque puellae.
Et iam nox caeli medium perstrinxerat orbem
Indicens miseris curarum oblivia terris,
Cum turba et choreis et cantu fessa quievit,
Nec strepitu resonant ullo nec murmure tecta.
Tum vero varios vultu mutata colores
Assurgensque alta paulatim a sede sacerdos
Admovit thalamo se se dircaea iugali;
Atque immota manens tacitis utriusque pererrat
Coniugis ora oculis, donec decreta Deorum
Mente haurire queat, venturaque discere fata.
Verum ubi caelestis visa est arcana senatus
Concepisse satis, tunc longa silentia rumpens
Expectata diu tandem haec in verba resolvit.
Quis circum thalamos fulgor radiare decoros
Quem video? Non hic facibus diffunditur alte
Demissis, nitor est humana lampade maior
Vividiorque, Deos nobis denuntiat hic, qui
Ambrosius sentitur odor, venisse vocatos.
Ecce Hymenaeus adest auspex, et regia Iuno
Pronuba, iam citharam plectro Grynaeus eburno
Percutit auratam, viridis cui laurus ubumbrat
Tempora, cyrrhaeo modo quam de vertice Musae
Decerptam molli contexuerant hyacintho.
Lanificas etiam tres hic adstare sorores
Cernimus intortis ducentes stamina fusis,
Immoto decreta Iovis quae condita fato
Distribuunt miseris mortalibus; aurea magnis
Fila trahunt heroibus, et qui fortibus ausis,
Et qui praeclaris potuerunt scandere caelum
Ingeniis, numeroque addi meruere Deorum.
Talia sunt saeclis, ni fallor, Garda, futuris
Aurea, quae nostro debentur pensa nepoti.

Nam ne te fugiat quibus ingrediare iugales
Auspiciis thalamos, quibus aut connubia fatis
Haec fieri voluit magni dominator olympi,
Accipe fatidicus quae dat mihi noscere Phoebus.
Principio, Benace, tua, et tua flumina, Sarca,
Miscere inter vos et perdere nomen utrumque
Vallis ab ingressu, primisque a faucibus huius
Iuspicio; tum cuncta undis obducitur altis
Quam longe lateque patent quae cuncta videtis
Aggere ceu longo lapidosis montibus arva.
Finitimi te, Garda, colent dominamque vocabunt
Reginamque lacus, quem mox velut aequoris undas
Ionii ventis et vastis fluctibus actum
Plurimus audaci sulcabit nauta carina.
Huius ad extremi lateris gens accola ripam
Moenia clara tuum nomen testantia ponet.
Haec tua regia erit, cedent hic sceptra volentes
Virque paterque tibi, et totis dominaberis undis.
Illic te decimus mensis gratique labores
Lucinae iuvadent, et magna vocabere mater
Ingentis nati. Hic materni limite regni
Nescius arctari, collectis viribus alta
Franget claustra, minaxque italas perrumpet in oras.
Omnia vi patria primum loca proteret, agros
Agrorumque premet pelago mapalia vasto,
Ipsaque cum miseris rapiens armenta colonis
Regis ad Eridani fluviorum deferet undas.
Sed postquam Hesperiae caelum clementius ille
Hauriet, et terras lustrare assuescet amoenas,
Paulatim alpestres fremitus cursusque furentes
Exuet, et patrios dediscet tempore mores;
Donec perspicuis labens et mollibus undis
Assuetas leni gaudebit flumine ripas

Lambere, et innocuo per campos serpere lapsu
Mitius, unde agris qua sese infundet ab ipso
Mincius eventu dicetur nomine ducto (1).
Hic dum olim noster condet quas filius arces
Obductis incinget aquis, stagnoque patentes
Piscoso campos, et claram muniet urbem,
Gramineam ad ripam vitreis egressus ab undis
Iungitur andinae nostro de sanguine nymphae
Coniugio, quae par forma, nec nomine discors,
Nec minor insigni partu te Atlante creata,
Qua Divûm interpres, et culti maximus auctor
Editus eloquii, magni qui iussa Parentis
Fertque refertque secans liquidas talaribus auras.
Dii magni, qualem nobis quantumque nepotem
Nostra haec Maia (2) dabit! Felicior altera prole
Non erit in terris, nec toto clarior orbe.
Ecce novem iam nunc Aganippes fonte relicto
Haud procul hinc tacito qua flumine Mincius errat,
Aonias video parienti adstare sorores.
Lucina exceptum puerum tibi tradit alendum,
Calliope, atque aliis curam partita Camoenis.
Hac primum ex ipsa cui innixa puerpera lauro
Infantem ediderat, decerptis frondibus illum
Involvunt; hinc mollis amaracus atque rubentes
Suave rosae, et violae super insternuntur odorae.
Mox ori ambrosium infundunt pro lacte liquorem
Certatim Charites, Veneris quod munus ab alto
Demissum attulerant haec ipsa ad munia caelo.
Divinae huic inerat doctas vis mentis ad aures
Magnanimûm heroum qua decantentur honores.

(1) Conf. Virgil. aen. X. 205-206.

(2) Maia mater Virgilii, testibus Donato in vita eius, et Servio ad aen. praef.

Quippe sui Venus Aeneae indignata iacere
Nomen adhuc, scriptisque virum clarescere nullis,
Cum Thetidis nati praeconia clara ferantur
Docta per ora virûm nullis non cognita terris,
Constituit vatem primis effingere ab annis.
Qui latios inter princeps graiosque poëtas
Praecipuam sacro mereatur carmine laudem,
Buccina dardanium cuius per saecula regem
Laudibus illustret toto resonantius orbe
Quam larissaeum quae quondam ornarat Achillem.
Hic ergo ut florens annis adoleverit aetas
Musarum in gremio qua cura eductus, eadem
Pierias Phoebo sacer informabitur artes;
Et quia virgineum assuescet servare pudorem,
Virgineum (1) insigni nomen cum laude merebit.
Hic patris ad ripas patulae sub tegmine fagi
Inter oves, inter bene olentia gramina, carmen
Trinacrium latia primum cantabit avena.
Carmine quo taurus dulces oblitus amores
Deseret in silvis dilectam saepe iuvencam:
Ipsa quoque et vituli mater lactantis, et herbae
Immemor, ante pedes cantu stupefacta iacebit.
Mox pastorales saltus et roscida linquens
Pascua per domitos cultu spatiabitur agros;
Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
Vertere conveniat; quis cultus apesque pecusque
Augeat, et viti quae cura adhibenda, docebit;
Ascraeumque canens romana per oppida carmen,
Primus idumaeam referet tibi, Mantua, palmam.
Hinc phrygiam hesperias classem deducet in oras,
Quam dux dindymeae molitus monte sub Idae
Post varios casus post mille pericula rerum

(1) Dictus scilicet fuit Parthenias. Serv. ad aen. praef.

Dardanus ad tuscas appellet Tibridis undas.
Ante tamen libycam vento Didonis ad urbem
Delatus magno reginam accendet amore;
Cui postquam occasum Troiae fraudesque pelasgas
Erroresque suos narraverit, illa medullis
Concepti impatiens ignis, submittet amori
Iampridem resides animos desuetaque corda.
Sed postquam iliacas monitu Iovis aequora puppes
E specula aequatis velis sulcare videbit,
Pertundet phrygio flammantia pectora ferro.
Ille iterum siculas vento compulsus ad oras
Persolvet patrio ludos et clara sepulcro
Funera. Chalcidicas post haec adnabit ad arces,
Ingressusque lacus stygios penetrabit ad umbras
Pallentes Erebi, obductis loca caeca tenebris,
Elysiasque domos viset, sedesque piorum.
Tantum amor et cari poterit suadere parentis
Magnanimo pietas nato, laudumque cupido!
Mox Superûm reginae odiis, ubi semina belli
Clam sata Dardanios inter Latiosque vigebunt,
Coniuge promissa phrygius fraudabitur heros,
Ipsaque causa novi rursus nova femina belli
Accendet formosa procos ad proelia reges.
Tum claros ad bella duces populosque ruentes
Urbibus ex variis vates varia induet arma,
Inque aciem turmas equitum peditumque catervas
Committens, campos miseranda strage replebit,
Arvaque purpureis obducet sanguinis undis.
Ausoniae donec decusso flore virorum,
Et multis hominum demissis millibus Orco,
Coniuge et aetherea Turnus spoliabitur aura.
Tunc vero invidiâ Superûm (1), ne munera tanta

(1) Loquitur poëta in persona ethnica.

Si possessa diu miseris mortalibus essent,
Clara potensque hominum nimio plus gloria surgat,
Eripieris humo, mediisque locaberis astris
Aeternum caelo et terris victure poëta.
Victure aeternum, nam docta Neapolis ossa
Montibus in calabris primum defleta, sacrato
Antinianeis tumulo tua condet in hortis,
Posteritas ubi te venerabitur omnis et aetas
Successura tuos imitabitur aemula cantus,
Intendetque suos tua per vestigia gressus.
Tunc tibi vicinis lectos Sebetides agris,
Et quae Pausilypi, et quae Nesidos alumnae,
Certatim flores gremio calathisque ferentes
Ad tua odoratos effundent busta maniplos.
Immo etiam erectis aris tibi sacra quotannis
Thura dabit studiosa cohors, numenque vocabit
Ad sua quisque tuum conceptis carmina votis.
Te duce fraternas acies thebanaque septem
Castra ducum dulci cantabit STATIUS ore,
Carmineque haemonium latio illustrabit Achillem.
Te duce divinus longo post tempore vates
Proximus ingenio accedens IOVIANUS (1) et arte
Prisca poëtarum studia intermissa novabit,
Adverteus modulosque tuos numerosque decoros.
Nec temere hinc animos sumens sese efferet extra
Terrarum tractus, perque ardua nubila tranans,
Unde nives terris, unde imber et horrida grando
Dicet, et unde altos ferientia fulmina montes. (2)
Donec olorinis sublatus ad aethera pennis
Perque domos caeli perque alta vagabitur astra,

(1) Conferatur mira elegia lib. I. 9, quam Sannazarius scripsit de studiis suis, et de libris Ioviani Pontani.

(2) Ianuit Pontani librum meteororum.

Describens quae signa cadant, quaeque orta resurgant.(1)
Te quoque sollerti doctus suspendere carmen
Iudicio, teneris imitari assuescet ab annis
Actius, arcadicis quem grex eductus ab agris
Et Glauci a liquidis chorus admirabitur undis,
Ad Mergellinas dum nectet carmina turres.
Hunc tu virgineos partus prolemque Tonantis
Ad nostras hominum delendas sanguine culpas
Demissam, et poenas pro nobis morte luendas
Concinere, et tecum numeris certare docebis,
Idque adeo in templo quod sumptu atque arte superbum
Egregia, Divo gentili (2) ponet ad ima
Collis tristitias animo curasque fugantis
Actius ille sua ornabit qui saecula cultu
Ingenii, clarisque viris tenerisque puellis
Deliciae, toto vivens cantabitur orbe. (3)
His ergo atque aliis post saecula mille poëtis
Sidus ut arctoum sulcantibus aequora nautis
Dux eris, aeternosque inter numerabere Divos.
Salve, magne parens vatum antistesque verende
Musarum, ingenio quo non divinior alter
Ortus adhuc, neque venturis orietur in annis.
Salve, magne nepos; tibi nunc orditur avorum
Hic thalamus seriem; hinc ortûs primordia sumes;
Hinc tibi clara fluet clari natalis origo.

(1) Designat eiusdem libros de stellis.

(2) Adi sis Sannazarii elegiam lib. II. 2. in festo die divi Nazarii. Item epigram. lib. II. 37. 51. 60.

(3) Mortuo deinde Sannazario parentavit Bembus celebri disticho:

Da sacro cineri flores; hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

ACTII SYNCERI SANNAZARII

CARMINA INEDITA.

I.

AD FULVIUM SCALAM (1).

Dic mihi tam grato quid volvis, Scala, recessu
Quom vacet exhaustis Parthenope studiis?
Scribis quae recinant Vulturni ad flumina nymphae,
Nec cedant priscis carmina temporibus?
An te Maecenas per tanta negotia regum
Invitum solito distinet officio?
Quicquid agis, nam te numquam marcere putandum est,
Non es qui tradas pectora desidiae.
Nemo est, crede mihi, te fortunatior uno,
Nec quoi tot dederint numina delicias.
Tecum est dimidium nostri Chariteus Arion,
Qui mihi vel propria carior est anima.
Tecum Zenonis facundia clara diserti
Vivit, lucani spesque decusque soli.
Nec non romanis qui destinat otia chartis
Nelacoque socer Nestore amabilior.
Et quod suavius, et quod raro contigit ulli,
Est thalamus thalamo castior hectoreo.
Quod si fortunamque tuam mollemque iuventam
Noris, nec vulgi vixeris arbitrio,
Sublimi poteris contingere vertice caelum,
Et Deus humanis cedere flagitiis.
Hoc opus, haec tibi palma sacris gestanda triumphis,

(1) Scala vir disertus laudatur a Sannazario eleg. lib. I. 11; ibidemque Chariteus et Rutilius Zeno.

Si cupis extinctos vivere post cineres.
Me vero ambusti retinent vineta Vesevi
Cantantem teneras inter Hamadryadas.
Quem circum innumerae tondent sata laeta capellae
Haedorumque meis turba frequens gregibus.
Palantesque iuvat hominum spectare catervas,
Et procul angusto vivere praediolo.
Nec pudet attrita modulari carmina canna,
Nec rude rusticulo fundere ab ore melos.
Nec manibus nivei tractare coagula lactis,
Nec calathos lentis texere viminibus.
Hic vitae mihi finis erit. Sit dives oportet
Quoi cura extremos quaerere Gangaridas,
Et Nerei perferre minas, et fidere ventis,
Et navem ignotis credere littoribus.
Illi iure suas fundat Pactolus harenas,
Exhibeat fulvos India chrysolithos.
Ipse ego securus silvis et rure beato
Perfruar, et ponti murmura despiciam.

Est quoque alia elegia fortasse imperfecta, quae in editionibus non apparet, in codice autem ita se habet.

II.

AD LAURENTIUM MEDICEN (1).

Laurenti patrii decus et tutela senatus,
Inter et etruscos gloria prima patres;
Si me castalia docuisset Phoebus in umbra,
Oraque gorgonea nostra rigasset aqua;
Meque sophocleo donasset Musa cothurno,
Et foret in nostro grandior ore sonus;

(1) Comparetur cum Politiani elegia ad eundem Laurentium apud nos T. II. p. 31.

Non ego phasiacae canerem certamina Colchi,
Aequora non prima sollicitata rate;
Non coniuratos subvertere Pergama Graios,
Non Troiae profugos post duo lustra Deos;
Thebanasque acies, fratrumque immitia bella,
Sacvaque discordi funera rapta pyra.
Teque tuosque meo celebrarem carmine, nec me
Pignore tam grato dulce gravaret onus.

Ecloga, quae inscribitur Galatea, *in dicto codice prorsus differt ab illa quae sub eodem titulo reperitur in editionibus (Ecl. II.) Est autem haec inedita huiusmodi.*

III.

GALATEA.

Colle sub hoc mecum sedit Galatea; videbam
Et Capreas, et quae Sirenum nomina servant
Rura procul, veteres alia de parte ruinas
Herculis ambusta cingebat rupe Vesevus.

Tunc ego: cur Galatea gravem non despicis urbem?
Hic tibi consuetas formosior explicat umbras
Populus, et motae zephyris dant sibila quercus.
Si iuga, si fontes, si te silvestria tangunt
Pascua, et errantes per devia rura capellae,
Teque iuvat dulces pastorum admittere cantus,
Nos quoque non fragiles nunc primum iungere avenas
Discimus, impulsae norunt mea carmina valles,
Et mea maenaliis pendet iam fistula silvis.
Sin magis adridٍent haec littora, sin magis alti
Divitiae pelagi iucundaque murmura ponti,
Et fortunatae Divis praesentibus undae;
Quis melius vacuas sub aquis scit ponere naxas,

Et praetensa vagas ad retia cogere praedas?
Praeterea quicquid resonant haec littora, quicquid
Hi scopuli modulantur, habent quod dicere possis
Esse meum (1), docui nostras haec primus ad undas.
Quis melius fixas scopulis educere conchas,
Certius aut rigidum didicit iactare tridentem (2)
Scilicet, et sparsas sub aqua defigere praedas?
Non ego delphinis, te iudice, non ego thynnis
Gurgitibus mediis dubitem certare natando.
Me Ligurum durae rupes, me gallica norunt
Aequora (3), piscantem vidit me Varus, et ingens
Sequana, nec pelagi timui fera monstra britanni.
Quid tibi me iactem? . . .

IV.

In elegia lib. II. 10, *cuius inscriptio* mala punica, *ad Rabirium aegrotantem post distichon* nos quoque dum libycos *etc, ita in codice sequitur.*

Nos quoque mirata est posito Pomona bidente
Quom sua puniceo duxit in arva solo.
At tu qui tenui contentus sorte triumphos
Despicis, et miserae munera luxuriae,
Accipe nos facili dextra, facunde Rabiri,
Et siccam infirmo gutture pelle sitim.

In operibus editis eiusdem Sannazarii lib. II. elegiarum, sextus elegiae quartae versus est imperfectus vel potius nullus, qui in codice restituitur sic:

Arbor et eventu gaudeat ipsa suo.

(1) Intelligit suas eclogas piscatorias, quod est opus longe praestantissimum.

(2) Confer quae adnotavi in hoc tomo ad Sedulium p. 42-43.

(3) Itinera sua innuit, de quibus Vulpius in vita eius.

Abest etiam ab editionibus epigramma, quod est huiusmodi.

V.

IN CINNAM.

Quid tibi vis, insane? sacros quid tendis ad amnes,
Cinna, per ignotas heu periture plagas?
Digne capistrato Romam lustrare elephanto,
Atque suburranas risu hilarare vias.
Te ne Heliconiades, isto ten' Pallas amictu,
Ten' Phoebus calvo vertice respiciat?
Non est, crede mihi, non est tua nosse facultas
Parnassus quantum distet ab Anticyra.

Inveniuntur etiam nonnulli iambi in eundem Cinnam, qui non habentur in excusis, et sunt huiusmodi.

VI.

IN CINNAM.

Inepte Cinna, ceteris prorsum omnibus
Dature documenta insolentiae tuae,
Quae te maligna mens, quis impulit furor
Parvum, ut putasti, sed scelestum atque impium
Patrare facinus? An tibi, ignavissime,
Manes licebit vatis impetere optimi?
Mihi non licebit improbam ab radicibus
Istam tibi linguam eruere, et istos mala
Dentes nigros rubigine manu evellere?
Istasque tibi manus cruentas vindici
Falce amputare penitus, et acheruntica
Fugaculos istos pedes scutica insequi?

Deest quoque in editionibus Sannazarii scazon qui est huiusmodi.

VII.

DE PRISCO.

Priscus, Marulle, Priscus ille quem nosti,
Sectarum ocellus, dogmatum omnium cultor,
Antiqua solus dicta qui senum septem,
Omnesque callet atticae sales linguae,
Et quicquid alto cum silentio dixit
Osor fabarum ille Samius lupinique,
Zenonis heres, Socratisque successor,
Aristotelis idem et Platonis adfinis,
Cuius per urbem fama iam volat totam,
Romam perosus cum Neapolim nuper
Pexatus atque coccinatus intraret
Et disputantum vocibus sophistarum
Hinc inde septus per theatra per thermas
Iret supinus, et scholas poëtarum;
Occurrit illi parvulus quidem coetus,
Sed nec Minervae paenitendus aut Musis,
Qualem biceps Parnassus et virens Aon
Vix ante natum annis fuisse sexcentis
Credunt, et hoc verissimum esse contendunt.
Hic post salutes obviosque congressus,
Cum iam putaret Pittacum aut Solonem ipsum
Venisse, miro prosecutus adfectu
Per templa duxit, per vireta, per fontes,
Nec ullum omisit officii genus. At ille
Utpote malignus, insolens, inurbanus,
Negavit ullum rhetorem poëtamve
Vidisse se Neapoli. Sed hi porro
Deos per omnes caelitumque supremum
Iovem parentem deierare non cessant

. . . . huc usque philosophum sese
Nec hic nec alibi praenotasse terrarum.

Extant in codice etiam aliquot versus hendecasyllabi in maledicum quendam, cui nomen Acontio, qui aeque in editionibus non reperiuntur.

VIII.

IN MALEDICUM.

Paternos Pudericus (1) ad penates.
Quin doctissimus unus Italorum,
Qui me plus oculis suis amat, nec
Absentem patitur iacere, cultis
Pontanus meus ornat umbilicis.
Tum Summontius (2) inter eruditos
Pontani legit et colit libellos.
Pontano quoque vel iubente seras
Decantat Chariteus ad lucernas.
Illos et puto non tacebit unquam
Sacris Antiniana harundinetis.
Suspiras miser? at fleas necesse est.
Hos senariolos, inepte, quos tu
Nigris dentibus et nocente lingua
Audes carpere, regibus legendos
Dant Chrysostomus et Potentianus,
Nostros queis licet educare reges.
Iam suspendia cogitas, miselle,
Si novi bene te tuamque mentem.
Iam te discipulum crucis sed altae
Compellantibus hinc et inde ventis,
Iam cum vulturibus nigrisque corvis
Ludentem volo te videre, Aconti.

(1) De Puderico familiari suo Sannazarius ecl. ult. et eleg. lib. II. 2. Est autem acephalum hoc carmen.

(2) De Summontio extat Sannazarii epigramma lib. II. 9.

FRANCISCI PETRARCHAE

FRAGMENTUM.

Petrarchae itinerarium Ierosolymitanum, quod extat in tomo I. operum ed. Basil. anni ·M·D·LXXXI· p. 556- 564, est fine evidenter mutilum, adeoque supplendum ope praedicti codicis sic.

O fortunae fides! O rerum finis humanarum! Certe ut es ingenio promptus ac docilis (1), facile tantis ac talibus magistris, quantum prosperis sit fidendum disces perpetuoque memineris. Sed iam satis itum est, satis est scriptum. Hactenus tu remis et pedibus maria et terras, ego hanc papyrum calamo properante sulcaverim; et an adhuc tu fessus sis eundo, certe ego scribendo iam fatigatus sum, eoque magis quo celerius incessi; quod cum iter tu tribus forte vix mensibus, ego hoc triduo consummavi. Hic utrique igitur viae modus sit. Tibi domum, mihi ad mea studia redeundum est, quod ego confestim fecero, tibi vero plusculum negotii superest peragendum. Christi ope feliciter his spectaculis et hoc duce doctior nobis ac sanctior remeabis.

(1) Loquitur Petrarcha cum amico, cui hoc itinerarium quasi viae ducem scripsit.

IULII VALERII
DE REBUS GESTIS
ALEXANDRI MACEDONIS
SUPPLEMENTA QUAEDAM
EX CODICE TAURINENSI.

Praedictum opus Iulii Valerii a me olim editum fuit ex codice vetere mediolanensi, cuius tamen erant duae non exiguae lacunae, initio scilicet libri primi, et in dimidio secundi. Deinde in nova editione mea romana lacunas illas ope codicum vatt., qui eandem historiam, quamvis a nescio quo contractam et subinde variatam, exhibebant, utcumque reparavi. Ceteroqui nondum inter schedas meas repereram supplementa aliquot genuina, quae ex codice taurinensi ad me olim Mediolanum benigne transmissa fuerant a cl. V. Amedeo Peyronio. Nunc vero, quum haec oblivioni mandata fragmenta in chartis meis forte deprehenderim, ne ea vel casu aliquo vel certe obitu meo pereant, constitui heic in qualicumque libri huius parte deponere, et sic denique Iulium Valerium pro viribus resarcire.

. . . (1) equi fuisse Laomedontis eiusmodi praedicantur. Nec secus senserat Philippus, nam et actu corporis et linea pulchritudinis movebatur. *Addebant autem*: haec quidem, o rex, sunt in hoc equo talia; sed et vitium beluile, namque ut homines videt, in eiuscemodi pabulum saevit. Heu, rex ait, num illud in isto proverbium est, quod semper rebus bonis deteriora conlimitant? Enimvero, quoniam deductus est semel, claudi cum atque ali curavit sub claustris sci-

(1) Pertinet hoc genuinum fragmentum ad lib. I. cap. 7. seqq. ed. rom. ubi sermo est de bucephalo equo in aulam Philippi regis ducto.

licet praeferratis. Siquis enim subcubuerit legibus tristioribus huiusce rei, melius oblectabit is lanium. Et haec quidem rex; et cum dicto iussa complentur.

Sed interea Alexander iam annum duodecimum appellens, et comes patri fit, et usu armorum indui meditabatur; simulque cum exercitibus suis gaudebat, equis insiliens, et reliqua omnia miles ut poterat; adeo ut Philippus haec demirans, sic ad illum: o puer, plaudo quidem *viribus* et moribus tuis; eorumque aliud duco ad similitudinem nostri, aliud vero auctius quam ut sit ex nostra natura. Sed nunc mihi ad proximam usque iter est civitatem.

Quod dictum cum Olympias etiam usurpasset, profectusque Philippus foret non simili adfectu quo solitus, Nectanabum protinus repetit eumque consulit super clandestino mariti consilio. Qui cum, adsidente sibi Alexandro, ex arte illa astrica loqueretur, interpellat puer; et heus tu, inquit, istae, quas stellas appellas, agitant nunc in caelo ibique sunt? Et Nectanabus ita esse respondit. Possumus ergo istas videre, et oculis usurpare? Annuit posse. Tempus exigit; vesperum pollicetur; quod ubi advenerit, comitare, inquit, mecum ad campestrem locum, easque tibi in caeli choro lucentes ostendam. Recipit ita sese facturum, velut cupidus puer. Ergo ubi tempus est, progressus oppido, dabat videre Alexandro quae cupierat, non unam sed multas discenti puero. Cum magistro namque paulatim Alexander ad praescitam *fossam veniens*, hominem adpellens inpulsu impraeviso praecipitat; ibique letali ictu cervicis Nectanabus adflictus haec conquestus est: mi, inquit, fili Alexander, quodnam huiusce facti tui consilium fuit? At ille respondit: conquerendum igitur tibi est de arte ista, quam noveras; quippe nescius

quae te inpenderent, rimare illa quae caeli sunt. Ad haec magus: equidem, inquit, Alexander, laesum me letaliter sentio. Profecto nulli mortalium contra fatum permissa est fuga. Tum ille: cur isthaec, inquit? Respondit magus: olim quippe per hanc scientiam videram, fatale mihi fore, a filio interfectum iri. En igitur praescripta non fugi. Et Alexander: anne egò sum tuus filius? Ita esse confitetur, et fabulae reliquam subserit seriem, tum Aegypti fugam, tum ingressum suum ad Olympiadem, et tractatum, et amorem, et quanam arte potitus uxore sit ad similitudinem Dei. Et his dictis, anima exaestuat. Hic Alexander comperto quod pater sibi quem interfecerat fuerit, metuit eum in illo defosso insepultum et praedam bestiis derelinqui; nam et nox erat, et secretum quo venerat. Naturali ergo monitus adfectu superponit hominem humeris quam valentissime, et revectat ad regiam. Ut autem reversus ad matrem est, cuncta enarrat quae sibi supremo alloquio pater dixerat. Hoc demirata est mulier, et secus de se quam voluerat iudicavit, quod vanis scilicet artibus lusa, probritatem * fecerat. Nihilominus et sepelit quam decore Nectanabum, et ut patri filius sepulchrum erigit operosissimum. Fuitque inde praenosse, quid huic genti clausum iam deberetur; *cum* Nectanabus Aegypto oriundus in Macedonia sit sepultus, tantumdemque spatii e diverso Alexander rex Macedoniae *post* mortem suam foret Aegypto traditurus.

* Ita cod.

Enim Philippus Delphos misit super regni suique sollicitus successore, responsumque accepit in hunc modum: Philippe, is demum tuis omnique orbe potietur, et hasta omnia subiugabit, quicumque bucephalum equum insiliens, medium Pellae transierit. Vo-

cabatur enim equus, quem supra diximus, illo nomine; non cô modo quod corniculata fronte terribilis foret, sed quod inustio etiam quaedam fortuita eius coxae veluti taurini capitis imitamen insederat. Sed hac sorte recepta rex, opinionem fovebat praedici sibi Herculem iuniorem ex famula sibi natum.

At vero Alexander cum Aristotele iam tanto magistro uteretur, forte praeceptoris istius ad puerorum ingenia colligenda tale periculum extiterat: quippe cum plerique essent filii regum et optumatium nobiles, sigillatim ab his sententias rimabatur, ecquid sibi quisque polliceretur, si modo ad regnum patris succederet; aliisque operam, aliis gratiam dignitatesque amplissimas verbis laxioribus pollicentibus; ubi ad Alexandri sententiam ventum est, ut *si* ipse quoque foret Philippo successor, super futuro profiteretur, haud equidem mihi, ait, ut a sapiente isthaec sententia rideret; de futuris enim instabilibus et incertis fixam dicere sponsionem, errantis est benignitatis *et* flabilis, cum crastini ratum pignus nullus facile possederit; dabo tamen tunc quod facultas et tempus hortabitur . . .
. . . probata sis tutela benivolentiam circumspectam. Et ave, inquit, sane tu rex profecto mundane, cum isto prudentiae tuae pignore. Atque haec fuerat sententia de magistro adverso vulgo, ut qui percitus et vi mentis calentior habebatur. Quamvis cum Philippus iam sincerius amplecteretur: videbat enim plenam indolem regalemque, eoque admordebatur solo, quod nihil de se voltu et similitudine mutuaretur. Cum igitur pleraque ex his quae in studentem pater largius conferebat, ipse quoque liberalitate transcriberet, Xeuxidis cuiusdam, *non* celebris illius ad pingendum, sed enim adseculae regalis, tales litterae referuntur. " Xeuxis Phi-

„ lippo et Olympiadi salutem plurimam dicit. E re est „ scire, vos ea quae Alexandro destinatis, non illi ad „ frugi custodiam retineri, enim labi omnia cum facilitate donandi. Quod quare sat sit, aestimatote; mihique mittite dispensandum. „ Haec reges Aristoteli scribunt ita. "Xeuxis, qui sumptibus Alexandri est „ praefectus, ea quae in eius usus largimur, ab eodem „ fa cile dilabi *scribit*, quod sit inconsideratior . . . „ . . susceperis, atque ex sententia dispensabis.„Ad haec Aristoteles: "Ratum quidem habeo, mî rex, nostris „ litteris Alexandrum institutum, nihil se nobisque indignum factitare. Itaque mox coram indole eius inspecta, quodque (1) sententia confirmaverit, illi scilicet in agendis rebus non aetatis sententia sed doctrinae, si vobis cordi est, experiri sufficit consilium. „ Ad haec reges scribunt rursus ad Xeuxin. "Litteras „ tuas, Aristoteli, quas super Alexandro feceras, intimavimus; quidve ad haec ille responderit, tibi praesto est. Igitur ex utroque colligito, quid facto opus „ arbitrere. „ Id tamen scriptum cum suscepisset Aristoteles, altius in hunc modum ad Alexandrum refert. "Scripsere mihi Philippus et Olympias parentes tui., ea quae tibi sumtui mitterent, inconsultius „ deperire. Neque accedo sententiae, quidquam te indignum nobis ac parentibus sapere.„ Ad haec puer. "Scire te par est, mi magister, ea quidem quae ad „ nos a parentibus destinantur, indigna esse illorum „ opibus et nomine. Sed secus tamen de institutione „ regali reges pariter ac parentes, quam decorum fue-

(1) Cod. *quoque*. Sed locus hic, ut alii multi in codice sunt corrupti et obscuri.

„ rat, commoveri, si fortunam hanc censeant fruga-
„ litate populari. „

Sunt etiam litterae utriusque parentis ad filium in modum. “ Sumtus tibi fortuna nostra digni mittun-
„ tur. Ne prodegeris, fili, nec litterarum Aristotelis
„ de te perverteris testimonium. Enim frugi te parsi-
„ monia esse compobato. „ Ilis respondit Alexander: “ Equidem missorum a vobis, mi parentes, modum
„ nomine vestro dignum non confitebor; expensam
„ tamen eorum fieri pro necessitate regimonii fateor.
„ Neque vero de me magistri litterae claudicabunt;
„ eius praeceptis non dignum a me nihilum fieri no-
„ scetis. Enim vos mallem neque adversus isthaec au-
„ res malis sermonibus reseravisse, veritatemque hanc
„ decentius convertisse in eos qui facere audent ne no-
„ stri curam regiam gerere pro illa populari malitis. „

Id iam temporis, decimum quartumque annum Alexander appellebat. Qui cum quadam die locum, quo clausus equus bucephalus fuerat praeteriret, conversus ad amicos, haec ait: o viri, hinnitus ne aures meas, an vero rugitus aliquis leoninus offendit? Ad haec Ptolemaeus, qui Soter postea nominatus est, immo vero hïc ille est bucephalus equus vester, quem ob vehementiam pariter et saevitudinem dentium hactenus claudi rex pater iussit. Et inter haec rursus alius equi eiusdem hinnitus auditur, altus quidem ille, sed nihil increpans ad formidinem pristinam, enim mi-
te aliquid et mansuetum; prorsus uti diceres adloquia illa ad dominum esse morigera, non equi fremitum saevientis. Nam et pedes priores extenderat, et gesticula mansuetudinis luserat, et supplici quodam motu blanditus est. Quod ubi intuitus est Alexander, fuisse illi antehac tam truculentum officium edendi ho-

mines demiratur. Denique custodibus evitatis claustrisque dimotis, animal educit, iubamque eius cum laeva adprehendisset, audacius nescio an felicius tergum quadripedis insultat, effrenemque eum sed morigerum tamen imperiosis motibus aurigabundus hac atque aliter circumducit. Quod cum admirationi visentibus foret, excursu quidam rem periculi huius nuntiat Philippo. Sed ille ad memoriam monitus oraculo, occurrit ad puerum, et salutat inde uti orbis ingredi dominum. Quare laetior spe quidem filii pater iam Philippus tunc agebat.

Sed Alexander quintum et decimum ingressus annum, explorato tempore opportuno, cum veniam a paternis auribus praepignerato osculo impetrasset, precario petit ut apud Olympia certaturo *necessaria* itineri largiretur. Ecquid, inquit, laboris aut artis genus est, quod tibi ad certamina praeparatur? Neque enim reor non regii te nominis memorem, hanc gloriam cupivisse. Tum ille quidem quae sint parum ubera munera refutat ac negat, pugillatus scilicet atque luctae, quaeve de cestibus sive cursu plebeculam iuvant. Enimvero, inquit, quadrigis ut certem. Sedet patri professio adulescentis; equos, ait, ad hosce tibi usus iubebo protinus deductum iri, de quibus tibi ad votum proclivitas fiat. Neque enim inprobo huiusce desiderii gloriam *et cetera ut in editione nostra romana lib. I. 10. Classic. AA. T. VII. p.* 69.

Sequentia fragmenta codicis taurinensis pertinent ad lacunam editionis meae rom. lib. II. cap. 28. *p.* 157. *Quae enim ego supplevi ex vaticanis codicibus, contractiora sunt, et ex aliis fontibus sumpta.*

. . . . omni scilicet alacritate bellum sibi desideran-

tium expectantiumque. Aciebus igitur ordinatis praeter litus fluminis Strangae, Darium eodem Macedones adventare cum omni suo agmine iam intrepidi cernebant; omni scilicet parte terrarum, qua visentium oculi vagarentur, phalangis * eius atque ordinibus confluentibus. Cum illa Strangae mobilitas naturalis rursus ad glaciem convenisset, et stratum alvei tenacissimum fideliter etiam transeuntibus polliceretur, Darius prior haud dubitans, ordines suos proinde ut in acie constiterant, transgredi flumen intersitum iubet. Emensis igitur universis, quidquid de Stranga metui potuisset, idem Darius e curru regio, cuius suggestu altius vectus eminus cunctis visi consuêrat, demutat ad currus quibus proeliaribus utebantur: itidemque cuncti satrapes et optimates eiusdem imitatu fecerant, multis iam exercitum intercurrentibus, qui virtutis solitae singulos et necessitatum praesentium commonerent.

* ita cod.

E diverso autem cum longe tranquillius doctiusque Alexander Macedones in cornua protendisset, ipse bucephalo suo vectus imperatoris officiis fungebatur. Tandem igitur bellicum lituo praecinente, pari utrinque procursu partes in sese procurrunt; primumque saxis ac missilibus iaculati, mox ensibus etiam strictis, cominus proeliantur. Multis denique de *utraque* parte consumptis, ubi non dissimili discriminis parilitate protrahi bellum Darius vidit, enimvero quod unum id morae Macedonibus videretur, ut metiendis persicis militibus tantummodo laborarent; quam rem periculo tendere, haud dubie interpretatus, fugam capessit, et curru sese quam properiter possit praesentibus liberat. Strangam denique etiam tunc stratum firmitudine perviabili transmittit atque exit. Et ipse quidem iter ad regiam properat. Iamvero turbatis persicis rebus,

cum omnes pariter illac tot phalangae *, quae tamen ferri hostiumque nondum expertae essent, ad eundem alveum avidius advenissent, sive ex illa fragilitate naturae, sive inconsulto agmine pariter irruente, Stranga suum officium defecit, ingressosque submergit, omnesque quos alveo acceperat necat; reliquos porro insecuti Macedones obtruncant; nec fere fit aliquid ex illis omnibus reliqui, quos emersa . . . . .
. . . cunctaque Alexandri victoria videretur. Tum ergo Darius, omni spe meliore deposita, cum ingressus regiam suam humi sese heiulabundus miserabiliter prorsus et ignobilius constravisset, maerebat quidem eorum mortes qui sibi adeo infauste militassent, maerebat etiam damnum regni quod ad incitas deduxisset, tunc nomen et gloriam et parta tot saeculis, deformataque nunc Persidis regna lugebat; recursabantque eum et captae urbes, et subiugatae regiones, et aequatio sui ad Deorum immortaliuin vires, solisque ortus, quem consessorem sibi dixerat, gloriatio; qui quidem nunc profugus desertusque et inops omnium foret: profecto dicens nulli esse hominum rata, vel stabilia fortunari; quae si parvam inclinationem status sui nacta sint, in contrarium protinus resultarent, et quosque de culmine ad profundas tenebras urguerent. Indulgens ergo lamentis eiusmodi, humi porrectus inopsque solaciorum diu miseriter agitabat.

Tandem tamen ubi satietas eum praesentium cepit, veluti sobrius maestitudinis factus, conscribit litteras ad Alexandrum in hanc sententiam (1) "Darius domino

* ita cod.

(1) Sequens epistola satis videtur fuisse spatiosa in genuino Valerii codice, cuius nos nonnisi partem nacti sumus. Quae autem est in nostra editione rom. p. 158. brevis Darii epistola, ex hac scilicet prolixiore contracta fuit.

„ Alexandro haec dicit. Ante omnia quidem hoc moneo,
„ uti te in hac fortunae beatitudine, tamen hominem re-
„ cognoscas; siquidem satis idoneum argumentum ad id
„ consilii tibi ego praesto sim, quod profecto docere
„ possim, nihil homines quam quaeque praesentia sua
„ praesumere oportere. Neque modo de me primum
„ fortuna commenta est; iampridem istud in parente
„ meo Dea illa illa Xerxe monstraverat. Is quippe pari
„ adrogantia cupitorum, cum in vestros militiam dele-
„ gisset, alioquin avidior rerum, quae regum glorias
„ trahunt; pro hisce omnibus, quae petebat, opes
„ suas, tot illa militantium milia adtrita pariter amis-
„ saque, ad paenitudinem vertit. Hisce igitur usus exem-
„ plis, doctusque de talibus, pro graeco nomine at-
„ que clementia, competentius feceris, si miseratione
„ hosce impertias, quos tibi fortuna supplices procu-
„ ravit. Igitur te, per favisores tui Deos, nostrique
„ adversitores, quaeso obsecroque, uti mecum . . .
„ . . . (1) verit Darius ille miserationem; cui mihi
„ non mater amantissima, non suavissimi filii propter
„ sint; quin haec cuncta adversantibus serviunt. Qua-
„ re pollicentem me non modo thesauros opesve re-
„ gales, sed regni quoque nostri quam amplissimam
„ portionem „ *et cetera, ut in editione nostra ro-
mana lib. II. cap.* 30. *p.* 159.

(1) Pars est haec epistolae Darii ad Porum indum, qualis erat apud genuinum Valerium. Namque illa brevior apud ed. rom. p. 158-159. ex hac maiore compilata fuit. Et quidem hoc fragmentum taurinense incurrit in hiantem codicem mediolanensem uti p. 159. videre est.

ANTONII GALATEI

VIRI DOCTISSIMI

EPISTOLAE SELECTAE

EX CODICE VATICANO.

1. AD CATHOLICUM REGEM FERDINANDUM. DE CAPTA TRIPOLI (1).

Hic est mos Deo immortali, inclyte rex, nec non et vobis regibus qui illius vicem in terris geritis, ut eorum quae vestro numini offeruntur (habet enim suapte natura numen quoddam regia maiestas) non magnitudinem aut pulchritudinem aut grande pretium spectetis, sed dantis mentem atque animum. Quis enim cum qui suo regi aureas vestes, vascula aurea atque argentea, aut ipsa humanae vanitatis indicia indicas gemmas et vitro nostro non absimiles lapillos, quorum ipse locupletissimus est, donaverit, non cauponem aut foeneratorem appellaverit, aut potius piscatorem qui sub parva esca grandem venari putet acipenserem aut rhombum? Quis umquam e templo electus est, quod parva obtulerit munuscula? O felicia saecula, in quibus Superi contenti erant ut puris moribus, sic et purissimis donis, farre, et ture, et spiceis sertis, et oleo! Nam neque ceram neque mel antiqua lex in sacris admisit, puto quod aculeata et venenosa erat illa bestiola quae mel et ceram concinnabat, quia apum reges aut carent aut non utuntur aculeo. Neque ego deliquerim si magnitudini nominis, immo et numinis tui, parva quidem sed pura et sincera obtulerim munera; ut qui pro tuis partibus, pro fide in te servanda, ut plerique Hispanorum noverunt, superioribus bellis res meas, me ipsum, uxorem, et filios, periculis omnibus exponere non dubitaverim. Utinam ego te ingenti classe, nummorum copia, equorum et hominum magna vi iuvare pos-

(1) Anno MDX. Vide Marianam de rebus Hisp. lib. XXIX. cap. 22.

sem! Sed quod possum et precibus et verbis, id libenti animo praesto.

Quis est tam a veritate et iustitia et pietate alienus, ut non admiretur et colat, eumque regem non participem suorum annorum si possit faciat, quem vidimus iuvenem cum patre sene inter difficultates maximas laborantem, innumeram hostium multitudinem cum parva manu e propriis regnis profligasse, et suos qui a fide desciverant, subegisse? Deinde vero quanto is animo, quanta virtute et prudentia uxoris regna pacaverit, nemo ignorat. Pacatis regnis, tamquam duratus tot iustis bellis, maiora animo concepisti. Liberasti Hispaniam ab illa antiqua Saracenorum peste, quae per septingentos aut ferme octingentos annos paene ad interitum Hispanias omnes vastaverat. Quid si sub aliquo ignavo rege Saraceni, qui optimam Baeticae partem tenebant, cum iis qui Africam incolunt conspirassent, nonne in Hispania maximos tumultus concitassent? Et forte non esset nobis minus metuendus occidens, quam sit nunc oriens. Tu tuis viribus, laboribus, et periculis sine alicuius ope omnia nobis secura reddidisti. Tua ipsius opera Hispania nostra est.

Nec his contentus pro tua virtute, proque amore christianae rei publicae oculos in vicinam Africam vertisti. Victis ac eiectis ex hoc Apuliae regno Gallis, victricem classem tuam in Africam traiicere iussisti. Quid dicam? Ubicumque tuum venerandum nomen exauditur, eodem et victoria sequitur. Tu solus inter christianos principes non christianorum, sed hostium Christi, sanguinem semper sitisti. Iam tenes Christo duce munitiora et tutiora utriusque Mauritaniae, et Numidiae, et africanae orae loca; et usque in Aegyptum fere nihil est, quod in littore Saracenis usui sit. Substulisti Saracenis opportunitatem infestandi (ut semper solebant) christianas regiones, Apuliam Calabriam, Brutium agrum, Siciliam, et universum mare Tyrrhenum, et oram Hispaniae, et Massiliae, et Galliae narbonensis, quae interno mari abluitur, praecipue capta nuper magna urbe TRIPOLI quae opportune sita est Afris et Mauris ad Italiae et Siciliae incursiones, nec minus Turcarum receptui qui christiana littora depraedabantur. Adeo ut mihi constituam, plus pro re

christiana fuisse TRIPOLIM quam Tunetem capi, quamvis ea quoque favente Christo sub tuo iam iam erit imperio. Olim paganorum reges invidentes virtuti et fortunae tuae te admirabantur; nunc timere quisque rebus suis incipit, et tamdiu saluti suae bene consultum esse putant, quoad contra illos victricia arma non moveris.

Totus orbis christiana quae nondum noverat arma reformidat. Iam ad Taprobanem per maria nullius ante trita rate devenimus. Taprobane hispana et signa et arma vidit. Vestrum nomen iam utrumque horret hemisphaerium. Nec fraudabo Lusitanos tuos suis laudibus. O inclyti, o felices occidentis reges! nunquam satis a me laudati, quamvis vestra egregia facta et aeterna digna memoria, ubicumque locus tempusque suasit, nunquam tacui neque hic tacebo. Vos vos ausi estis rem futuris saeculis memorandam atque admirandam, quam nec confines et praepotentes Carthaginienses noverunt, nec rerum domini Romani, nec is qui se Iovis filium et mundi regem appellari iussit. Coniunxistis Indos Hispaniae; sulcastis vastum illud et inane naturae; ostendistis nobis ignotas terras et inaudita nedum visa maria; iunxistis indicum hispanico oceano, et circumfluam demonstrastis esse Africam, quod astrologorum maximus in Aegypto sub florente romano imperio natus, nec non et Iuba rex rerum diligentissimus indagator ignoravit. Quid aliud hoc est, quam aut ex duobus unum, aut ex disiuncto terrarum orbe continuum fecisse? Auxistis commercia et consuetudines gentium, totque immanes nationes et pecorum more viventes ad religionem et ad bene et culte vivendum instituistis. Non est facile dicere quantum vobis humana immo et christiana res debeat.

Tibi vero, cui directa est oratio mea, data est ultio tanti per tot saecula fusi christiani sanguinis. Sequere ergo, magnanime rex, christianorum regum qui sunt et qui fuerunt et qui futuri sunt gloria, unica spes christianae religionis, victoriam, quam tibi Christus donat. Capta est urbs inter Alexandriam et Carthaginem, inter remotissimas terras praestantissima populosissimaque, primo quod maxime mirum est impetu; et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris, nec

imbellis, ut plerique Saracenorum, sed crebris in Christianos incursionibus armis assueta, et omni armorum quo Christiani utuntur genere instructa, et Christianorum spoliis et captivis opima. Nonne a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? Tot bella confecisti; avita regna tua paene amissa recuperasti; uxoris regna nescio an dicam pacata feceris an de novo adeptus fueris; tot pericula evasisti; regnum Apuliae, quod fere totum sub Gallorum erat potestate, recepisti. Pauci eramus sub tuis felicibus signis, et iidem (si diutius aut prudentius hostes vexassent) in Siciliam navigaturi, ut nostrae saluti consuleremus. Ecce iam subito alata, ut pingitur, victoria ex caelo demissa est. Ab hostibus paulo ante obsessi, et qui muris fossisque claudebamur, parvo momento hostes ubique superavimus, fudimus, stravimus, fugavimus, et haec non sine numine Divum.

Haec sunt, magnanime rex, quae mihi fidem faciunt, celsitudinem tuam ad multo maiores res gerendas a Christo servatam. Nec a me expectes obscura et vana apotelesmata, quibus ego quamvis ea non penitus ignorem, nihil tamen fidei adhibeo, ut quae mihi fidei nostrae catholicae minime convenire videantur. Nam et Basilius ille magnus et philosophus et theologus, et Gregorii graeci duo, Chrysostomus quoque, et Damascenus, et ex nostris Hieronymus, et Augustinus, et ceteri, huiusmodi nugas abominati sunt. Quin etiam ipsi gentiles, qui plus quam ceteri sapere visi sunt, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, nunquam talium vanitatum meminerunt. Avicenna quoque, et Averroes, et sapientissimi Arabum contempserunt. In lege veteri cautum est, ne a signis caeli timeamus. Ipse solus Deus est, qui vult timeri amari et coli. Impium esse duco, putare aliquid in caelo esse malignum aut noxium. Malignitas non in caelo, sed in terris est. Senex sum, neminem novi, qui se his vanitatibus involveret, ad bonum exitum pervenisse. Habemus, catholice rex, Christum ducem, sequamur nobis oblatas sponte victorias, et consensum gentium pro divino consilio habeamus. Videmus etenim saepe spiritum Dei in mentem populorum occulte influere, ut nemine auctore quod verum sit iudicent. Memini me puerum

(ita Deus bene me amet, non mentior) vulgo audisse Ferdinandum quemdam futurum qui Saracenos ex Hispania pelleret, eumdemque recuperaturum sanctam Dei civitatem Hierusalem. Idem omnes sentiunt, nemine auctore praeter Deum optimum maximum, a quo ita fore decretum est. Consensus gentium ex Deo est. Utere felicitate tua, optime rex, dum licet, et restitue nobis rem christianam quae ad angulum mundi redacta erat.

Satis est nobis hactenus ora Africae, dum et portus et receptus habeamus, et Saracenis adimamus spem incursionum. Arentia loca et sitientes campos, quos multo difficilius est tutari quam vincere, vagi et nudi sibi habeant Nomades. Aggrediamur imperium romanum a Turcis occupatum. Quae quidem expeditio tanto facilior erit, quanto maior est spes praemiorum. Paucissimi sunt pro Christianorum numero Turcae; quis nescit? Imbecillum praeterea est ac debile Turcarum regnum cum invitis dominetur, et non suis constet pedibus, ac hostes secum ubique habeat. O Christianorum pestilentes discordiae! Et tamen tantae ac tam maturae messi nemo inventus est qui falcem imponat. Nimirum illa tibi servatur. Bellum Turcarum (crede mihi) facilius est finire quam inchoare. in Africa nullos amicos habemus; et si omnes urbes expugnaverimus, tamen universa provincia nobis erit semper infesta. Quis fugientes per invia et inaquosa loca Arabes insequetur? Aut quae esset utilitas persequendi? At hic si semel vicerimus, una pugna totum bellum conficiemus, ac omnes provinciae nostrae erunt. Hi te invocant, te sperant, te votis, omnibus templis, omnibus aris exposcunt, et tamquam a Deo missum expectant. Nos unde haec novimus? Vicini sumus: etenim nonnisi freto quinquaginta milium passuum ab illis distamus. Sunt e conspectu littoris nostri in culminibus Acrocerauniorum montium et Chimaerae duodecim milia fortissimorum bellatorum, qui se suaque omnia toties celsitudini tuae commiserunt. Illi si te venturum senserint, non dubito quin impleant e vicinis locis numerum quinquaginta milium pugnatorum, qui sub imperio tuo sine ulla mercede militabunt, assueti iampridem Turcarum bellis. Spero ad primum nuncium adventus

tui aut ducum tuorum, mille urbes uno die ad nos redituras.

Suadet mihi ut credam haec ita ut dico futura esse, ordo et series quaedam rerum humanarum a Deo instituta. In oriente apud Assyrios, Medos, Persas, coepere imperia. Inde Aegyptii et Scythae in magna parte terrarum, Iudaei et Phoenices in quota parte dominati sunt. Post vero Macedones rerum potiti, ultimo oriente terminaverunt imperium. Carthaginienses quoque Africae et Hispaniae et mediteranei maris nonnullis insulis imperaverunt. Romani longius latiusque quam ceterae nationes quas unquam legimus propagaverunt imperii sui fines: sanctius iustiusque, quam ceteri omnes mortales, suis viribus usi sunt: gentes, quas subegerunt, humanitate et bonis moribus instituerunt, participesque fecerunt imperii: ab una urbe orbis victus est plus fide, clementia, liberalitate, et beneficiis, quam armis. Gothi et Longobardi diu regnaverunt. Prisci Galli usque in Asiam et Taurum montem penetraverunt. Posteriores vero, quos potius Francos appellaverim (sunt enim ab antiqua origine Germani) sub romanorum Pontificum umbra multas orbis partes occupaverunt, praeclaraque gesserunt opera. Germani iamdiu dono Pontificum romanorum obtinent imperium.

Soli Hispani huc usque suam vicissitudinem non habuerunt, soli Hispani sua signa nunquam e solo patrio extulerunt. Fortissimi viri, ut constat apud omnes scriptores, Hispani semper habiti sunt, sed sub alienis signis, sub alienis auspiciis, nunc sub romanis, nunc sub poenis ducibus. Iam redditae sunt Hispaniae suae vices, et te regnante iam caput orbis erit. Plus tibi se debere Hispaniam fateri necesse est, quam omnibus ante te regibus. Tu illam a servitute eripuisti, militari disciplina et mitissimis moribus instruxisti. Ne perdite, Hispani, occasionem. Venere vestra tempora. Hoc non a vate sed a viro non malo dictum accipite et credite; sub Ferdinandi istius auspiciis toti terrarum orbi imperabitis; si modo in victoriis vestris et in tanto et novo afflatu fortunae vobis temperare didiceritis, memores humanarum rerum et eorum qui vobiscum una periculis se suaque omnia exposuerunt. Indignabunda res

victoria est: cum se non perbenigne ac perhumane, sed superbe et insolenter tractari noverit, alas habet et fugit alio; et quos ante afflixerat, nonnumquam amplectitur. Illius hae tantum leges sunt: parcere subiectis et debellare superbos. Vive diu et bene vale, rex felicissime atque invictissime, unus qui nobis properando restituas rem!

12. AD FERDINANDUM DUCEM CALABRIAE. (1)

Multum interest, inclyte adolescens, inter nos qui ad serviendum nati sumus, etvos qui ad imperandum. Si omnia pensemus, liberius nos vivimus qui servimus, quam vos qui imperatis. Nos tantum vobis placere studemus, et Diis (2) immortalibus, quos placare modo velimus, haud difficile est. Vos et Diis, quorum amplissima accepistis beneficia, et nobis, et populo, incertae rei, et mutabili fortunae, famae, maioribus vestris, et posteritati, et nostris et externis nationibus, sociis, amicis, subditis, atque hostibus satisfacere oportet; quod quam difficile sit, ii tantum qui experti sunt, noverunt. Necesse est enim, ut quem omnes spectant, omnes admirantur, et diligentissime et sanctissime vivat. Nos si quid peccamus, nobis ipsis tantum peccamus; vos si quid delinquitis, et omnes idem delinquere oportet: nam vos principes in aliorum exemplum fortuna effinxit. In vos omnium oculi intenti sunt. Menda, non quae in turpi facie est notatur, sed quae in formosissima. Quae in aliquo lapillo est, maculam tantum notat qui vendit aut emit: quae in lucenti lunae globo, omnium qui sunt et qui fuerunt ora in se convertit. Vos, quibus tantum a rerum domina fortuna aut a Diis immortalibus datum est; vos, qui in terris vicem geritis Deorum, divinitus et sine labe inter homines

(1) Erat hic filius Federici tertii, qui postremus Aragoniorum Neapoli regnavit. Ferdinandus enim, numquam adito paterno regno, in Hispania captivus obiit. Porro Galateus ad eum haec monita scribebat, quum puer sub praeceptoribus erudiretur. Ergo haec epistola antiquior est praecedente ad regem catholicum, regni neapolitani iam factum dominum.

(2) Loquitur ethnicorum latinorum linguâ vel more Galateus; intelligit tamen Deum cum divis seu beatis in caelo hominibus; quod semel monuisse sufficiat.

oportet vivere. Qui aliàs fecerunt, omnes iratam fortunam, et laesa experti sunt numina, ob collata indignis tot munera. Par est principum mores tantum ab aliorum moribus differre, quantum et potentiam et opes et gloriam. Tantum decet principes, eos quibus imperant animi virtutibus superare, quantum principatu; ne videatur ei esse tributum rerum humanarum imperium, quem non alios ab bene beateque vivendum dirigere atque instruere, sed ab aliis instrui necesse sit.

Age igitur, inclyte adolescens, ut praeripuisti ceteris summum futurae regiae dignitatis locum, sic ingenti et generoso animo amplectere doctrinam et virtutes omnes; ut magis videaris admirandus et animi et corporis virtutibus, quam regno et genere. Tibi praeterea prae ceteris principibus magis laborandum est, quoniam maiorum tuorum in illustri loco posita sunt exempla quae imitere; quos ut magum et divinum est gloria superare; sic non aequare, turpe; ac Federici filio, et cui natura egregias et corporis et animi virtutes dederit, indignum. Tibi secundis nato sideribus benigna parens natura larga manu tribuit et robur, et pulchritudinem corporis, vultus venustatem et gratiam, nec minus divinitatem ingenii et memoriae. Tu, si naturae donis recte usus fueris, maiores tuos non dicam imitaberis aut aequabis, sed longe superabis. Exempla aeternae gloriae et ingentium virtutum tibi maiores tui reliquerunt et regnum; tu si regni hereditatem desideras, amplectere et virtutes.

Ne vetera, et ab hominum memoria abolita, sed tantum in annalibus reservata repetamus, atavus tuus Ferdinandus (1) cuius venerandum nomen refers, et ut speramus, virtutes etiam referes, vir extitit sanctissimae vitae. Nemo illum iustitia, pietate, humanitate, fide, pudicitia, recti observantia, vicit. Alphonsus primus, Apuliae rex, proavus tuus, munificentia, humanitate, clementia, comitate, magnitudine animi, et gloriâ, et litterarum amore, omnes suae aetatis principes antecelluit (2). Ferdinandus avus tuus gravitate, sapientia, gloria, prudentia, felicitate, in-

(1) Intelligit Ferdinandum Aragoniae et Siciliae regem, Alphonsi primi Neapolis regis patrem.

(2) Legatur apud nos Alphonsi I. vita a Vespasiano scripta, Spicileg. T. I.

tegritate vitae, iustitia, perseverantia, aequabilitate animi, constantia, modestia, liberalitate, cui unquam regum cessit? Alphonsus secundus patruus tuus, magnitudine animi, laborum tolerantia, castrametandi disciplina, rei militaris peritia, pietate, religione, omnium disciplinarum atque egregiarum artium amore ac studio, cum omni antiquitate comparandus est (1). Ferdinandus secundus patruelis tuus strenuitate, audacia, ferocia, largitate, indulgentia, gratia, et publica benivolentia, nemini est postponendus. Federicus pater tuus multarum rerum peritia, sapientia, modestia, clementia, misericordia, innata benignitate, et ad conciliandos homines affabilitate, comitate, iucunditate vultus, dexteritate ingenii, omnique regia disciplina, tantum quantum nemo alius, valet; ita ut illum regem appellare quis potuisset ante quam esset rex. Semper enim in illo nescio quid regium perspiciebamus, ante quam ad regni fastigium perveniret.

Habes igitur hereditarias virtutes, habes exempla, ut dixi, non externa aut peregrina, sed domestica quae imitere, aut ut speramus superes. Et si, ut quibusdam non obscuris auctoribus, et ipsi divino Platoni placet, vim quandam habent nomina, tu hoc venerandum nomen sortitus es, hoc fortasse in fatis est. Quicumque ex vestra vetustissima christianarum omnium familia, ex quo ex Italia Gothi, a quibus tibi origo est in Galliam, et deinde in Hispaniam transierunt, Ferdinandus appellatus est, eumdem humanitate, fide, probitate, ceterisque virtutibus, semper praeditum fuisse constat. Et si educatorum nostrorum, ut virtutes, sic interdum et vitia imbibimus (aiunt enim Alexandrum illum macedonem orbis domitorem Leonidae paedagogi sui quaedam vitia hausisse) tu educatorem et institutorem adolescentiae tuae comitem Potentianum, tu Chrysostomum habes praeceptorem, in quibus ita optima sunt omnia, ut nihil in illis desideremus (2). Quorum operam atque industriam, Diis bene iuvantibus, bona fortuna faustusque even-

(1) Ad hunc Alphonsum, adhuc Calabriae ducem, praeclarum misit Pontanus *de principe* librum; sed parum laeto successu; etenim is regnum vix aditum necessario abdicavit, et in Sicilia profugus interiit.

(2) Hos ambos Sannazarius laudat regios praeceptores apud nos p. 511.

tus sequetur; hoc est, ut qualem ipsi optant atque sperant, talis futurus sis princeps. Et ut epistolae Aristotelis ad Philippum, quam tibi mitto, ultimis verbis utar, bene vale, ψυχὴν πρὸς φιλοσοφίαν, σῶμα δὲ πρὸς ὑγείαν ἄγων.

3. AD ILLUSTREM DOMINAM BONAM SFORTIAM. (1)

Mellitulae litterae tuae, illustris puella, maxima me afficiunt iucunditate, maximum videndi tui desiderium afferunt. Ingenium tuum non modo laudare, sed admirari soleo: quotidie bona animi tui incrementum suscipiunt. Tu, si tibi litterae cordi sunt, maxima sapientissimaque inter nostri saeculi puellas evades. At si fortasse hae nunc tibi labori sunt, si operam navaveris, eaedem erunt tibi summae voluptati. Ne desere, illustris puella, ne desere studia, ad quae natura ipsa, et prudentissima mater tua, et praeceptor tuus vir sanctus et idem doctissimus, omnesque boni te hortantur. Utere felicitate ista ingenii tui; ne despicias dotes, quas tibi natura fortunaque larga manu porrexerunt. Nulla in re magis accusandi magisque plectendi sumus, quam cum naturae bona ingrati recusamus atque despicimus. Si principes natura, non solum legibus et consuetudine, ceteris praestant, ut plerique opinantur, maxima inter te ceterasque puellas distantia esset debet. Tu ad imperandum, illae ad serviendum natae sunt: illae colo fusoque utuntur, tu legibus disciplina ac bonis moribus: illae corporis cultui student, tu animum colere debes: illae herae serviunt, lanam faciunt, sericum trahunt et auri tenuissima fila; vos quibus, quoniam fortunae ita visum est, etiam viris imperare datum est, libros

(1) Ex Galeatio Sfortia Mediolanensium principe, et Isabella Aragonia Alphonsi II. regis Neapolitanorum filia, nata est Bona; quae, patre extincto, Barium cum matre venit, quae urbs cum sua ditione sub Sfortiadum imperio erat, nominatimque Isabellae viduae ad regnandum obtigerat. Ea in aula medici personam gerebat Galateus noster, quo tempore et Isabellae principi orationis dominicae explanationem composuit, et hanc monitoriam scripsit epistolam ad Bonam puellulam; quae deinde Sigismundo Poloniae regi nupsit, eique filium Augustum peperit, qui ultimus Iagellonum Poloniae sceptrum tenuit. Regnante filio, Bona regina coortis dissidiis, Barium denuo se recepit, ubi vitae terminum nacta, insigni tumulo condita fuit. Haec omnia ex illorum temporum historia satis constant.

sanctorum virorum et philosophorum evolvite, exempla illustrium feminarum imitari discite, ut dignae videamini quae viris imperare valeatis, ut in quas fortuna sua dona bonaque omnia congesserit.

Incipe, assuesce, in ista tua tenella aetate contemnere iocos, lusus, inanes fabellas, vanitates, et levia et inutilia verba: fuge otia et confabulationes muliercularum, pictas vestes, aurea monilia, quae omnia vilissimae ac plebeiae admirantur vetulae, et oculos et mentes ancillarum attonitas detinent. Incipe aliquid de viro sapere, quoniam ad imperandum viris, ut dixi, nata es. Ride muliercularum ineptias; atque ita fac ut sapientibus viris placeas, ut te prudentes et graves viri admirentur, et vulgi et muliercularum studia ac iudicia despicias. Rem dignam clarissimo genere et ingenio tuo facies, si dum istae tuae coaetaneae ancillulae, aut trocho, aut iactu taxillorum ludunt, aut si dies festus non sit, dum illae lanam, linum, sericum tractant (non enim te ad haec vilia, sed ad iura hominibus reddenda fortuna instituit) tu interea Virgilium, Ciceronemque amplectere; veteres et novas scripturas perserutare: divum Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum illum graecum et istum tuum latinum (1) sanctissime cole: tantoque te praestare ceteris, quae tibi serviunt, puellis existima, non quanto auro, argento, pretiosis lapillis, et vestibus praestiteris (ista enim iis, qui magno ac excellenti animo pollent levia sunt) sed quanto animi virtutibus illas superabis, tanto te illas anteire existima. Nec ideo dominum servo praecesse putes quia plus potest, aut quia melioribus ortus sit natalibus, aut quia plus auri atque argenti ac praediorum amplitudinem possideat, sed ideo quia ingenio ac virtutibus praestet. Multos enim, etsi fortuna servi sint, suis tamen dominis meliores sanctioresque esse, nemo sapiens dubitat. At si non fortuna sed natura parens quosdam servos, quosdam dominos esse voluit, non, ut nos solemus, libertatem servitutemque distinxit. Dominos enim non a censu, non a claro genere, non a pulchritudine aut a magnitudine, ut erat apud Aethiopes, teste Aristotele, aut in veteri lege habetur de Saule, aut a for-

(1) Illum scilicet, qui Aragoniorum principum praeceptor erat.

titudine aut viribus corporis esse statuit, sed ab ingenio, et animi virtutibus, iustitia, liberalitate, clementia, et modestia, gratitudine, sapientia, innocentia, patientia, veritate, integritate, fide, benignitate.

Ait Aristoteles, corpora robusta et quae minus ingenio valent, apta esse ad serviendum; quae vero plus ingenio valent, quamvis corporis viribus et claritate generis cedant, nihilominus apta esse ad dominandum. Tu te tuis, quae tibi serviunt, puellis parem puta, si paribus studiis atque affectibus teneasimilis: at si sublimioribus, tunc te praestantissimam esse non dubitabis. Da colos ancillis, partire sericum calathiscis: tu labora, invigila altioribus curis, saecularibus ac divinis scripturis. Illae tornos, aut pensa rotent, fila trahant: tu Chrysostomo aures sensumque omnem adhibe, ut te non plebeiam puellam, sed heroinam appellemus. Ego non tibi, ut divus Hieronymus Paeatulae, placentulas do, sed subiratus aliquantulum hanc epistolam scripsi, non quod de tuo erga litteras amore dubitem, sed quod, ut acrius illas prosequaris, rigidulis exhortationibus meis efficiam. Ego quod currenti et veloci equo calcaria adigo, fortasse non inepte facio. Nam ut ignavus, sic et generosus equus, eget calcaribus. Cum tu inter illustres mulieres clarissimum, ut spero, nomen assequeris, qui epistolas meas legerint, quam felices dicent fuere Chrysostomi labores simul et Galatei exhortationes! Bene vale, litteris incumbens. Nam sine litteris nemo recte aut vivere, aut valere potest.

4. AD BELISARIUM AQUAEVIVUM MARCHIONEM NERITINORUM.

Ne sis expers meorum scriptorum, illustris vir, saepe in libellis meis appellaberis, quoniam semper solitus es meas esse aliquid putare nugas. In praesentia nihil occurrit, nisi ut sententiam meam de armorum litterarumque, de contemplativae et activae vitae dignitate, quam Pancratio nostro olim scripseram, tibi quoque impertiar. Tu qui et arma et litteras novisti, poteris melius aut laudare aut refellere sententiam, ut qui utriusque rei peritiam habes egregiam. Eum optimum iudicem putavit Aristoteles, qui earum rerum de quibus iudicium

ferre voluerit, cognitionem habet. Eam ob rem existimo humanis in rebus tam varias esse opiniones atque sententias, quia aut nemo aut pauci admodum id de quo iudicant, satis cognoscunt. Quod si huic malo accedat, ut quae quis nesciat, se scire pertinacissime putet, tunc et pestilentissima species ignorantiae oritur, quae totum fere orbem pervertit. Duplex ab Aristotele ponitur ignorantia, negationis altera dicitur quae non adeo prava est, altera malae dispositionis. Haec est de qua nunc loquor, haec nos deteriores, haec indociles et protervos facit, haec peritiores contemnere, haec nostra laudare, aliena despicere.

Secus tu, vir integer et optimo atque humanissimo ingenio praedite. Utramque enim rem, de qua est quaestio, satis cognoscis. Litterarum enim ab ineunte aetate studiosissimus et amantissimus semper fuisti, atque eos qui in aliqua doctrina praestare tibi visi sunt, maximo semper honore prosecutus es. In re bellica quantum valeas, omnes noverunt. In bello gallico virum fortem semper egisti. Ferdinandum regem extrema per omnia, ut ait poëta, secutus es; unde inter regni proceres magnam gloriam adeptus es. Quapropter Ferdinando mortuo, Federicus rex te ob ingentia merita tua istius pulcherrimae et celeberrimae urbis Neriti titulo decoravit. In bello veneto apud Salentinos (1) paene puer sub fratre tuo, qui aetate nostra et armorum et litterarum gloria pollet militasti, atque ita te gessisti, ut facile omnes cognoscerent, te nihil degenerasse a fraterna, paterna, atque avita virtute. Pater enim tuus Iulius vir fortis et strenuus, et tam Italis quam barbaris notissimus, omnes aetatis suae duces armorum gloria superavit, gloriosamque vitam honestissima morte insignivit, quando a tot Turcarum milibus circumseptus, pro Christo proque suo rege non procul ab Hydrunto fortissime dimicans caesus est. Quamobrem magnanimus ille heros corporis et animi viribus insignis, gloriosus Christi martyr, et fratri tuo animae meae domino, et sibi totique familiae vestrae tam pulcherri-

(1) Huius belli peculiarem historiam memini me vidisse in codicibus vaticanis.

mi facti perpetuam memoriam omni auro, omnibus gemmis pretiosiorem hereditatem reliquit.

Transeo tuorum laudes inclytas; neque enim hac de re nunc agitur. Hoc tantum ex iis, quae dixi, velim intelligas; quia sicut nihil lucri, ita nihil damni ex lata mea sententia reportabis. Nam ex illa nec victor, nec victus eris; si alterutra pars vicerit, necesse est ut in altera succumbas, ut qui utriusque simul es particeps. Et quoniam antistrephon seu reciprocum est hoc argumentationis genus, concludendum, ut libet: aut victor simul et victus eris, aut victor neque victus. aut partim victor partim victus. Securus igitur lege ac lauda sententiam, nec refelle. Novi ingenium tuum, quoniam parvo labore, si velis, potes refellere. Nam nihil est tam difficile, quin dicendo fiat probabile: et nonnulla, ut ait Aristoteles, falsa sunt probabiliora veris, praecipue cum inter praeclaras res sit controversia, et multitudinem pro iudice habeamus; cui saepe divini poëtae, ut ait Plato, sapientiae duces, nec non et rhetores populares sapientes plerumque serviunt. Vale.

5. AD ILLUSTREM COMITEM POTENTIAE DE TURCARUM APPARATU.

Fama est Turcarum potentissimum regem classem validissimam parare, quam nulli portus capere possint: remiges ac sagittarios undique accire, equitum ac peditum incredibilem numerum, pecuniae et commeatus, armorum et machinarum quantum nemo alius superioribus saeculis congesserit. Nos sine sollicitudine aliqua, sine timore securi vitam agimus, non secus ac si aut nulli, aut apud Indos et Seres essent hostes. Hostes dixi, quoniam inter Italos et barbaros, inter Christianos et ethnicos perpetuum est bellum. Hic mercatur; hic pecunias accumulat, quibus forte se ab hoste (si servatus fuerit) redimat; hic arbores inserit, quarum fructus fortasse hostis decerpet; hic plantat vineas, quarum fortasse vindemiis alius gaudebit; hic domos aedificat, quas hostis, nisi Deus provideat, aut nos homines simus, habitabit; hic uxorem ducit alteri servituram. De pueris, virginibus, senibus, matronis, quid cogi-

tem intelligas, nam horret animus dicere. Si quis nostrum ingruentem timet tempestatem, is ignavus atque insanus habetur, et regis simul ac patriae hostis. En quo redacti sumus, quibus loqui non licet, etiam (quod ne servis quidem negatum est) timere non permittitur. Nos Hercules et Achilles non sumus, sed imbelles et minime ad bella nati.

Timuere Athenienses furorem irruentium Persarum, et quam interea non speraverant salutem in mari quaesierunt. Timuit illa urbs orbis domina victores Gallos, a quibus paene deleta est; atque actum esset de romano nomine, nisi Romani fugissent, et deinde capitolinis claustris septi fuisset. Hannibal quanto terrori fuit Romanis! Timuit Roma venientes Cimbros: et ipsa urbs, cuius fama orbis totus terrebatur, ante quam illi Alpes transcenderent, adeo constrata ac perterrita erat, ut opifices omnes relictis officinis, clausis tabernis, matronae ac virgines desertis domibus, turbatis crinibus, ad instar captae urbis, die noctuque templa omnia ululatibus et planctibus replerent. Adeo populus ille orbis domitor consternatus timore hostium, quos nondum viderat aut senserat, qui tot regionibus aberant! Nobis qui stoicitatis severitatem non laudamus, cum peripateticum dogma profiteamur, licet et timere, et dolere, et misereri, et irasci, ubi, quando, quomodo, et quorsum, et quibuscum oportet: et ut Cicero ait, istud nihil debere, ut ego, istud nihil timere, non contingit sine maxima mercede immanitatis in animo, stuporis in corpore. Nos non timebimus truculentissimos hostes, propinquos ac paene contiguos, potentissimos, et quos vidimus, et quantum illi valerent nostris malis didicimus ac re ipsa experti sumus? Crede mihi, illud nihil timere non contingit sine magna mercede aut inscitiae, aut stuporis, aut audaciae, aut quod excusabilius quidam putant, dissimulationis. Non timebo ego mortem. Hoc viro dignum est; nam si non aliud bonum, finis tamen malorum est. At non timere servitutem, ignominiam suam ac suorum, stupra, verbera, compedes barbarorum, durum atque inhumanum imperium, divinarum atque humanarum rerum eversionem, hoc viro minime dignum est.

Dices: sed illi alio arma movebunt, non contra nos quos

amicos habent. Dii faciant! De amicitia taceamus, quae quanti apud illos sit, omnes novimus. Sed quonam movebunt? Dices: Syriam atque Aegyptum petent, quae regna opulentissima sunt, et una tantum victoria parari possunt: regiones amplae, pauci bellatores, populi imbelles, et qui principum et externorum tyrannidem non paterentur, si haberent ad quos desciscerent. Exemplo didicimus, a paucis illis bellatoribus exercitum Turcarum bis aut ter fusum fugatumque fuisse. Cum contra Christianos bellantur, nescio cur ubique victores sint. Unde apud Turcas vulgatum est, cum contra Aegypti regem pugnant, se contra Deum suamque religionem pugnare. Multum potest apud plebem et ignaros litterarum ista persuasio. Pudet dicere: nos Christiani, qui veram tenemus religionem inter ceteros, religionis negligentes sumus: ideo a barbaris vexamur atque opprimimur. Praeterea si Syriam petere in animo esset, cur in Macedonia et Thracia congregatur exercitus, nec potius in Asia? Nec magna classe opus est, ubi nulla est classis. Patet aditus per Ciliciam et Amanum montem: ac si non patet, ferro facile aperiendus est; nec classe tentanda sunt tot maria, quod non fit sine iactura et maximo periculo.

Dices: Cyprus petenda est; nam et Aegypto et toti imminet Syriae: quae insula opportuna est et commoda ad inferendum aegyptio regi bellum; sed ipsi quoque Veneti amicitiam astipulantur. Pro Cypro, neque equestri apud Macedoniam exercitu, neque tanta classe opus est: insula patet cuivis occupanti, nedum Turcarum regi, cui angusta Ciliciae pro fluvio sunt, quique insulam continenti, ut sic dicam, ponte posset adiungere. Classis, quae tantum Venetis posset obsistere, satis esset, quoniam tantum a Christianorum finibus Cyprus disiungitur. Habet littora Syriae et Issici sinus, quae sub ditione sunt aegyptii regis cum quo iamdudum pax et amicitia firmata est, et icta foedera. Corcyra et Epidaurus pusilla quaedam res sunt pro tanto apparatu. Sicilia vero longinqua est, quo tantum traiiciat exercitum, ubi si res non successerit, non haberent praeter Africam, quo se Turcae reciperent. Creta natura munita est, nec apta equestribus proeliis, sagit-

tariorum habet ingentem multitudinem, et gens illa quidem quamdiu bella non noverit, tamen ferox est, et sumptis non tarda pharetris. De Rhodo forte timendum: est enim locus ille Turcarum regi infestissimus, qui universis piratis receptui est, qui Aegaeum pelagus et Carpathium obsident, eosque qui sub Turcarum imperio sunt depraedantur. Neque immemorem puto Turcarum regem, quod magister ut dicunt equitum hierosolymitanorum fratrem eius eundemque hostem receperit, et quod in Galliam tanquam captivum ac deditieium miserit, quodque pro illo regi stipendium, aut si sic velis appellare, tributum annuum quadraginta milium aureorum imposuerit; quod a Rhodiorum urbis oppugnatione paternus exercitus turpiter atque ignominiose discesserit.

Hae causae atque iniuriae, nec non et quaedam occulta vis stellarum (ni me non satis nostra tempestate certa ars fallit) movent, ut credam hoc anno turcicam classem Rhodon obsessum ire, nec propterea nobis nihil timendum. Quid si in nos quoque arma convertat, aut dimissa Rhodo, aut parvo ibi relicto exercitu? Scit enim Baizetus rem sibi gerendam esse cum sexcentis non amplius equitibus, reliqua imbellis est et graecula multitudo, et alienis et eisdem Gallis gravissimam servire assueta servitutem; pauci sunt pro urbis magnitudine mercenarii milites. Velit Deus optimus, qui Rhodios quondam tutatus est, ut tantas hostium vires substinere possint! Uno eodemque anno Machometes et Rhodon terra marique obsidione cinxit, et Hydruntum expugnavit: quo tempore regnum Apuliae et armis et viris et opibus florebat, nec vires erant attritae intestinis et externis bellis. Tanta classis quo itura sit, nemo novit. Alii se suis quibus possunt et auxiliaribus viribus muniunt, omnes Turcarum tamquam communium christianae reipublicae hostium consilia perscrutantur, omnes sibi timent. Nos nobis timeamus, nostris rebus consulamus. Securum et audacem militem volo, ducem vero consiliarium et gubernatorem, fortem simul ac credulum, sollicitum et consideratum. Saepius in periculum venit, qui periculum contempsit, quam qui metuit. Placet in imperatore ficta securitas et simulata audacia, vera non placet.

Vir sapiens nihil non debet timere, quod possit nocere si contemnatur. Et ne ab arte mea discedam, divinus Hippocrates medicum neque timidum neque audacem esse oportere censuit; quoniam timor infirmitatem insequitur, audacia vero indocilitatem: illa in melius duci ac perfici potest, haec non potest. Et ut Quinti Fabii apud Livium verbis utar: *malo te hostis sapiens metuat, quam stulti cives probent*; qui saepe virum fortem, timidum; audacem vero et inconsultum, fortem existimant.

Tu vero quoniam tantum, quantum par est, tibi fidei tribuit rex sapientissimus, et in cognoscendis hominum moribus sollers ac perspicax; quoniam omnium oculi te intuentur, time ac consule et regno et patriae. Cape consilium senis otiosi, qui litterulas novit. Herodotus et Livius historias scripsere, neuter arma tractavit unquam. Aristoteles et Plato de re publica scripsere, nunquam rem publicam administraverunt. Non est turpe etiam maximis ducibus et iis qui in summis sunt magistratibus accipere philosophorum consilium: est enim philosophia magistra vitae. Mittendi sunt illico per littora Ionii et Aegei pelagi, Hellesponti et Propontidis, qui et numerum et consilia Turcarum explorent. Ac subinde de omnibus regem certiorem facito, qui sapientia et prudentia sua, qua maxime inter omnes principes valet, et sibi et nobis provideat, suasque et amicorum explicet vires in tutando regno suo pro salute et libertate totius Italiae et omnium Christianorum. Quoniam, ut mihi aut mens aut metus dictat, Turcae aut Rhodon aut Apuliam sunt invasuri. Nam quo se vertet exercitus ille pugnacissimus atque avarissimus? Graecos subegit, vastavit Albanenses, Dalmatas, Illyrios, Macedones, Thraces, Mysos, compressit Panonios atque assiduis incursionibus fatigavit, perterruit Germanos. Nuper Turcae Dacos, Ruthenos, Sarmatas aggressi sunt, et non hostium vi, sed longis itineribus tempestatibus et continuis nivibus abacti atque afflicti sunt: tamen ingentem praedam (ut narrant) reportarunt. Quid dicam? Cunctas regiones, per quas vagati sunt, exhaustas viris et opibus ac paene desertas fecerunt. Magnus exercitus sine bello teneri non potest: si quiescit miles, marcescit: qui aliis

non infert, saepe in se bellum concitat: magnum imperium nonnisi belligerando servatur. Ait Aristoteles, regiones esse arma tenentium. Vicina Turcarum imperio et dives est Italia, quae aut servire aut imperare nata est. Quod si Deus regnum illud non everterit, aut discordes Italorum mentes non composuerit, brevi futurum est, quod Lactantius Constantino imperatori vaticinatus est, occidens serviet, et oriens dominabitur. Vale.

6. AD CHRYSOSTOMUM DE PUGNA TREDECIM EQUITUM. (1)

Scripseram tibi ante calendas decembres, Chrysostome, hendecamachiam equitum hispanorum et gallorum, in qua aequo marte pugnatum est. Inde ad paucos dies Lamotta gallus captivus apud Didacum Mendocium, quum in convivio de numero equitum sermo haberetur, iuvenis ferox et insolens (ut mos est Gallorum) coepit contra Italos obloqui et blaterare: asseverabat Italos imbelles esse et infidos et perfidos, et nihili faciendos, neque inter equites adnumerandos. Enicus Lupus (2), qui Italos probe noverat, cave, inquit, hoc de Italis sentias; sunt enim viri prudentissimi fortissimique, neque nobis neque vobis postponendi. Si periculum facere vultis, si virtutem italicam experiri, quantumque illi et armis et consilio valeant, ego pro Italis spondeo. Qui cum optimo Gallorum concurrere audeant, quos et quot vis Italos dabo: si decem, si

(1) Celebre hoc tredecim pugilum anno MDIII. certamen memorarunt vel etiam descripserunt multi illorum temporum atque etiam posteriorum historici, quos inter Iovius in vita Consalvi lib. II, et Guicciardinus histor. tialic. lib. V. Hieronymi quoque Vidae heroicum de eodem facinore poëma, imperfectum licet, prodiit primum Mediolani anno MDCCCXVIII. Noster vero Galateus praecipuam meretur fidem, quia de re scribit illis ipsis diebus se tantum non inspectante gesta, qui et pro impetranda Italis victoria sacrum ipso mane fecisse adfirmat. Ceteroquin aetate nostra nemo iam non improbat ac detestatur absurdum hunc et ferinum privatorum certaminum morem, quem nec religio nec sanum consilium nec humanitas patiuntur, et quem luculento tractatu *della scienza chiamata cavalleresca* Scipio in primis Maffeius profligavit.

(2) Iovio est *Indicus Lopes*.

viginti, si triginta cum totidem Italis decernere optatis, ego totidem Italos constituam in campo, seu pedibus, seu equis, seu levi seu gravi armatura rem gerere placet, et iis armis, et iis in locis, quae vos ipsi eligetis. Amabo, amice mi, inquit Gallus, ne tantum Italis tribuas. Quis enim mortalium cum Gallis audebit certare? Sunt enim imbelles Itali, et infidi; et cum polliciti fuerint pugnare, deludent et tergiversabuntur.

Falleris, inquit Hispanus, neque vobis, neque ulli gentium aut mari aut terra in re bellica Itali cedent. Quum perfidiam Italis exprobras, bona verba quaeso. Itali neque iugum neque iniurias, nisi vi coacti, ferre queunt, libertatem et iustitiam, isonomiam et iustos principatus plus quam ceterae gentes concupiscunt. Si id non sortiti fuerint ius piumque, et secundum leges quarum ipsi conditores sunt peritissimi esse putantur, a fide atque amicitia quoquo modo possunt discedunt (1); beneque instituti animi esse ducunt nescire obedire, nisi iuste imperanti. Nullae gentium libertatem, aut norunt, aut colunt, aut amant magis, aut saltem desiderant praeter Italos: nos et vos, et barbaros et mancipia regum dictitant. Illi et res publicas plerisque in locis habent, neque regum subiacent arbitrio; libertate multi gaudents, omnes libertatem quam nos non novimus optant atque admirantur, cuius amore plerumque in miseram incidunt exterorum servitutem. Novi ego Italorum mores. Qui illis imperare diu cupit, iuste dominetur oportet; nihil arripiat; aliàs, cum possunt, collo iugum excutiunt, detrectant imperium. Haec est causa, ob quam tot exercitus exterorum in Italia deleti sunt, non ob Italorum, ut vos dicitis, perfidiam, sed ob illorum intemperantiam et superbiam. Si verum fateri velimus, nullae gentium mansuetiores et minus feroces, nullae ad misericordiam propensiores, nullae prudentiores iustioresque, nullae cum optimos duces nactae fuerint, fortiores; nulli exercitus, nulli milites itali ducem suum prodiderunt; nulli hominum sanctius fidem, pietatem sine simulatione, iusiurandum, veritatem, amicitiam, sanctius colunt, si bene iusteque tracten-

(1) Sunt haec iuvenilis militarisque iactatiae dicta, quae gravibus viris, sanisque politicis non probabuntur.

tur. Neque Italorum quispiam provocatus iustum detrectavit unquam certamen. Vos bona fortuna virtutem italicam, si placet, experiamini. Scio universos libentissime vobiscum pugnaturos.

Lamotta revertens ad suos rem detulit, et ut est fuitque semper gens illa pugnandi avida, pugnam impigre, et plus ferociter poscebat, quam postea gessit. Duces Gallorum assenserunt, tredecim strenuos et feroces viros ex omni exercitu elegerunt. Dux hispanus rem omnem commisit Prospero Columnae viro romano, et rei militaris peritissimo, et qui partes hispanicas fideliter, et ut sic dicam, pertinaciter amissis rebus omnibus secutus est. Hic tredecim et fere omnes familiares suos conscripsit ex variis Italiae provinciis, ne qua despecta videretur, in quorum numero fuerunt Insubres, Romani, Siculi, et ex hoc regno nonnulli. Operae pretium erat videre atque audire ducem hispanum quibus promissis nostros adhortabatur. Aiebat debere illos meminisse italicae virtutis, seque ex ea gente ortos, quae quondam toti orbi terrarum et imperitavit et leges dedit; quae toties Gallos et in Italia, et extra Italiam fudit, atque illos a feris moribus ad cultum vitae revocavit: seque sub felici auspicatu catholicorum regum pugnare; et Italos atque Hispanos gentem esse eiusdem sanguinis, eiusdem linguae; victoriamque, de qua ipse certam spem conceperat, gratiorem quam Italis, Hispanis futuram. Hinc Prosper Columna arma omnium tractare, monere atque instruere suos, ac iubere meminisse hunc esse Romanum, illum Campanum; non debere oblivisci recentis cladis immerentis ac proditae, ac sub fide captae patriae suae, sine ulla alia nisi rapiendi atque grassandi causa vastatae: illum ne deesset honori nobilissimae urbis Neapolis; illos Siculos esse, qui tot milia Gallorum ob illorum intemperantiam atque saevitiam caeciderunt: omnes meminisse non pro auro aut argento vilibus rebus, et a fortibus viris contemnendis, sed pro amore et gloria patriae pugnaturos: neque eam rem in abdito futuram, sed coram omnibus gentibus, plusque momenti habituram quam credi posset. Nam in ingenti bello et in magnis copiis plerumque plus fortuna, in

tam parvo autem numero plus virtus potest. Humana imbecillitas curare tam magnas res nequit. Memorabat etiam tales conflictus plerumqne fuisse causam, aut saltem praesagium futuri belli eventus, ut qui ad aquas Sextias. (1) Referebat etiam exemplum Torquati et Corvini, qui optimos Gallorum singulari certamine obtruncaverunt. Addebat etiam singulare certamen David et Goliae. (2)

Verba clari viri Prosperi Columnae eventus comprobavit. Nam ut ante Galli semper superiores fuerant, sic post illam pugnam semper nostris cesserunt. Tanta cum Gallis pugnandi cupiditas nostros incesserat, ut omnes alii, quam qui in numerum fuerant adsciti, et ante et post pugnam Prospero graviter irascerentur. Locus inter Andriam et Choratam constitutus est, dies idus februariae. Ad locum Galli primi ut provocatores convenere; nec nostri morati sunt, qui salute humanissime, ut Italos decet, data et a Gallis reddita, magno utrinque ardore animorum manus conserere coeperunt. Nostri et solem et pulverem et ventum austrum adversum habebant, ex ea enim parte Galli procedebant; attamen, neque Galli, neque nostri hastis propter vim venti uti valebant. Ad enses et secures et clavas ventum est. Primo impetu Galli, ut solent, acriter et strenue restiterunt: inde, ut refrixit furor illi genti insitus, Galli omnes victi sunt ac dediti in arbitrium et fidem Italorum. Nonnulli ex Gallis vulnerati; unus tantum caesus est, Diis (ut puto) ultoribus qui cum in parte Italiae cisalpina Gallia natus esset, et in Gallia transalpina educatus contra patriam ferrum stringere ausus est (3): quamvis ille ut italus honestam obiit mortem; non enim dedi aut capi passus est, sed fortissime dimicans cecidit. Ceteri omnes Galli incolumes, nonnullis acceptis pusillis vulneribus, se benigne urbaneque dediderunt, fassique sunt eo certamine nullam gentem Italis cum in omni virtute tum etiam in re bellica om-

(1) Confer etiam quae narrant Polybius III. 62, et Livius XXI. 42. de certamine aliquot Gallorum, hortante Hannibale, apud Insubres.

(2) Diversam prorsus fuisse naturam scopumque certaminis David cum Golia, a genere pugnae tredecim horum pugilum, consideranti facile apparet.

(3) Hoc idem narrat Vida vers. 284-287.

nium praestantissimis posse resistere inter se consentientibus: perspicuumque esse, Italis neque prudentiam, neque animi aut corporis vires, nihilque aliud deesse, nisi bonam mentem concordiamque, ut iterum toti orbi dominarentur. Nemo ex nostris vulneratus, praeter unum, qui parvo vulnere percussus est. Vix guttam italici sanguinis armatis Italis et pugnare volentibus Galli effundere potuerunt. Duo ex nostris dum Gallos persequerentur ac loco pellerent, et ipsi suo ipsorum impetu medio equorum corpore extra terminum prolapsi sunt.

Nostri ingentibus animis, magnis viribus pugnam inierunt. Ducem habuerunt fortissimum iuvenem Hectorem Ferramuscam campanum, qui e Gallia a rege Federico nuper redierat. Hic ita instruxit aciem, ita suos cohortatus est, ut nonnisi victores redituros nostros posses ante perspicere. Iohannes Capotius nobilis romanus equo, cui insederat, clava in capite percusso ac nutante, rem ausus est romano viro dignam: statim in terram desiliit, ac accepto pilo armos equorum ferire coepit. Illum quem dixi in terram prolapsum interemit: alium e loco statuto summovit. Bracalo et ipse romanus fortissime certavit. Galli arma proiicere ac certatim se dedere contendebant. Rem omnem non perdidici; hoc in summa verum: est. Ita gloriosissimi equites nostri fortiter ob honorem patriae non ob rapiendi aviditatem se gessere, ut neminem habeas, quem alteri anteponas. Itaque victores nostros cum magna gratulatione Gonsal Fernandus amplexatus, matti, inquit, estote virtute iuvenes, de nostris regibus, de patria vestra, de me duce, de praeclaro viro Prospero Columna optime meriti: ostendistis hodierna die nobis hostibusque nostris et toti Europae nullam gentium, ut humanitate, misericordia, benignitate, sapientia, auri contemptu, et laudis amore, sic et in re bellica, aut esse fuisseve superiorem, aut italicis hominibus parem. Haec igitur pro tempore parva dona et pignora virtutis vestrae laeti accipite, multo maiora habituri quum victoriam regibus nostris Deus, qui nunquam iusto bello adversatur, concesserit. Inde omnes tam Italos, quam Hispanos Italiam conclamare iubet. Deinde victos et captivos suis armis, suis vestibus indutos, suis, qui superstites erant

equis insidentes, victores nostri sequentes in triumphi modum Baretum, ingressi sunt, non minore plausu Hispanorum quam Italorum. His artibus mirum est quantum prudentissimus immo et gratissimus dux obstrinxit Italorum animos, et eorum qui cum Hispanis, et eorum qui cum Gallis militabant.

In calce huius epistolae non praetereunda mihi res est risu digna in exemplum gallicae levitatis. Non solum armis Gallos ea die vicimus, sed votis et precibus (1). Plus apud Deum valuere preces Galatei tui medici, quam sancti cuiusdam monachi galli. Ego die, quo pugnatum est, quatuor divis equitibus, Georgio, Demetrio, Martino, et Nicetae iuxta sepulchrum divi Nicolai non surdis numinibus rem divinam faciens vota persolvebam, qui semper superbos abominantur Dii audivere voces meas. Monachus ante aciem vittatus, humi prostratus iacebat, et quanta poterat voce Deos suos (2) invocabat. Verum ut Gallos et loco et virtuti nostrorum cedere vidit, obmutuit primo, ut quem lupus, ut dicunt, viderit. Inde Gallis victis, et vittas et infulam et librum proiecit, in ora et capillos manus convertit, et tandem non sine magno nostrorum risu muliebriter plorans discessit. Bene vale, et spera meliora. Barii, pridie calendas martias.

7. AD CHRYSOSTOMUM
DE PROSPERO COLUMNA, ET DE FERRAMUSCA.

En tibi, Chrysostome, Prosperum Columnam ducem egregium, de cuius laudibus pro materia dicere, neque Galatei est neque praesentis epistolae. Patato quum illum videris primum ducem Italiae videre. Roma princeps est urbium Italiae, immo et totius orbis; Prosper primus omnium iudicio civis romanus est, in quo duce videre poteris omnem romanam disciplinam, magnanimitatem mixtam clementiae, prudentiam

(1) Sabellicus en. XI. lib. II. ubi hoc certamen narrat ait: *peractis sacris, quibus Itali interfuere, euntes in pugnam etc.* Porro et hendecamachiam Hispanorum et Gallorum a Galateo nostro initio epistolae memoratam, describit Iovius vit. Consalv. lib. II.

(2) Recole dicta p. 529. n. 2.

humanitati, fortitudinem misericordiae, virtutem modestiae sine iactantia, pudorem magnitudini rerum gestarum, temperantiam victoriae. De quo quoniam factis aequa dicere non possum, intercidendus est in praesentiarum sermo. En tibi nostrum Ferramuscam campanum illum, de quo ad te scripseram; hic est italicorum equitum, qui cum Gallis pugnaverunt, princeps et dux: in illo enim, ut de Diomede scribit Homerus, maior in exiguo regnabat corpore virtus. Miraberis in tam pusillo corpore esse tantum animorum, in adolescente sensum et prudentiam senilem et peritiam rei militaris, modestiam et religionem. Non possum, Chrysostome, parcat mihi latinitas, a sacris litteris quas colo discedere. Hic, ut de David rege aiunt, abstulit obproprium nostrum, hic Gallos vicit, hic Italis decus suum restituit. Huic Italia multum debet qui Gallorum superbiam obtudit. Hunc, Chrysostome, si italus es, si unquam res romanas legisti, venerare, amplectere. Hic est Hector immo Achilles italus, qui Italiae toti honori est. Huic multum omnes docti pariter atque indocti debemus. Hic est noster Camillus, noster Corvinus, noster Torquatus; ab hoc pendet victoria nostra; ab hoc, ut ad te scripsi, primum auspicium, atque omen bonum accepimus futurae belli totius victoriae nostrae. Non miraberis quantum in illa pugna ponderis fuerit, si memineris post singularia aut paucorum certamina, eodem fortunam totius belli inclinasse. Nostris quantum addidit animorum, tantum hostibus minuit. In magnis rebus mirum est quantam vim habent minimarum quarundam rerum momenta. Tu interea bene vale, et meliora expecta. Non enim in hominum sed in Deorum potestate sita sunt haec mortalia.

8. AD MARAMONTIUM
DE PUGNA SINGULARI VETERANI ET TIRONIS MILITIS.

Narrabo tibi, generose Maramonti, singularem pugnam nobilis madalunensis iuvenis animosi et ferocis, nec non et veterani equitis suessani. Causa dissidii quod iuvenis ille veterani fratrem multis vulneribus percusserat, asserebatque se id iure fecisse, nec quod id fecisset paenitere, idque se ar-

mis experiri pollicebatur, siquis vellet factum improbare. Veteranus negabat id iure factum fuisse. Quapropter iuvenis veteranusque ius impune decertandi a rege impetravere. Locus tironi; armorum delectus quod magni momenti est, veterano obvenit. Iustiorem pugnandi causam, quod maxime in armis valere, nec ab re, omnes opinantur, plures veterano tribuebant. Tandem rege annuente constitutus est pugnandi locus in fossa novae arcis, constitutus et dies. Descendunt ambo in claustra ad hunc usum fabrefacta, spectantibus rege ac filio et duabus reginis, atque Hispanorum regis et Venetorum oratoribus, ac universo populo neapolitano. Prodiere ambo hilari ac iucundo vultu, ut qui ad nuptias ire non ad necem viderentur; et ne quid doli lateret, alter alterius corpus contrectabat. Ardor animorum utrique par, vires in iuvene maiores, in veterano rei bellicae experientia maior; bis enim ex provocatione antea pugnaverat, bis victor evaserat. Paria arma in medium posita, sed quae infelix tiro nonnisi pugnandi tempore noverat. Duae galeae, duo longa scuta et gravia quae nunquam fuerat expertus tiro, duo enses.

Armantur ambo, et dato signo, manus impigre conserunt, ambo scutis protecti corpora longis. Iuvenis ferox et ingenii avidi ad pugnam crebris ictibus nequicquam verberat auras; veteranus raros ictus, attamen certos vibrat, atque ora iuvenis bis ferit eodem paene loco. Iuvenis et ipse parvo ictu punctim ora viri pupugit. Inde inter pugnandum audax, sed non satis cautus, dum ensem acriter et magna vi rotat, caesim hostis umbonem ferit, atque ita ensis adactus est scuto, ut nunquam a tenaci ligno potuerit avelli. Interea veteranus brachium tironis, quo ensem et eum scuto veterani haerentem gestabat, punctim percussit. Tiro proiecto ense, scutum scuto et pedi pedem admovit, et paene ad brachia ventum est, ambobus huc atque illuc nutantibus, amborum cruribus trementibus, ut cerneres aut hunc aut illum iam iam casurum. Veteranus loco parumper cessit, ac iuvenis costis ensem affixit, qui forte ossi occurrens non penetravit in praecordia. Atque iterum scutum scuto iungit, quo arte in orbem revoluto, ac simul cervici tironis iam ex fluxu sanguinis deficien-

tis manu apposita, comprehensa galea, scutum detraxit. Ita iuvenis inermis extitit. Dumque iterum veteranus paululum loco cessisset, ut stricto ense iterum latus Tironis punctim perfoderet, ante quam receptui caneretur, ille statim se victori dedidit, ac mortem deprecatus est. Veteranus sive misericordia motus, sive ut puto aliquo numine, ut audies, sive concursu circumstantium militum, sive quia id moris est apud strenuos, ut supplici et vitam precanti parcatur, manum continuit, ac tironem dextra, ut moris est, manu prehensum captivum spectante populo duxit, et apud regem divae Mariae Carmelitarum illum donavit.

Magna et mira profecto est et omnibus saeculis fuit vis religionis, quam qui contempserit perditum iri nemo sapiens dubitavit. Iuvenis, aut quia conscius erat quam non iuste pugnaturus esset, seu quia puderet detrectare certamen, quod semel promiserat, aut quoniam beata Virgo suadebat, summo mane illius diei quo pugnatum est, in ecclesia divae Mariae Carmelitarum confessus est peccata sua, seque beatae Virgini vivum mortuumque devovit. Nec id noverat veteranus, qui cum ut captivum ac deditieium iuvenem regi dono daret, omnes suaderent, ac praecipue Prosper Columna sub cuius auspiciis veteranus iamdiu militaverat, et cuius favore ac sumptu certamen inierat, tactus caelitus ut puto virgineo numine clamavit: hunc ego divae Mariae Carmelitarum dono do. Habes, mi Maramonti, rem gestam et ordinem pugnae, seu ludi gladiatorii, cuius et ego quoque spectator fui. Unde conlicere possis, quantum plus valet, quantum prudentia et rerum experientia viribus corporis, et etiam animi, hoc est audaciae et ferocitati antecellat.

9. AD CHRYSOSTOMUM DE MORTE FRATRIS.

Legi deplorationem mortis nnanimis fratris tui non sine lacrimis, eamque legendam praebui omnibus amicis tuis, qui hic sunt, ut et tu et ego socios haberemus doloris ac moeroris nostri. Aiunt enim solatium esse miseris socios habere doloris sui. Sed Chrysostomum alloquamur, non eum qui fratrem

litteris et bonis moribus instructum, dilectissimum, obsequentissimum, filium magis appellari dignum quam fratrem, amiserit, sed cum Chrysostomum, qui nondum cari fratris mortem aut rescierat, aut senserat. Si amicorum caterva in secundis (ut fit) rebus congratuletur iis qui litteras non noverunt, maxime est voluptati; si in adversis contristetur, solatio. Quid de Chrysostomo putandum est, qui tot habet consolatores, quot libros, et eos non abiectos et plebeios, sed eos quos non fregit impetus fortunae, non dolores, non exilia, non tormenta domuerunt, non tyranni perterruerunt, non secunda extulit fortuna, non adversa depressit? Absint a te libelli de Ponto, et de tristibus, et si qui sint tales. Parcant manes Nasonis; eiulatus et lamentationes mihi videntur mulierecularum. Est profecto et aliqua inermis fortitudo, nec minus immo fortasse magis probanda, quam armata; quoniam haec ut et magnis viris, sic et infimae sortis hominibus contingere potest; illa tantum magnorum et illustrium virorum est. Tu Socratem, Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Callisthenem, Zenonem, et stoicos omnes specta et imitare; et ex nostris Catonem, Scipionem, Senecam, Boëthium, Petrarcham, et Pontanum nostrum. Et ne videar contra praecepta artis meae crudis vulneribus manus admovere, ad hos te relegabo, hos intuere, hos lege, eos die, eos nocte, eos dormienti tibi, eos vigilanti, eos cum solus es, eos cum lacrimis oculos foedas, dicere existima:

Quid defles, quid deploras, Chrysostome? ereptum fratrem? Non deploras fratris mortem, sed invides fratri immortalitatem. Nos et fratres et dulces natos amisimus, nos carissimorum mortem tam patienter tulimus, nos tormenta, nos neces, nos tyrannorum furores experti sumus. Deploras immaturam mortem? Abstulit clarum cita mors Achillem, longa Tithonum minuit senectus. Multos longissima vita dignissimos celerissima mors rapuit; multis longa vita fuit supplicio. Errant, Chrysostome, quicumque immaturam mortem putant quae venit ante annosam senectam. Matura semper est ea mors, quam Sorores decreto immutabili sanxerunt, quae non temporis, non loci, non aetatis, non morum, non formae, non fortunae, non

dignitatis, non divitiarum, non sapientiae delectum habent, sed ut cuique sua supersunt, aut desunt fila, aut subtrahunt, aut adiiciunt. Omnium vitae certa habent temporum spatia et statutas in caelo periodos: matres, atque viri, pueri, innuptaeque puellae, cum Parcae volunt umbras Orci et stygios lacus adeunt. Nesciunt quid mors sit, qui immaturam aut seram vocant mortem. Quomodo immaturum est, quod paratum semper est, ac promptum, et ut sic dicam praesens? Nemo eo cito venit, quo necessario intra pusillum temporis curriculum eundum est. Nemo eo sero venit, unde nunquam cum semel venit, potuit reverti.

Deploras in adolescente fratre virtutes egregias, mores integerrimos, rerum notitiam? Tu fratri sua invides bona, quae attulit secum immortali aevo mansura. Deploras qui te deseruit? Deploras, Chrysostome, secessum eius qui te expectat, ut quibus ipse, tu quoque eisdem aeternis bonis fruaris. Sed tu illum participem sperabas fortunarum tuarum, quae iam venturae sunt; at ille praeripuit tibi occasionem. Tu quam speras, ille Deorum largitate ac munificentia fruitur. Tu quae tecum peritura sunt desideras, ille immortalia et semper secum victura possidet. Tibi incerta spes est, illi certa et immutabilis bonorum possessio. Sed poterat fortasse in adversis particeps esse calamitatum tuarum. Non amas fratrem, Chrysostome, si aeque miserum atque calamitosum futurum tecum sperabas. Decessit ex hac vita, in qua si labores, si aerumnas, si malorum pestilentes linguas spectaverimus, aut nulla aut parva esse possunt bona.

Age igitur, Chrysostome, redi ad Chrysostomum; redde te tibi, et quantum habes eloquentiae, quantas vires in persuadendo, quantas in consolandis aliis, explica in te ipsum, fac te hominem sentiamus, et dignum ea quam a nobis acceperis disciplina: ne forte aliqui putent vera esse quae quidam dicunt, tantum eos infractos esse in doloribus, qui rusticis et austeris sunt moribus et natura crudeles; mites vero, temperatos, ac modestos, ut sunt ad lenitatem et misericordiam propensiores, sic ad dolores perpetiendos tam animi quam corporis minus idoneos. Quod falsum est; nam efferatissimae gentes fortitudipem

vel potius innatam ferociam tantum in bello demonstrant. Quae vero plus habent humanitatis et rationis, quae mitiores incolunt plagas, patientius ferunt dolores et adversos ictus fortunae, labores et egestatem, quae non spernenda pars fortitudinis est. Audacia fortasse tantum in bello utilis est, haec et in bello et in pace. Illa insanis ac pessimis hominibus inesse potest, haec tantum bonos et sapientes solet comitari. Haec tibi, o carissime Chrysostome, ab iis quos colis, quos domi habes, quos quotidie alloqueris, consolatoribus dicta puta. Nos autem, qui tuo immo communi dolore moeremus et cruciamur, non aliter solaberis, quam si des operam ut patientissime et humane, et ut virum decet, feras carissimi fratris mortem.

Et quoniam tibi placere video, de me aliquid dicam. Scito, amice, me non Aesculapii aut Apollinis (ut ethnici dicere solebant,) sed Christi et Lucae medici ope ab inferis revocatum. Dii boni bonis consulunt. Ego cum in maximo periculo essem constitutus, plus laborum quam annorum plenus, hoc tantum Superos rogabam, ut quicquid futurum esset, id subito fieret; sed vota piae matris et sororum et amicorum, et ut ais, genius natalis soli, aut hospitalis Deus, non Ὑγιία aut παναχεια, me sanitati restituerunt. Vellem, ut pro congratulatione tua, invicem de magna aliqua re tibi quoque et ego congratularer; sed quoniam sic Diis placuit, pro congratulatione accipe quam laeto poteris vultu piam magis et officiosam quam doctam et ornatam consolationem. Bene vale, et feras aequo animo quod vitari non potest.

10. AD CHRYSOSTOMUM DE MORTE LUCII PONTANI (1).

Nondum signatae erant priores litterae, cum subito supervenit altera epistola tua, per quam intellexi mortem unici filii Pontani nostri infelicis senis, si non novisset litteras. Quonam abiit Apollo medicus, cum moreretur infelix iuvenis, cum caperet illam virosam ac perniciosam chamaedaphnen? Forte erravit, qui nimirum Virgilio credidit, qui dixit: nec miseros fallunt aconita legentes. Vel forte erravit incautus adolescens, de-

(1) Ad hunc Lucium filium scripsit Pontanus libros de stellis, et librum meteororum. Eiusdem autem obitum luxit carmine quod extat.

ceptus nominis et foliorum similitudine, et quae chamaedaphne erat, putavit esse patri suo dilectam Daphnen. Tanta est foliorum similitudo, ut ipsos medicos fallere possit: et si non alium late iactaret odorem, laurus erat. Dolemus nos et angimur amicorum morte, nec dissimulamus; quod nimium est, damnamus; cum peripateticos esse nos profiteamur, permittimus hominibus ut homines sint. Nam, ut Pius ille dicebat, neque philosophia, neque imperium tollit affectus. Illud autem stoicorum nihil dolere (ut ait Cicero), nihil misereri, nihil timere, nunquam irasci, nunquam gaudere, non contingit sine maxima mercede immanitatis in animo, stuporis in corpore.

Sed Pontanus nunquam vivet orbus liberis? Nec quaesivit sibi per progeniem et per corpus immortalitatem et aeternam gloriam, sed per animum. Pontani liberi sunt libri, nunquam morituri, pleni omni disciplinarum genere, in quibus apparet felicitas illa varii, versatilis, copiosi, ac floridi luculentique ingenii, seu praecepta quaeris philosophiae, seu carmina omnis generis, seu astronomiae dogmata. Si iocos quaeris, nemo Pontano suavior, nemo iucundior. Si seria, nemo illo gravior; si subtilitatem, nemo Pontano doctior aut diligentior. Adeo ut si quae Pontanus in variis generibus scripserit legas, eum tantum illi rei intentum fuisse, et in ea aetatem consumpsisse putes. Quod quam difficile sit servare in tam diversis rebus, modum et suum cuique decorem et gratiam, et ut sic dicam, mutare se Protei more in varias formas, quisquis non noverit, Pontanum imitetur, aut aliquod illius operum, ut erat Aegyptiorum regis inscriptio, exsuperet. Consolantur etiam Pontani orbitatem alumni, quos etsi non vili semine genuerit, mentis tamen et doctrinae illis fecundis seminibus et fovit et aluit. Praecesserunt ex auditoribus Pontanum, atque illum in campis elysiis hoc est in paradiso expectant Hermolaus Barbarus, Georgius, Maonius, Ladislaus, Iohannes et Paulus Attaldi, Compater, atque alii quos longum est enumerare. Qui euntibus ordine fatis illum sequentur illustris Aquaevivus, et comes Potentianus, Syncerus, Carbo, Milanus, Altilius, Corvinus, Pardus, Chariteus, Cotta, Pucius, Augustinus, Gravina, et Summontius candidissimus librorum Pontani censor et cultor, et tu ipse

Chrysostome. Et si isti vestrae novae neapolitanae academiae placet, annumerabo Tristanum, Pudericum, Hieronymum, Ingenuum, Sergium, et Galateum, qui Deorum munere soli ex vetere academia supersumus. Bene valeat Pontanus cum tota neapolitana academia, et mortem filii, ut solet et ut Pontanum decet, patienter ferat; ut diu nobis vivat.

11. AD HIERONYMUM CARBONEM DE MORTE PONTANI.

Potuisses unquam, mi Carbo, credere quod non lacrimas non gemitus attulerint mihi primo aspectu tam tristes, ut scribis, et ut par est, litterae tuae, in quibus sapientissimi iucundissimi et carissimi senis, patris academiae nostrae, Ioviani Pontani mortem deploras? Tu Pontanum, at ego quotidie nostra tempora deploro, immo iam diu deflevi ac deluxi patriam, deluxi tam bonos principes exules et regno pulsos, et amicos huc atque illuc per maria ac terras iactatos, alios extra natale solum longe ab amplexu natorum et amicorum in alieno caelo animam emisisse. Eleazarus noster Caesaraugustae obiit, vir bonus et suo principi percarus, et medicinae peritissimus, nec nimis senex. Qui mihi tristis esse potest felix illa et fortunata mors longaevi senis, qui ante oculos quotidie videam tot calamitates, tot aerumnas, mortes, tormenta, servitutes, carceres, morbos, inopiam amicorum et miserorum civium? Ubique pavor et plurima mortis imago. Quum videam externa arma, et efferatas gentes, et colluviem Hispanorum Gallorumque ab ultimo oceano in nostram perniciem erupisse; quum videam ante oculos extremum Italiae excidium. Horret animus dicere; sed ita futurum est, barbaris undequaque irruentibus, barbaris plena sunt omnia. Neque unquam haec bella quietura sunt, quousque illi bellando quin potius latrocinando, nos ferendo defessi simus.

Cum omnia vastaverint, utinam sim falsus vates periculum est ne in Turcarum potestatem debilitati et continuis bellis fracti deveniamus, opera et benignitate duorum christianorum catholicorumque regum, qui in suis regnis quietem agunt, apud nos bella saevissima exercent, et Turcarum regi iter parant, ut

totius orbis imperio potiatur. Quotidie viros fortes christianos bella consumunt, quotidie exhauriuntur aeraria, quotidie Christianorum vires, quae in hoc Europae angulo relictae sunt debilitantur. Facile erit Baizeto, simul ac voluerit, omnibus dominari: et ut Antiochus et Mithridates, quibus ille multo potentior est, aiebant, oceanum pontico mari adiungere: et tamen romana arma eo tempore maxime pollebant. Nec id considerant principes: adeo caeca est mens hominum cum ad supremum gradum et ad summas opes et ad omnium rerum luxuriam pervenerit. Haec intuens Baizetus tamquam e specula omnibus insidiatur; ridet calamitates et mala nostra, et omnia ad regni sui incrementa accedere recte existimat; et dubito ne hoc volentibus cunctis accidat; melliusque esse putent infideli regi in pace servire, quam tot continuis bellis perpetuo vexari.

Tu Pontanum deploras, in quo nihil meo iudicio deplorandum est, nisi quod tamdiu vixit quoad videret pessumdatam Italiae libertatem et deinde vastitatem. Utinam mortuus fuisset antequam a Gallis Capua caperetur, antequam Brutius ager sociis et fraternis armis praeter omniam opinionem occuparetur! Satis diu vixit Pontanus. Utinam omnibus nobis tamdiu vivere contingat! sed sine barbarorum metu sine bellis, quae nos per tres et viginti annos tenuerunt; tot enim sunt a capto Hydrunto (1). Nos orientem timebamus; nescio quis malus genius in nos occidentem armavit: rapiendi cupido et barbarorum avaritia illa fuit. Sed Pontano quid defuit? Fuit in illo felix quaedam et iucunda ingenii ubertas, multarum rerum peritia et eruditio singularis, eloquentia maior quam quae temporibus conveniat, in omni genere promptitudo quaedam et gratia. Magna fuit in illo persuadendi vis, fuit comis, iucundus, festivus, floridus, gravis, iocosus, severus, copiosus, et tam verus quam ipsa veritas, amicorum studiosissimus: tam versatilis et varia fuit in illo natura, ut cuicumque rei applicaret ingenium, feliciter ac foecunde illi omnia provenirent. Praecepta philosophiae et servavit et clarissime ac disertissime explicavit, et ex tetrica illa et severa antiquorum scribendi consuetudine ad communem

(1) Ergo haec epistola scripta est anno MDIII, etenim Hydruntum capiebatur anno MCCCCLXXX.

usum revocavit, et ut scripsit ita et vixit. Astronomiam et versu et soluta oratione elegantissime tractavit, et multa ex sua Minerva illi arti adiecit. Hoc est quod in Pontano maxime miror. Homo in magnis rebus, in regum negotiis occupatissimus, nec a re rustica alienus, tam diligenter litterarum studia persecutus est, ut non plus agere potuisset homo otiosus et in negociis aut publicis aut domesticis minime impeditus.

Verumtamen cum paululum deposita temporum tristi contemplatione ad me redeo, et Pontani iucundissimam consuetudinem, sales, et suavissimos mores, et sermones doctissimos in memoriam revoco, non possum non dolere angi et lamentari, ingentes illi quas solas possum lacrimas fundo. Litteras tuas amicis, quos hic in hoc exilio habeo, Placentio, Guidoni, allisque nonnullis ostendo; plus quam centies ille a nobis lectae sunt, omnes mecum collacrimant. Tria sunt et illis et mihi maximo solatio, ne dicam voluptati; primum quia mortuus est hoc ipso tempore, ne peiora videret mala quae imminent; deinde quia, ut ais, ad elysios campos relictis humanis miseriis ad meliorem vitam transierit; tertio quia nomen immortale et aeternam gloriam post se reliquit. Nos Pontano quotidie iusta persolvimus, quando meritas laudes nunquam tacemus. Bene vale. Vive, et meliora spera, et moestam academiam et parente suo orbatam meo nomine salvam esse iube. Barii.

12. AD CHRYSOSTOMUM
DE ACADEMIA LUPIENSI ET DE INGENUO.

Velim, Chrysostome, ut Actius meus et idem noster intelligat, mihi optimam conditionem oblatam fuisse a viris hydruntinis et eorum praetore veneto (1): recusavi, abnui, non quia angusta res mea et inopia recusare debebat, simul et impotentia eorum quorum nutu hic versantur omnia; sed quia timui ne in calumnias, quas amicorum ope et innocentia mea vitaveram, de integro inciderem. Nescimus enim qualis sit futurus rerum exitus. Ego autem si quid acciderit, apud Venetos minime esse

(1) Hydruntum scilicet Venetis deditum fuerat. Bembus histor. lib. III.

velim. Quamvis Hydruntum munitissimum sit oppidum, tamen nescimus, quo animo erga nos sint Veneti, genus hominum, vel ex levi causa, quod ad rei publicae gubernationem non minime curiosum, οὐδὲν ἐστὶν ἀποπροηγμένον. Conterranei mei verbis utar: Graecia terribili tremit horrida terra tumultu. Nec minus mare fervet classibus. Hic autem nihil est tutum; ii dominantur, immo et rerum potiuntur, qui nos oderunt. In eorum potestatem fere devenimus a quibus nulla est provocatio, quorum libido pro lege est, et ut uno verbo dicam, quibus plus quam Diis licet. Ego spero optima, si non merui, attamen benignitate Deorum, siqui sint qui στιγοῦσι τοὺς κακούς, cogito; difficillima perferam quaecumque Dii volent: idemque vir fortis et philosophus nihil metuo praeter mendacia, quae tam in speculativae quam in activae vitae genere perniciosissima sunt. In illa enim ignorantiam pariunt, malorum omnium pessimum; in hac vero et animae et corporis et fortunis nocent.

Credo, quoniam me nosti, te opinari Galateum, aliis timentibus ac servientibus, solum in summa securitate ac libertate esse. Scis enim me, Chrysostome, non parcum esse Dei optimi maximi cultorem: idola (1) venerari neque ego unquam, neque maiores mei consueverunt. Ideirco quando necessitas rei familiaris, aut aegrotantium petulantia non me in urbem vocat, in agris beato fruor otio; quamvis raro licet, fruor tamen dum licet, et spero ut liceat; et si non fruor, furor otium, et vito oculos hominum, si linguas minime possum. Et si quando tempus rusticandi datur, animam meam mecum porto; non illam, ut plerique, in urbe relinquo, quod non est vere otiari. Multo melius esse puto animum quiescere, corpus laborare, quam in quiete corporis animum angi, ac variis affectibus perturbari. Cum in urbe sum sola nobis solatio est hieronymiana cryptoporticus, et cellula illa plus elegans quam sumptuosa, in qua nuper inscripsimus οὐδεὶς κακὸς εἴσοιτο. Sed ne aliquis Diogenis scommate in nos quoque utatur, et ut aliis praeripiamus dicterium aut sententiolam, dicet quis: at tu et dominus qua intrabitis? Certe non mali non sumus, neque in consessu nostro malus quispiam diu admittitur, quod ad cog-

(1) Intelligit potentes aut divites homines.

noscendos hominum mores, crede mihi, argumentum est minime ac nunquam fallax. Nos hic praeter Spinetum et Maramontium tuum egregie moratos iuvenes, Raimundum, Sergium, Donatum, et alterum Donatum, neminem admittimus. Caenamus hic quandoque non laute, sed laete et frugaliter, colloquimur libere. Vivimus non ad alienum, sed ad nostrum arbitrium, nisi quantum me aegrotantes, Maramontium et Raimundum hortorum cura, Sergium Flora (scis quam dico), Donatum negotia, et alterum Donatum forensis exercitatio, omnes simul Turcarum metus perturbat.

Ingenuus ipse quietem agit, et solidam felicitatem nonnisi in otio et quiete esse et dictis et factis fatetur. Nec Turcas metuit, nec Afros. Tam pertinax in illo est securitas! Nunquam domo abest, nunquam urbe egreditur, nunquam perambulat; forum, quod ducentorum pedum spatio distat, vix semel singulis mensibus videt. Tam parva est illi alienarum rerum cura! Lectica est illi minor pertica; camera non maior cavea, qua inclusas tenemus aviculas; caenaculum, quod novem convivas capere vix potest sedentes. Spatiatur saepe in porticu, immo in cuniculo, seu potius in portu ab omni ventorum impetu tutissimo. Mane descendit in sacellum, quod contiguum est domui. Dehinc totus dies amicis datur, et adeo totus, ut nefas sit pueros interrogare, an domi sit Hieronymus. Ridet semper, iocatur, et humana omnia tanti facit quanti facienda sunt; amicos habet paucos, sed illos amat unice, loquitur libenter, audit libentius. Irascitur quandoque ferociter, sed tam cito sedatur ille furor, ut fulmen esse putes non bilem. Nemini unquam facit iniuriam. Quid plura? In illo natura philosophorum effinxit. Pater illi optimus philosophus fuit et medicus, qui in illum simul cum anima philosophiam quoque infudit, non eam quae in captiunculis disputationibusque, sed quae in bene beateque vivendo versatur, in contemnendis humanis rebus, hoc est in coërcendis affectibus. Ipse paucis, ut iubet noster Ennius, philosophatur, et de philosophia gustandum esse aliquid existimat non in ea ingurgitandum. Nihil audet, nihil sperat, nihil timet, nihil mentitur, nihil simulat, nihil dissimulat, et suis contentus rebus frugaliter vivit. Felix

qui cognatorum caret molestia! neminem enim habet, praeter filiolum et eum obsequentissimum.

Talis est nostra, Chrysostome, vita: et quamvis neminem laedimus, neminem iniuria afficimus, tamen non caret (ut scis) haec nostra academiola suis obtrectatoribus. Tam prona est ad maledicendum mortalitas! Tales sunt quales semper fuerunt philosophiae fructus. At vos amicos, quam maxime decere existimo habere rationem dignitatis aetatis fortunae immo et salutis meae. Scitis enim quantum audet dum potest saevitia hominum atque perversitas. Me, ne ad vos advolem, onus rei familiaris et egestas tenet. Illustri comiti Potentiano viro sanctissimo, me commendato, et has litteras post quam ipse atque Actius, quorum consilium (1). . . . .

13. AD ANTONIUM LUPIENSEM EPISCOPUM DE DISTINCTIONE HUMANI GENERIS ET NOBILITATE.

Veteres Graeci, quod minime Platoni et Straboni placere video, genus humanum in duas partes distinxere, in Graecos et Barbaros. Hanc eo tempore solitam distinctionem Herodotus in principio historiarum, et Aristoteles in libro de caelo, et fere omnes alii Graeci secuti sunt. Nos et Latinos adiunximus; et triplicem, vel ipsis Graecis consentientibus, distinctionem fecimus, ut universum genus, in Graecos, Latinos, et Barbaros dividatur. Nos, praeter Latinos, ceteras nationes non ut Graeci foedo illo vocabulo, sed externas appellavimus. Quin etiam ipsi barbari sua habent nomina, quibus externas gentes non sine contumelia quadam notant. Alii unam eademque nationem in nobiles et ignobiles dividunt; alii aliter et suo modo. Ii vero, quibus, si qua est in rebus humanis, inest sapientia, in philosophos et non philosophos mortales omnes divisisse videntur. Sic et Cicero Platoni consentiens negavit optimates nationem esse, qui non genere, sed professione et moribus, distinguuntur. Nam et Barbari suos etiam dicuntur habuisse sapientes, ut Indi gymnosophistas, Persae ac Babylonii magos et chaldaeos, Aegyptii sacerdotes seu va-

(1) Sequitur vacua in codice pagina.

tes, Galli druidas, Graeci philosophos, Latini sapientes. Apud Arabes etiam, nostrae aetati proximis saeculis, multi et excellentes viri in studiis sapientiae floruerunt. Nos Christiani habuimus quondam nostros, qui veram sapientiam secuti sunt, quam et nos docuerunt, apostolos et evangelistas.

Haec vera est, et quodammodo essentialis divisio; nam ab eo sumitur principio, quo homines sumus, et ab aliis animalibus separamur, hoc est ab ipsa mente et ratione. Quosdam non obscuros viros dixisse compertum habeo, tantam inter homines esse differentiam et tam dispares mores, ut alii ab aliis specie differrent: et hoc nomen homo, aequivocum esse, et non secundum eandem rationem de omnibus praedicari, ut de homine picto et de homine vero. Dii immortales! Quid ad hominis, qua homo est, constitutionem, facit potentia, aut genus, aut opes, aut fama, aut magistratus, aut imperium, aut vires corporis, aut pulchritudo, aut agilitas, aut eloquentia, aut favor et gratia popularis, aut amicitia principum? Quae omnia non solum pessimis et flagitiosissimis hominibus, sed rudibus atque insanis accidere possunt. Fortasse si quis haec aliena a ratione hominis et non sua appellaverit, non errabit. Si mens sola est, quae nos a brutis disterminat, profecto quanto illa magis valemus, tanto magis verae humanitatis participes sumus. Ea propter rationali distinctione homines in philosophos et plebeios, hoc est non philosophos, dividere licet, sive in doctos et indoctos, bonos et malos, quod idem est; nemo enim philosophus aut indoctus aut malus est. At si in aliquibus aut virtutibus aut viciis interdum eos convenire accidat, in pluribus tamen dissentire manifestum est, ut in institutis vitae, et moribus, et opinione. Fere omnia aliter vulgus, aliter philosophi intelligunt ac decernunt. Deum, caelum, sidera, et illorum motus, aëra, mare, et hanc quam incolimus terram, plantas, animantia, et ipsum hominem, aliter philosophus, aliter plebeius contemplantur. Mens philosophi per haec omnia libere vagatur, atque eisdem quibus et ipse mundus terminis clauditur. Plebs, quae iuxta Salvatoris verba de terra est, semper de terra loquitur, et circa terram volutatur. Necesse est, ut qui aliter intelligunt ac sapiunt, aliter atque aliter vitam et

mores instituant; multumque interest vitae, an mens et ratio, an affectus imperet. Philosophi ea tantum putant turpia, quae sunt mala et vere turpia; ea pulchra et bona, quae honesta iusta et sancta sunt; ut honeste et bono modo ditari, non per fraudes et furta et scelera; iniuriam potius pati, quam facere, quod apud populares quanto clariores sunt (voco enim hic populares et plebeios omnes qui carent philosophia) tanto ignominiosius atque abominabilius est; veritatem semper et ubique et apud omnes ingenue fateri, ratione vinci, iustitiae cedere, nihil mentiri, nihil simulare, nihil dissimulare, neminem laedere, omnibus bene facere, aut saltem non male facere, nihil pertinaciter vincere, cedere potius quam superbe superare.

Populares etsi verbis id laudent (quoniam virtus laudatur et alget) factis tamen non probant. Si verum fateri velimus, pulcherrimum putant ostentare sapientiam, ostentare sanctissimos mores, occultare scelera; aliena vitia, quamvis minima, turpiora existimare quam sua, religiosos videri et numinum cultores: quae ipsi, ut ignorant, sic et negligunt. Turpissimum putant vinci, refelli et coargui non patiuntur, ne moneri quidem, etiamsi id ratione fiat. Turpissimum egere, et magno esse dedecori viro secundum eorum appellationem bono carere pecunia et pictis tapetibus, aulaeis, argenteis vasculis et pretiosis vestibus, anulis et lapillis, atque humiles habitare casas. Contraria vero horum, honesta et pulcra et glorioso viro digna. An vera an falsa sint quae dico, examinet quisque pectus suum. Nam aliud quandoque verba sonant, aliud mens cogitat. Si haec iuste an iniuste adepti fuerimus, non curat populus. Unde, nisi ex visceribus popularis sapientiae, orta sunt illa exitialia proverbia: unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere? Et illud: si vis, amice, virum cognoscere, dorsum eius intuere. Satius erat dicere animum et mores. Et illud: per obliquum et rectum imple domum usque ad tectum. Et illud: in magno censu, satis est parvus sensus. At philosophi a sensu iudicant homines, non a censu. Haec, ut pleraque alia quae populo placent, philosophis execrabilia videntur.

Populares, praesertim ii barbari a quibus nostri proceres

nobilitatem traxisse se iactant, non pati iniurias, sed ulcisci, propulsare atque ultro inferre, gloriosum et virile putant; in litibus non superari, et adversarios circumvenire; pro minimis verbulis arma capere viri fortis esse; scire simulare atque dissimulare, et nocte dieque alienum sumere vultum, adulari, assentari, tegere profunda odia, celare simultates, prudentis et circumspecti viri esse; posse aliis iniuste dominari, patriae et concivibus suis, quod est parricidium, imperare; impune aliis nocere, alios anteire, salutari, prima habere in templis et in theatris subsellia, primas sedes in conviviis, tum regium quiddam esse, tum finem vitae. Suam vero rem agere, non capessere rem publicam, magistratus contemnere, unde claros viros et opulentos fieri dicunt, apud illos summa ignavia est. Pudet dicere, etiam mentiri, atque peierare Deos, atque homines fallere, inficiari veritatem, foenerari, et per fas, ut dicunt, et nefas accumulare divitias, quamvis mala habeantur, attamen bona invidenda et utilia existimant, si modo ea celata sint, aut certe, ut fit, impunita: nam paucula data mercede, omnia crimina deleri videmus. Nec solum homines placare credunt sceleratis et miserorum sanguine partis muneribus, sed etiam Deos. Si qui autem sunt, qui haec aut optimae naturae impulsu, aut philosophiae sanctissimis institutis abominantur, eos nunc imprudentes, nunc inutiles, nunc domus suae immemores, nunc insanos, aut quod hodie in usu est, nescios dicunt. Nec tantum ii, qui scioli apud plebem habentur, sed ii quibus anima pro sale data est, nos insanos appellant. Quid ultra? Tam dissimilia sunt et philosophicae et popularis vitae instituta, ut altera ab alteris tantum differre videantur, quantum homo a brutis, quantum caelum a terra, quantum immortales a mortalibus.

Magna in rebus humanis ac potentissima res est educatio, primaque illa pabula teneris animis adhibita multum habent in tota vita momenti. Qui inter improbos a rudibus annis in illa aetate in utramque partem flexibili versati sunt, qui perditissimorum et mendacissimorum hominum mores et admirati sunt et imitati, qui trivialem et venalem vitam ad alienum arbitrium peregerunt, quomodo possunt idem quod

philosophi sapere, qui ab ineunte aetate probatissimos viros amplexati sunt, eosque sibi ut exemplar quoddam vitae proposuerunt? qui Platonem atque Aristotelem, qui veteres et novas scripturas venerantur et colunt, earumque praecepta mentibus impressa gerunt. Duos nascentibus nobis aiunt genios deputari; alterum qui semper dirigit atque hortatur ad optima, alterum qui depravat ad mala. Duo in adolescentia nostra offeruntur calles, ut dicunt de littera Phythagorae, alter ad philosophicam vitam hoc est ad nobilem et patriciam, alter ad trivialem et plebeiam, et si vis etiam barbaram appellare. Sed divinus Plato gratias se habere naturae aiebat, quod graecus natus esset, non barbarus. Non quod Graeci barbaris sint meliores, sed quod eo tempore et arma, et litterae, et philosophia, et omnis ingeniorum cultus, omnes ingenuae disciplinae apud Graecos vigebant. Non gentem igitur Plato probavit, sed mores et studia. Barbari, ut nunc quoque, semper oderunt litteras. Qui bonum genium, qui dextrum callem arripiunt, pauci numero sunt; et cum potissima pars rei, principium sit, cuicumque parti primo te addixeris, difficile cum velis illam vitabis; quamvis multo facilior sit a bonis ad mala lapsus, quam a malis ad bona ascensus. Nam revocare gradum superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est.

Vis dicam, qualis futurus sis senex? qualis iuvenis fuisti. Vis dicam, quales habiturus sis in senectute mores? quales in adolescentia imbibisti. Nec ideo id dico, quoniam et consuetudine et aetate mutari non possint, sed quoniam id raro accidit. Ideo Plato ait, ad constituendam optimam rem publicam, maximam esse habendam curam ad instruendos pueros; nam ex iis viri fiunt. Ideo apud barbaros nulla est res publica bene instituta, quoniam illorum pueri negligunt litteras, sed inter scorta, ludos, aleas, chartas, talos, vivunt, aut regibus serviunt. Non potest libertas animi a servitio vitam auspicari. Ideo Romani purpuratos et regum limina terentes, regum mancipia nuncupabant. Nos hic de viro in omni aetate perfecto loquimur, non ut ii qui eos qui totam vitam sceleribus maculaverunt, in fine aliquod virtutis opus ostentant, approbant; aut eos qui totam vitam sine labe transegerunt, quia semel peccа-

verunt, reprobant. Virtus enim et vitium, habitus et diuturnae res sunt, neque una tantum actione notantur: una hirundo non facit ver, neque una dies: nam illos natura bonos duxerim, hos vero divina gratia.

Ut ad rem igitur redeamus. Ne mirare, vir optime, si vulgo non placent, quae philosophis placent: nam et quae medici probant, aegrotis saepe invisa ac molesta sunt. Sic et quae praecipiunt philosophi, vulgo gravia sunt, et multitudinis opinioni minime consentanea, immo et stulta contemnendaque videntur. Utque aegrotorum non est decreta medicorum, sic nec popularium quamvis ii sapientes vulgo habeantur, philosophorum placita et mores aut laudare aut vituperare. Nam illud peritioris medici opus est, hoc autem viri sapientioris. Sed quum nihil facilius sit, quam se ipsum fallere, nihilque in vita divinius, quam seipsum cognoscere, saepenumero cum homines simus, fallimur; sed nunquam superbius aut arrogantius, quam cum eorum, quorum vix discipuli esse meremur, consilia atque actiones corrigimus atque damnamus. Non est discipulus supra magistrum. Haec Dominus noster verba dixit ad castigandam hominum audaciam ac temeritatem, qui et doctiores et sapientiores se, corrigere et carpere audent, qui philosophos hoc est magistros vitae damnant. Si bonam habent mentem, si sibi credunt, si conscientiam suam secum ipsi consulunt, se multo inferiores esse fateantur necesse est, quam ii qui corripiuntur.

Ego in omnibus causis meis iudicium tuum reformido, tum quia gravissimum est, tum etiam quia in animas nostras habet imperium (1). Addo etiam, quoniam tantum me tibi debere fateor, quantum filii optimis parentibus. Ceterorum vero iudicia tanti facio, quanti facienda sunt. Idque ex philosophorum sententia mente semper teneto, tantum id vituperabile esse, quod malum est. Omne malum vitium est; atque ubi peccatum non est, non posse esse turpitudinem; neque aliorum delicta, unquam aliis esse pudori. At non posse pati aliorum difficiles et perversos mores atque insolentiam, fugere molestias, quaerere tranquillitatem vitae, nescio an hoc iure nobis

(1) Loquitur Galateus cum episcopo

laudi an vituperationi, virtuti an vitio dandum sit. Forti viro, infracto et magno animo ferenda est ira Deorum; et bene iusteque vivendo, magis quam votis et sacrificiis, deprecanda atque placanda. Ferendi sunt principes qualescumque ἔδωκε Κρόνου παῖς, et ut scriptum est, etiam discholi: ferendus est impetus saevientis fortunae: ferendum est imperium patris, quamvis iniquum: ferenda est paupertas, ne illius causa aliquid iniuste agamus: ferendi dolores et ceteri casus. At ferre imperium eorum, qui tibi iure servire deberent, difficillimum est, et bene instituto animo intolerabile. Tergiversari et fugere pertinacissimos homines, aut rem publicam male institutam, cum iure et ratione vincere non possis, etiamsi ea res tibi damno sit, laudabilius existimo, quam contentiose vincere. Sicut post labores corporis grata est quies, sic post labores animi suavissima res est otium et tranquillitas; quae quanti sit, et quam beata, si qua est vita otiosa, qui philosophi non sunt non noverunt.

Videtur namque (ut ait Aristoteles) felicitas in quiete esse: et sedendo, ut ait, et quiescendo fit anima sapiens et prudens. Otium apud sapientes beatum habetur; apud barbaros, hoc est apud indoctos et plebeios, ut ignavum contemptui ac dedecori. Soli igitur philosophi, et siqui sunt quos benigna natura et bonus amavit Iupiter, laborant ut quiescant et otientur; populares vero laborant quotidie, ut magis ac magis laborent et angantur. Non licet igitur ex aliorum moribus alios iudicare. Multa decent principes, quae non decent subditos: multa senibus conveniunt, quae iuvenibus turpia sunt, quamvis dicat Homerus τῷ νέῳ πάντ' ἐπέοικε. In mulieribus iucundum esse silentium refert Aristoteles γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. Viris silentium inurbanum est: qui viris turpissimus est, mulieres decet ornatus: quae liberis debentur, non debentur servis: viro civili indecens est vulgi rumores, et plebis, cui servit, iudicia contemnere, philosopho id ipsum summae laudi; nam vir civilis plebi natus est, philosophus sibi ipsi et Diis immortalibus. Is igitur vere civilis vir est, qui populo placet; is philosophus, qui populo non placet sed optimatibus, qui vere et re, non nomine, nobiles sunt, et ubique paucissimi.

Alt Dominus noster, cuius vita non civilis fuit, sed vere ut Chrysostomus ait philosophica, beatos nos esse cum maledixerint nobis homines, et cum persecutionem patimur propter iustitiam; tunc sapientes, cum vilissima plebs nos insanos iudicaverit. Quae conscia stultitiae et malitiae suae interdum referet illa verba: hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum et similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est! Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiae lumen non luxit nobis, et sol intelligentiae non est ortus nobis. Hi sunt barbari, hi sunt feram brutorum vitam degentes, hi plebeii, hi ignobiles, ex quocumque genere orti sint, ex quacumque patria, ex quacumque gente. At probi viri, nobiles sunt, quamvis barbari fuerint, aut libertino patre nati. Quis enim, nisi inscius rerum humanarum et verae nobilitatis, Horatium plebeium aut ignobilem appellaverit? Quis Virgilium a nobilitate abdicaverit, qui in parvo pago et obscuro patre? Quis Ciceronem qui in municipio? Quis Demosthenem ex patre fabro ferrario? Quis Socratem, qui ex marmorario patre et matre obstetrice? Quis Aristotelem, qui in Stagira? Quis Platonem, qui in Academia? Theophrastum, qui in Eresso? Hippocratem, qui in Coo? Et litterarum parentem Homerum, qui in Cea insula, seu potius in exiguo scopulo, natus sit?

Magna inter bonos malosque, inter sapientes et insipientes, inter doctos et indoctos, inter philosophos et eos qui a philosophia alieni sunt; inter Graecos autem et Latinos et barbaros, et ut divus Paulus ait, inter Iudaeos et Graecos nulla distinctio est; nulla inter plebeios et patricios, nulla inter servos et dominos, nulla inter Aethiopes et Scythas, modo mores conveniant. Barbarorum appellatio primo a sermone sumpsit initium, demum ad mores tractum vocabulum: et recte quidem; nam perniciosior barbarismus est in moribus, quam in sermone: minus malum est in grammatica peccare, quam in philosophia. Et inter barbaros, optimos et sapientissimos viros et mulieres quandoque; et inter Graecos Latinosque, indoctissimos et scelestissimos fuisse legimus. Non igitur

a genere, aut a censu, aut a patria, aut a natione accipienda est humani generis distinctio, sed a vita et moribus: et ut dixi, Cicero recte sentit nobilium et optimatum non nationem esse, sed professionem. Non satis habere mentis et virtutis puto eum, qui proavorum facta extollit, illos admiratur et colit qui se claris iactant ortos natalibus, qui nullos putat esse nobiles nisi generosos. Profecto aliena laudat, qui genus iactat suum. Maior et coniunctior cognatio est inter bene moratum aethiopem et graecum virum bonum, quamvis hic rex ille sit servus, quam inter graecum et graecum, quorum alter optimus sit, alter pessimus, quamvis uterque eisdem sit natus parentibus. Anteponenda est animae affinitas et morum paritas corporis cognationi; distinctio a forma accipienda est, non a materia.

Dominus noster cum illi obiiceretur, quod samaritanus esset et daemonium haberet, negavit se daemonium habere; ad alteram obiectionem nihil respondit, ne videretur, ut multi solent, gentem aliquam, aut nationem, aut familiam parvi facere, atque probro notare. Nam et inter Samaritanos verisimile est bonos quoque viros fuisse: et magis affinem et proximum iudicavit eum, qui misericordiam fecerat in illum quem latrones pereusserant, quam contribulem eius levitam, Idem Dominus et praeceptor noster, inquit: Elias multas habebat viduas in iudaico populo et natis orbas, et tamen viduae sareptanae alienigenae filium suscitavit. Philippus Candaces Aethiopum reginae servum sacro baptismate insignivit, nec illi obiecit quod servus esset aut aethiops aut eunuchus. Id multi ex romana et graeca nobilitate non meruerunt.

Quid mihi opponis nobilitatem? Quid maiorum claritatem? quae, ut idea Platonis, aut nihil penitus in re est; aut si est, extra nos est, et in sola hominum opinione consistit. Tolle tuum, precor, Hannibalem victumque Syphacem in castris et cum tota Carthagine migra. Quid tibi cum iis, qui ante quam tu nascereris, mortui sunt? Quid gloriaris de patriae magnitudine, de amplitudine praediorum, de servorum multitudine, de virtute cognatorum, de innumeris gregibus, de immensis opibus, de sumptuosa supellectile? Omnia haec aliena sunt,

Lauda et cole quae tua sunt, quae te comitante, sive imperator sis, sive miles, sive ex patricio et senatorio, sive ex equestri ordine, sive fortuna eorum quae diximus domina te servire iubeat sive dominari, sive moreris, sive peregre proficiscaris, et quae te nec in vita nec in morte relinquunt. Nulli, aut admodum pauci eorum quos admiramur, locupletissimi fuere, aut claro genere, aut patria illustri, ut diximus, nati sunt. Aristoteles in politicis inquit: natura conatur ex bonis bona facere, sed plerumque non potest. Et idem: verisimile est ex bonis bonos nasci. Idem negat potentiorum natos posse institui bene. Et Dominus noster divites et potentes abdicat a regno Dei: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Heli iuste gubernavit populum, at filii et sibi et patri pernicies fuere. Samuelis filiorum peccata a iudicibus ad reges transferre imperium populum coëgere: maluit populus duram servitutem pati, quam iudicum rapinam et insolentias et stupra.

Fateamur verum. Quot videmus eorum, qui nimis possunt, quibus plus licet, sancte et secundum virtutem vivere? Et quamvis regiones ad formandos animos hominum multum possint (mitior enim plaga mitiores gignit homines, et praestantiores animi mores) tamen videmus potissimas in omni re partes habere institutionem. Hippocrates dicit Asiae gentes mansuetioresque et ad bella minime idoneas, Europae vero feroces ac bellicosas; sed videmus nostris saeculis illas Europae imperare. Quae nostri maiores Asiae gentibus obiiciebant, manicatas tunicas, mitrarum redimicula, unguenta, eadem ab illis nobis obiici possunt. Natos ad flumina deferre, raptu et venatu vivere, caniciem galea premere illi didicerunt. Graecorum esse Aristoteles putavit barbaris imperare; at nunc et Graeci et Latini, qui quondam toti orbi dominati sunt, externis serviunt. Magna perfecto vis est et disciplinae et consuetudinis! Non igitur quia quisquam graecus sit, nobilis est; nec quia sit aut appelletur barbarus, ignobilis; nec quia patricius quisquam sit aut equestris ordinis, bonus; nec malus, quia ex infima plebe natus sit. Ait Cicero: qui neminem posse honesto loco nasci dixerit, nisi qui ex patricio genere ortus, facit

ut iterum plebs in Aventinum secedat. Multos servos a regibus, multos reges a servis originem traxisse, auctor est Plato. Nobilitas igitur sola est atque unica virtus.

Nec ideo me haec dixisse putes, pater optime, quia sim adeo humili genere natus, ut non possim cum omni nobilitate certare. O infelicem hanc Italiae partem! Rarus est, de quo non possit dici: maiorum primus quisquis fuit ille tuorum, aut pastor fuit, aut id quod dicere nolo. Quis est ex his, qui nobiles appellari volunt, qui possit ultra centesimum annum suae stirpis initium demonstrare? Cuius non pater, aut avus ab externis, ne dicam a barbaris, Gallis, aut Germanis, venerit nudus, inops, famelicus, squalidus, pannosus; et hic locuples factus et clarus per caedes furta et rapinas, nihil ibi unde venerat reliquit, nihil secum tulit nisi rubiginosum ensem et hastam. Nec fuere magna virtutis opera; vicere non repugnantes, sed ultro vocantes. Vis ut his me comparem? qui nosti et patriam et patrem meum graecis et latinis litteris instructum, virum iustum, bene moratum, alieni abstinentem. Avus meus et proavus et ceteri progenitores mei sanctissimi sacerdotes graeci fuere, philosophiae et sacrarum scripturarum scientissimi. Audebit ne aliquis venerando sacerdotum generi conferre latrones, praedones, sicarios, violentos, iniurios et barbaros? Cum barbaros dico, non illis, ut saepe dixi, nationem impropero, sed mores et pessimas artes, per quas ad eum in quo nunc sunt locum pervenere. Sit igitur tam longo sermoni pro conclusione hoc paradoxon: omnes doctos bonos et philosophos, nobiles ac patricios et illustres esse, et ut stoici dicunt etiam reges: omnes autem malos et indoctos iniustosque, ignobiles esse plebeios servos et barbaros.

14. AD ILLUSTREM AQUAEVIVUM DE GLORIA CONTEMNENDA.

Hortaris, mi Aquaevive, ut aliquid scribam, ut aliquod monumentum ingenii mei relinquam. Finge me talem esse qui aliquid victurum scribere possem. Sed dic, quaeso, quam aggrediar materiam? Quid a maioribus nobis relictum est? Quid

intentatum illis fuit? Vis ne me physica scribere? Iubes et manes Aristotelis laedere. Quid enim illi aut adiiciendum aut amputandum est? Omnia divini vir ingenii absolvit. Dices: interpretari potes quae in eo aut rerum magnitudine, aut auctoris subtilitate, aut interpretum vitio, aut exemplarium mendositate obscurata sunt. Sed utinam mihi nota essent, quae alios ignorare video! Ego summo ingenio virum esse duco, cui intelligere ea contingit, quae Aristoteles invenit. Occurrit tibi ubique turba interpretum, habemus Graecos, habemus Arabes, qui Graecos imitati aptissime Aristotelis aenigmata enodaverunt. De nostris (quid dico de nostris?) de Francis nosti, quid sentiam. Utinam Aristotelem nunquam attigissent! Hi dum veterum vestigia sequi dedignantur, et res quasdam novas machinantur nec ipsi Oedipodi dissolvendas, trahunt verba in suas significationes, mutant et transponunt, ordinem pervertunt, et corrumpunt sententias, et aliqua divinant quae nunquam ipse auctor imaginatus est.

Timon interrogatus, quomodo emendata Homeri opera haberi possent, respondit: si in ea quis incidisset, quae nemo emendavit. Idem sentio de Aristotele. Averroës arguit eos, qui putant Aristotelem sine interprete nunquam intelligi posse. Mihi verum dicere videtur; scripsit enim vir ille ut intelligeretur, sed nos dum laborem fugimus, labimur in errores. Si philosophari vis, illustris Aquaevive, dignare consilium accipere: purum, simplicem, et solum legas Aristotelem, et universum: quoniam, ut dicunt, liber librum aperit: quoniam ubique ipse sibi similis est, ubique invenies quod iuvet, et ad obscuras et arcanas res intelligendas serviat. Graecos habeas codices; erunt enim tibi optimi interpretes, ubi aliquos locos nimis obscuros, aut male a nostris in latinum versos inveneris. Si quando opus est interprete, non praetercas Alexandrum, Themistium, aut ipsum Averroën: ceteros autem melius est aut nunquam videre, aut ita percurrere, ut exploratores faciunt quando hostium castra, aut ignotas regiones adeunt. Profecto satius est aliqua ignorare, quam scire.

At de moribus scribendum fortasse existimas, quando haec pars philosophiae multos a speculatione rerum naturalium re-

vocavit, et ea est quae plurimum vitae conducat. Sed quid in hac re Aristoteli defuit? Scio te nosse, quam bene Aristoteles ethicam tractavit. Quis clavam de manu Herculis poterit surripere? Certe divinus ille vir calamum scribentibus, qui fuerunt, qui sunt et qui futuri sunt, extorsit de manibus. Plato hanc rem alio ordine, atque alio docendi genere pertractavit. Ciceroni in philosophia nec ingenium defuit, nec docendi ars atque elegantia. Theophrastus tractavit locos ab Aristotele ante tractatos. At ego ex philosophis illum Aristoteli proxime accedere existimo, et sic secundum tenere locum, ut propior sit primo quam tertio. Nec putandum sanctum virum praeceptoris, qui illi omnia sua moriens commiserat, manes sollicitasse, et ita locos tractasse, ut se illi aemulum praeberet. Sed quae Aristoteles suo more, ut Boëthius ait, turbavit, hic clarius et intelligibilius scripsit, ut non modo non ingrati discipuli, sed boni interpretis munus effecerit. Hic profecto, ut et cetera bona sibi commissa, sic et illa nunquam moritura opera servavit, et divino sermone unde nomen accepit illustravit.

In dialectica quis Aristotele dicente auderet loqui? Subtilissime disseruit omnia, et ordine quodam mirabili mihi mirabilia videntur. Sunt qui nova sophismata, immo ingeniorum capturas, calculationes, et inanes nescio quas suppositiones laudant et colunt; sed illa pingui Minerva scripta putant, haec vero adeo subtilia, ut et ipsum Aristotelem fallere possent. Heu misera mortalitas! Certe in apicem ignorantiae deventum est, dum barbarorum disciplinas colimus. Graeci vi et armis et vicissitudine fortunae, quae humana omnia suo arbitratu dispensat, barbaris serviunt. Nos nostra sponte barbaris cedimus, dum eorum dogmata sequimur. Utinam hoc tantum in nostris studiis fieret! Quod pudendum est, barbarorum linguas miramur et colimus. Nos qui eos a feris moribus et immanitate liberavimus, a barbaris habitus, incessus, nobilitatem, et sermonem, et leges vitae accipimus. De hoc alias.

In astrologia Ptolemaeo credendum est. Quid plura desideras? Sunt quae in illo Arabes emendaverunt, forte et nonnulla emendanda forent nostra tempestate, quandoquidem caelum ipsum non ita metiri possumus, ut non certis temporum

periodis, ex vix sensibili errore, qui vel sollertissimos fallere potest, aliquid proveniat corrigendum. Quod certe solutae mentis et viri tantum sibi viventis opus est, nec occupati in visitandis aegrotis, qui prandii horam differat ad meridiem, caenae vero ad mediam noctem. At in medicina, in qua versaris, aliquid novi tentandum est. Dii facerent, ut quae a veteribus tradita sunt, noscere possem! Scripsit cous ille venerandus senex, cuius nomen mihi numen est, sacra quaedam opuscula, quae intelligere, ut scis, magni laboris, excellentisque ingenii est. Pater artis Galenus nihil posteris scribendum reliquit, omnia absolvit, tantusque ille est in medicina, quantus Aristoteles in philosophia. Sunt et Graeci, et Arabes, et Latini complures, qui parva quaedam adiecerunt, etsi multa scripserint. Iubes me forte lyram capere, et carmina pangere, ut saltem hoc modo aliquantisper post obitum vivam? Non omnia possumus omnes: negavit natura: nihil possumus invita Minerva facere; nec superest tempus, etiam si natura non negasset.

Sed magna gloria est res gestas scribere aut nostrorum, aut externorum. Mihi non tantum est virium. Ego qui obscurus fiam post obitum, ut laborem alios illustrare? Alii curent, quae sunt, quae fuerint, quae mox futura trahantur. Mihi tantum cura sit rationem reddere bonam brevis aevi, quo vixi, et victurus sum, quoad fata volent; nec parvum duco, si id efficere potero. O rem miram, mortale animal iam iamque solvendum tam avidum esse immortalitatis! Unusquisque longam sibi promittit vitam famamque post mortem: omnibus, ut diu vivant, cura est; paucis, ut bene. Tecum ego, ne ignavi aut tardi aut pusilli ingenii dicar, clam loquor, illustris Aquaeviue, ideo litterulas meas cera signatas non publice legendas mitto. Quid prodest illis sanctis cineribus Aristotelis tam clara per totum orbem fama? Quid prodest umbris Hippocratis et Galeni, quod graece, quod latine, quod iudaice, quod arabice legantur illorum divina opera? Non tanti est ista umbrarum gloria, ut tot labores subeamus. In hoc uno summopere laborandum est, ut recte vivamus in hoc saeculo, ut in altero participes simus aeternae gloriae nunquam defuturae. Nemo in posterorum utilitatem, sed in sui laudem (si verum fateri

velimus) scribit: ideo alter alterius opinionem carpit, alter alteri praestare studet, alter alterum accusat: tantumque se gloriae unusquisque adeptum existimat, quantum strenue alterum expugnaverit. Omnes sibi famam novitate aliqua aucupantur, et nonnisi ex aliorum vituperatione sibi laudem comparant. Multi divitias contempsere: qui gloriam contempserint, vidi neminem: immo qui videri cupit magis illam contemnere, is ardentius eam amplexatur. Vana est ista libido, sed non minus perniciosa mortalibus: quamquam omnium malorum caput est avaritia: capit eruditum vulgus magis, quam rude; omnesque tunc vivere maxime sperant, quando amplius vivere non possunt. Nescio cur quanto generosior est mens, tanto magis huic morbo obnoxia est.

Nec ideo dico, quia non sollicitat me, ut et ceteros, haec vanitas, nec est mihi cornea fibra; nec ego quia tardi, ut dixi, sum ingenii, id damno quod consequi nequeo, sed ideo quia in hac peste video miseram mortalitatem involvi. Quid igitur? Desidesne ac ignavi vivemus, nec nomen nostrum ad posteritatem prorogabimus? Quid mihi cum posteris? Ego, modestissime mi Aquaevive, si ignavia est veterum scripta perdiscere, et noctes atquo dies in legendis illis consumere, atque artem, cui me Deus addixit, pro virili mea exercere, malo perituraе parcere chartae; ignavus haberi, quam audax atque impudens, qui dum me a rogo atque a cineribus submovere cupio, dum ea impressoribus vendo, quae ante me moritura sunt, ipsum laborem, et si quid otii est perdam, et quod maius scelus est, aegrotorum, qui mihi vitam suam committunt, curam negligam, et contemnam ea quae a veteribus inventa sunt. Volo igitur, princeps sapientissime, ne ignores siquando legeris epistolas meas, aut eucrasiam quam tuo nomini dedicavi, aut quatuor illa mea volumina problematum, aut si qua alia dies tulerit, minus polite minusque accurate scripta, putes scriptorem occupatum in curandis aegrotis, formidantem iudicia multorum, non posteris sed tibi et admodum paucis placere voluisse. Ideo nec magnum impendo laborem, sed quocumque calamus duxit, eo et manus et mens secuta est. Stultum enim est navare operam, ut ei bonus do-

ctusque videaris, cui mores et omnia tua studia nota sunt. Bene vale, decus Musarum.

15. AD ACTIUM SYNCERUM DE INCONSTANTIA HUMANI ANIMI.

Magnum iter emensus tandem incolumis, sed defessus ac defatigatus, domum redii. Ah quantum mundi est inter me et Actium meum! Cur non licet una vivere? Postridie quam domum ingressus sum, πρὸς τὸν Νικήταν (1) accessi, ut urbes, ut homines, ut me ipsum fugerem. Urbes niduli sunt scelerum, homines ferae bestiae, me ipsum fugio quoniam saepe mihi ipsi oneri sum, mihi ipsi non semper eadem est mens. Nunc placent urbes, nunc solitudines, nunc mare, nunc silvae, nunc me offendunt quae ante iuvabant, et summo fastidio sunt turba hominum, strepitus, tumultus urbium, pompae, triumphi, currus et passim occurrentes rhedae, equi, asellorum ingens caterva, impedimenta, mendaces officinae, nidores, clamores, tubae horribiles, campanae, longe sonantia mortaria, nautarum voces, ubique fraudes, ubique periuria, servulorum infidum mendax rapax et querulum genus, pictae et fucatae facies, triplices matronarum vestes, puellarum impudentissima ostentatio, nocturnae cantiones, crebra amantium suspiria, rara gaudia, chori, lyrae, tibiae, crebra funera, lugubres vestes, fletus, lacrimae, gemitus, luctus ubique et plurima mortis imago, carceres, tormenta, cruces, suspendia, et poenas non iis inflictas qui maxime merentur, furta, foenora, mentitae amicitiae, procerum superba atria, diuturnae salutationes, auratae vestes hoc est larvarum ludibria, hypocrisis et doli, turba crassantium iudicum, et scribarum rapinae, et populorum sanguine constructae et saginatae domus, causidicorum simulati ad clientulorum perditionem clamores, aegrotantium lamentationes et in miseros medicos convicia, pigmentariorum inexplicabiles mixturae, et vitiata in perniciem humani generis medicamenta, compositae dapes, lauta convivia; et ut Galeni verbis utar, fugienda est πολυάνθρωπος πόλις, hoc est urbs mul-

(1) Nicetas idem qui Nicolaus hydruntinus. Videsis de Angelis et Polydorum in vita Galatei.

torum hominum, qualem et Aristoteles videtur non satis probasse; ait enim politicorum libro septimo: ἀδύνατον εὐνομίσθαι τὴν λίαν πολυάνθρωπον.

Rursus me taedium capit silvarum, nec semper placet illud perpetuum silentium, illa horrida et inculta naturae facies, garritus avium, balatus pecudum, mugitus boum, incompositi pastorum et messorum cantus, viles epulae, inempti cibi, somni sub divo, quaeque ante maximae fuerant voluptati, nunc sunt fastidio. O inconstantia humanae mentis! Aliud mane, aliud vespere sapimus. Quando nobis ipsis constabimus? Gloriosa res est urbes colere, attamen periculosa; inglorius vivit, sed securus et sibi tantum, qui in agris vitam agit. Nusquam est maior, quam in urbibus temporis iactura. At in urbibus amici sunt, sine quibus ne vivere quidem optimus vir velit. Magna et praeclara res est amicitia, et bonorum virorum conversatio, sed calamitosa. Certe experimento compertum est verum illud esse: nulli te facias nimis sodalem, gaudebis minus et minus dolebis. Quid mihi profuit novisse Maonium? Quid Ladislaum? Quid Hermolaum? Quid Paulum Attaldum? O sanctae animae, non potuistis et hunc spiritulum vobiscum ducere ad Superos? Tu vero, Acti mi suavissime, quando mihi tantum afferes voluptatis, etiamsi Nestoris annos superes, quantum attulisti tristitiae in illis tuis periculis, a quibus te Dii boni et ipse Federicus eripuit? Tu colebas Mergellinen intrepidus ac victor pestilentis morbi, quem divus parens medicinae Hippocrates epidemiam appellavit; ego ad extremam Iapygiam cum moerore et lacrimis noctes diesque agebam, eaque sollicitudo immo is cruciatus animum meum praeter cetera, huc atque illuc distrahebat, quia an viveres dubitabam.

Ad amicos redeo. In humanis rebus nihil est amicitia honestius, nihil iucundius, nihil utilius, nihil sanctius. O infidum genus humanum! Difficile est amicum invenire, sed difficillimum servare. Tam variae sunt naturae hominum, tam dispares mores, ut vix duo aut tria legamus amicorum paria. Tolle paritatem morum, tolles amicitiam. Physici duos homines posse eiusdem esse complexionis negant. Tanta est singulorum varietas! Consequens est, ut nec eiusdem opinionis duos ho-

mines invenias. Esto sint pares in omnibus, ut de duobus pythagoricis apud Dionysium fama est, et de duobus geminis apud Augustinum: haec paritas non erit perpetua, quoniam idem homo aliud mane sapit, aliud vespere. Natura omnis est in continuo fluxu. Profecto omnium rerum vicissitudo est: sic et mens nostra inconstans est et varia. Talem refert Aristoteles secundum Homeri sententiam habere animum homines in terris, qualem dedit pater hominum Deorumque.

Memini me vidisse viros gravissimae auctoritatis damnare quod ante summopere commendaverant, nec id intra multos annos contigisse, sed intra paucos dies, ne dicam horas. Mutata igitur opinione, necesse est et mores mutari: mutatis moribus, tollitur amicitia. Ambigua igitur et fluxa non minus est quam calamitosa amicitia, etsi sit optima. Legimus gravissimos et sanctissimos viros inter se inimicitias exercuisse, et postea in amicitiam rediisse. Inter Hieronymum, Augustinum, Rufinum, inter Platonem et Xenophontem orta est dissensio. Nosti enim quantum mali mihi ex amicis accidere potuit, nisi amici me in tam bona causa defendissent. Certe homini ab homine plurima sunt mala. Nonne vera sunt verba unius de septem sapientibus, qui dicere solebat ὦ φίλοι, οὐδεὶς ὁ φίλος. Feres me nec obiurgabis, si quod palam dicere soleo, etiam ad te scribam: optimum est, ut Aquaevivus noster ait, quandoque sedere; ut ego, latere. Dices, quare? ut fugiam mihi invisum humanum genus, ut fugiam me ipsum, quem nunquam possum fugere, qui mihi saepe sum discors atque hostis, proponamque mihi illud poëtae carmen semper cantandum: Pallas quas condidit arces, ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae. Et quamvis Ulpianus, testimonio Ciceronis, dicat: latitare est turpis occultatio sui; quod fieri potest absque fraudationis causa ob tyranni metum, aut ob domesticas seditiones, id non vitio dandum est. At si id ob fugiendam malorum hominum consuetudinem fiat, et peccandi occasionem, id meo iudicio probitati et virtuti tribuendum est. Hanc olim veteres vitam coluere prophetae et sancti viri, qui tutius cum feris Libyae, ut Phalaris quamvis tyrannus fuerit fatetur, versari putaverunt, quam cum hominibus. Hoc est quod di-

vus Hieronymus amicis suadet: ea propter puto Aristotelem dixisse hominem solitarium, aut Deum esse, aut bestiam: Deum, si id virtutis et bene vivendi, bestiam si fraudationis et scelerum perpetrandorum causa faciat.

16. AD ILLUSTREM AQUAEVIVUM APOLOGETICON.

Cum ad te scribo, illustris Aquaevive, aut de natura, aut de moribus, aut de medicina, aut de re domestica, aut de aliqua re, quam ipsa occasio fert (quoniam sicut fortuna iubet a te absum) videor mihi te alloqui, te amplecti, notas audire et reddere voces. Tecum loquor cui a natura, ut et morum sic et victus et habitus et sermonis data est iucunda simplicitas. Fateor, illaboratus est sermo meus, non exquisitus, non elegans, sed qui a vero non multum abest, qui non ab aliis, sed a te tantum benigne audiatur. Fateor me dicendi artem habere nullam, neque tantum mihi esse otii, ut in verborum pictura studeam. Sed si quis est, cui veritas et simplicitas placeat, qui eloquentem appellet (ut ait Socrates) vera dicentem, huic ego fatebor me rhetorem esse, neque Ciceroni neque Demostheni cedere. Non accurate non fucate iis loquendum est, qui veritatem sectantur, qui non ad posteros sed ad notos scribunt; sed iis, quibus ut Gellio placet, concessum est uti falsis audacibus subdolis captiosis sententiis. Nobis inconcessa sunt ista, quoniam Musas colimus severiores immo potius veriores.

Ego a grammaticis, quorum perversa est subtilitas, barbarus fortasse dicor, quoniam nescio cuius Laurentii (1) praecepta non servo, quoniam iis parum latine loqui videor; tamquam nihil philosopho curandum sit, nisi ut quam latinissime, aut atticissime loquatur. Cum ego et Actius meus quasdam Senecae epistolas legeremus, occurrit forte sententia, quae mihi summopere placuit; et quoniam his, quae nunc dico opportuna videtur, ipsius Senecae verba subscribam (2): "minus tibi

(1) Vallae scilicet, de cuius villa lepidam epistolam scripsit Galateus quae iamdiu extat.

(2) Ad Lucilium ep. LXXV.

„ accuratas a me epistolas mitti quereris. Quis enim accurate
„ loquitur, nisi qui vult putide loqui? Qualis sermo meus es-
„ set, si una sederemus aut ambularemus, illaboratus et fa-
„ cilis, tales volo esse epistolas meas, quae nihil habeant ac-
„ cersitum, nec fletum; sed si fieri posset, quid sentiam, os-
„ tendere quam loqui mallem: etiam si disputarem, nec sup-
„ ploderem pedem, nec manum iactarem, nec attollerem vo-
„ cem, sed ista oratoribus reliquissem.„ Satis est mihi, prin-
ceps optime, quando non aliis, sed soli tibi mitto litteras meas, etsi non quid dicam, saltem quid dicere velim, intelligas. Tuum est et a te tritum proverbium: malo virum, qui quandoque quod non intendit proferat, quam qui verba trutinet, atque ut tu dicere soles rotundo ore loquatur. Putas enim eos qui nimium sermoni student, qui belle loquuntur, utiliora negligere, meliusque esse peccare verbis quam moribus, melius esse vocabulorum proprietates ignorare quam rerum.

Hoc Plato, hoc Aristoteles sensit, hoc Galenus: et quamvis hic eloquentissimus fuerit in asiatico, ut videtur, dicendi genere, et poëmatum non ignarus, ille vero rhetoricae arti, ut ait Cicero, adiumenta plurima subministraverit, tamen eos testes admittunt. Quid quod idem Cicero, Quintilianus, Plinius, Gellius senserunt? Atticissent qui velint, nos loquamur ut libet: soloecismos vitemus in vita et in arte medica, quam profitemur, in qua non de verborum significatione, non de pictis verbis, sed de hominum vita agitur. Nos, ut nostra dictat Minerva, loquamur. Quid agendum nobis sit cogitemus, non quid dicendum. Ego ut in loquendo, ita et in scribendo hunc morem teneo: simpliciter dico, nec quibus verbis dicam cogito, dummodo quod sentio aperiam, nec verba exquiro, nec verbis parco, libere vivo, liberius loquor, lacesso neminem, virtutes laudo et personas; si quando vitia accuso, personis parco: nunc familiaribus verbis utor, nunc grandibus, si aut res postulat, aut animus fert, aut casus obtulerit: interdum graeca verba si occurrunt inculco, quoniam et tibi placent, et habent nescio quid innatae suavitatis, quoniam etiam quandoque latina verba desunt propter egestatem linguae. In philosophia et medicina quandoque verbis utor veterum, ut Plinii, Cornelii,

Senecae, et aliorum. Si illa non occurrunt, non tantum mihi otii est ut per omnes bibliothecas perquiram: sed si aut alia, aut nova a recentioribus inventa sunt et usitata, quamvis minus latina, et illis utor, quoniam tempus et consensus multorum illa probavit simul ac civitate donavit.

Similia mihi videntur esse vocabula quibusdam fructibus, qui quando ab arboribus leguntur, acerbi sunt; deinde cum illos domi, aut intra fictilia, aut intra paleam triticumve, aut ad solem servaveris, tempus illos mitiores facit, et ut cetera omnia concoquit ac perficit. Et interdum mutantur tempore ipsa vocabula: multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque quae nunc sunt in honore vocabula. Quin etiam, et quod istis qui cum matre Evandri loquuntur, quique nihil nisi latine dicendum existimant, ridiculum videretur, arabica verba non reformido, vere barbara et latinis auribus, ut et nostra illis gentibus, horrenda vocabula. Neque illa fugere debemus cum ipse Atheniensium dux Themistocles, natus in disertissima urbe, Persarum linguam tam paucis mensibus didicerit ob commercia belli quod inter Graecos Persasque gerebatur. Nobis idem faciendum est, qui non, ut ille, hostes occidere, sed homines sanitati restituere curamus. Cogit ad hoc ignavia immo inscitia interpretum, qui Graecorum disciplinas non a Graecis ipsis, sed a barbaris mutuati sunt, existimantes melius esse a sordidis rivulis, quam ab ipso puro fonte bibere. Unde fit, ut magnam partem doctrinarum, aut male, aut perverse, aut cum magno labore intelligamus. Ex altera irruunt in me novi philosophantes et medici, qui si a me aliquid latine, aut inter amicos, aut apud principes dictum fuerit, quod aures plenas sophisticis vanitatibus numquam intraverit; si me ex aliquo poëta (ut sapientissimi veteres fecerunt) sententiam adducere, aut ex historia hoc est ex magistra vitae aliquod exemplum afferre, aut aliquid ex veteribus latinis, aut ex graecis ipsis proferre audierint, me poëtam, me rhethorem dicunt.

Utinam mihi tantum Dii immortales boni praestitissent, ut dignus essem inter poëtas annumerari! Utraque enim ars, medicina scilicet et poëtica, eundem habent auctorem; unde illud:

inventum medicina meum est, opiferque per orbem dicor et herbarum subiecta potentia nobis. Et illud: carminis et medicae Phoebe repertor opis. Non sine causa veteres illi divinorum consiliorum capaciores, ut et multas artium, sic et medicinam ad Deos et Deorum genitos retulerunt, comitemque dederunt poëticam: quoniam, ut puto, utraque plus ingenii requirit, quam artis. Et quamvis in omnibus artibus multum natura potest, tamen in medicina et poëtica videtur maxime natura caelestisque influxus operari: unde poëtae et medici divinitatis nomen assecuti sunt; ex quibus nonnulli adhuc viventes templa et divinos honores meruerunt. Semperque hae duae disciplinae sacrae habitae sunt, et cum religione quadam illas veteres exercuerunt. Aegyptiorum sacerdotes medicinam in adytis habebant. Graeci medicis et divinos honores instituerunt. Haec una artium imperatoribus quoque imperat, et auctores suos locavit in caelo: illic Apollo est, illic Mercurius, illic Centaurus, et ipse Deorum genus Aesculapius. Romani, qui ut cetera omnia, sic et Deos a Graecis habuerunt, nemo ignorat quanta veneratione Aesculapium receperunt. Troianis temporibus Graecorum tantum proceres medicinam exercuerunt: unde Homerus ἰητὴς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἐστί. Virgilium ipsum medicinae operam dedisse legimus. Transeo Catonem, Antonium Musam, Macrum, Cornelium Celsum, Ausonium, et multos ex antiquis Romanis. Ipse Avicenna totam artem carminibus explicavit. Placent mihi poëtae et historiarum scriptores, sed hae succisivae fuerunt mihi quondam lectiones. Placuerunt Platoni et Aristoteli, placuerunt Galeno. Aristotelis volumina auctoritatibus historicorum et poëtarum plena sunt. Galenus Homerum, Hesiodum, Menandrum, Euripidem, Herodotum, Thucydidem, et plures alios saepe advocat; adeo ut videatur omnes poëtarum et historicorum libros revolvisse.

Tu philosophiam et medicinam ingressus es illotis pedibus, qui vix novisti prima rudimenta grammaticae: tu in calculationibus occupatus es, tu in legendis dissolvendisque sophismatibus, tu in theologiae parte illa curiosa et minime disputanda otium teris. Haec dogmata neminem ex his, quos tu ipse magnos iudicas, sollicitaverunt. Ego et politica, et

ethica, et historias legi, et ipsos poëtas, qui per iucunda quaedam oblectamenta non minus, quam philosophi per severa praecepta, et legum latores per minas et tormenta vitae conducunt. Ego in cognoscendo situ caeli terrarumque sollicitus sum; tu in alta, ut Galenus ait, cathedra, ut captiosis puerilibusque disputatiunculis gloriosus videaris: tu gloriae studes, ego conscientiae: tu auditorum multitudini, ego mihi et admodum paucis. Non sumus ergo pares. Tu maximus philosophus haberis, tam iniqua sunt magnatum, qui se omnia scire putant, iudicia! ego nugator atque inutilium disciplinarum studiosus. Tu Burleos, Bonetos, Scotos, Iacobos, Hugones sectaris, ego quando opus est, eos quamvis invitus lego tamen. Sed me plus iuvant Plato, Aristoteles, Theophrastus, Alexander aphrodisiensis, Themistius, Hippocrates, Dioscorides, Galenus, et Alexander medicus, Paulus aegineta, Oribasius, Aëtius, et arabes nonnulli, ut verum fateamur, non contemnendi auctores. Mihi placet Plinius antiquorum Graecorum et nostrorum medicorum interpres, placet Cornelius, et illa simplex et usque ad illud tempus virgo antiqua medicina, nec sosphismatibus inquinata; et nonnunquam recentiorum volumina, quae mihi utilia videntur, revolvo.

Tu quaestuosus, tu nummosus es: tu mille una hora aegrotos curas, ego vix paucos curare recte valeo. Tu uno venarum ictu morbos omnes vel occultissimos cognoscis, ego vix millesimo, vel parvi morbi naturam comprehendo. Tu citius totam urbem percurris, quam ego unam domum: adeo mea segnis est medicina, tua vero subita et tumultuaria. Tu stipatus caterva equitum peditumque incedis per urbem, me vix unus comitatur puer; et siquando ii occurrunt, protinus repello. Tu quaestui et avaritiae servis, ego necessitati amicis et Diis immortalibus. Tu venalis es, ego liber ac meus: te splendidae vestes et aurea zona et bullata mularum ornamenta decorant, mihi pulla vestis hieme aestateque satis est: habenae mihi non ad solem micantes, non auro radiantia calcaria, sed quibus mulam regere et pungere possim. Tu ad opes maximas anhelas, ego illas desidero pariter et contemno. Pueri tui vilibus cibis vix ventrem implent, mihi cum

meis non lauta sed copiosa et communis est coena. Tu magna struis tecta: at ego in parvis non minus laetus vivo: te operiunt pictae testudines et aurata laquearia, me vero non bene dolata ligna, calami et imbrices ab imbribus et caumatibus defendunt; at laquearia mihi sunt caelum ipsum, et nota sidera, armatus auro Orion, Arcturus, Pleiades, Hyades, geminique Triones, et gemini fratres Helenae: lucida testudo, lacteus circulus, commissura caeli, et beatorum via. Iuxta hanc aquila Iovis, et ipse pater medicinae Aesculapius, et cetera sidera, quae enumerare non est praesentis negotii. Quis pulchriora poterit struere tecta? Quae testudines ditiores, quae aulaea, quae gemmae, qui colores his aeternis luminibus comparari possunt? Haec celestia semper spectare debemus, et illa humana contemnere: ab his sedibus egressi ad easdem redibimus, ut cum Superis aeternam beatamque vitam agamus.

Vides igitur, princeps optime, quantum mihi conducunt mea studia, quantum illis nocent sua, quibus affectata sunt omnia. Me professionis meae homines alienum putant, quoniam eorum nec dogmata nec mores sequor. Cultores vero latinae linguae me tamquam non satis latinum non admittunt. Itaque convenire mihi videtur conficta ab Horatio fabula. Quid igitur faciam, mi Aquaevive? Incusarem ego fortunam meam, nisi viderem idem, quod nunc mihi, antea principi medicorum Galeno contigisse, qui ob fastus medicorum Romam, ut ipse ait, πολυάνθρωπον, hoc est multorum hominum, fugit; et nescientibus amicis, relicta domo et parva familia, per Brundusium et Cassiopeiam, quae est in Coreyra, Asiam petiit. Utrique me carpunt; ego Democriti exemplo utrosque rideo. Sic res se habet: tu tibi places, ego mihi. Inter te meque hoc interest, quod tu malos auctores, ego bonos colo. Nemo hominum maledicta vitare potest, etiam si bene vixerit, si neminem laeserit. Maledicum enim ex sui natura et mordax est humanum genus, nec minus in aliorum vituperationem, quam in sui laudem promptum.

Pater, ut narrant, senex ex urbe in agrum ducebat parvum filium. Asellus modicum portabat viaticum. Obviam venerunt quidam, quibus, ut saepe accidit, maior cura est alie-

nae rei, quam suae; qui salute data redditaque, sic senem puerumque allocuti sunt: o insana capita! senex puerque ob aetatem infirmi, pedes per arenas trahitis, asellus vacuus onere sequitur. Senex ascendit. Subiude alii occurrunt, incusant senem, qui tam bonae indolis puerum fatigaret; ipse iam satur vitae, tantam sui curam haberet. Is enim mos est iis, qui maledicere solent, semper sub umbra quadam boni, mala leniter invehunt: non aliter quam nos medici, qui sub melle amara medicamenta condimus, idque facimus non solum quod in illo optime et diu servantur, sed etiam ut natura quae mellis avida et dulcium rerum amica est, simul cum melle trahat et illa medicamenta. Acer est is maledicendi modus, nec minus capit bonorum, quam malorum aures. Descendit pudibundus senex, ascendit puer. Qui tertio loco obviam veniunt execrantur puerum, qui patris senis tardipedis et luminibus paene orbi non miseretur. Ascendunt ambo. Qui quarto loco veniunt, accusant ambos, qui tam bellum et pinguem asellum agitarent ad mortem. Invenit et asellus qui sui misererentur. Adeo est ingeniosa ad maledicendum mortalitas!

Talis est, Aquaevive, vita: quacumque eamus via, semper obtrectatores obviam habebimus. Nec putet quisquam laudem aut vituperationem bene aut male esse mortalibus, quod recte aut non recte vixerint, sed esse, ut ait A. Gellius de Epicteto philosopho, ignotas causas ad quas paucorum potuit pervenire curiositas. Haec quaestio philosophorum et sanctorum virorum mentes sollicitavit, nec soluta ab aliquo est, quem ipse noverim. Nos, Aquaevive, vivamus recte quoad possumus: sapiamus cum iis, cum quibus vel errare nobis laudi est. Iudicia hominum tanti faciamus, quanti ipsi nostra. Ceteras curas Diis immortalibus relinquamus. Vale.

17. AD BELISARIUM AQUAEVIVUM DE NEOPHYTIS.

Vanissimum esse, illustris princeps, iudicium plurimorum constat, qui de statu hominum secundum vulgi opinionem iudicant. Nos de falsa nobilitatis appellatione satis multa dixi-

mus in epistola, quam quondam sub hieronymiana porticu ad Gelasium tuum scripsimus; nec non et alibi hunc locum tractavimus. Quoniam in hac re video caligare humanum genus, quod honores saepe dat indignis et famae servit ineptum: quae maxime laudi dare deberet, novitatem vituperat: nescit praestantiorem esse nobilitatis aut divitiarum auctorem, quam qui vel bene inventis utitur; et architectum artifice, et magistrum discipulo. Facile est inventis addere, at invenire difficile. Et quamvis difficile sit, ut Galenus ait, eundem incipere, et perficere, tamen Aristoteles ingenue, ut philosophum decet, fatetur nos aequum esse reddere non modo habere gratiam, non solum iis qui bene, sed iis qui male dixerunt; moverunt enim mentem nostram ad speculandum et ad investigandam veritatem. Nationes omnes sua habent vocabula, quibus alienigenas notant, Latini externos, Graeci barbaros, Iudaei gentes, Turcae horrido quodam verbo gauros nuncupant, quod a Iudaeis ortum puto, illi enim gentes goim appellant. Rabbi Moses vir doctus, qui aetate Averrois floruit, inquit, arabicam linguam a iudaica sicut latinam a graeca originem habuisse, corrupte tamen. Qui veritati serviunt, re ipsa non nomine iudicant omnia. Ideo apostolus Paulus dixit: inter Iudaeos et Graecos non est distinctio.

Sapientis mulieris ad romanum regem sententia est: quis sis, non unde natus sis, reputa. Nec miror si popellus decipiatur; sed hoc mirum est, multos eorum, qui sapientes habentur, in hoc errore volutari. Multi gallicam, nonnulli germanicam, clariores troianam originem ostentant. Si nostra ut aliena iudicaremus, si genus quisque suum examinaret, inveniret multos Laomedontes, multos Tantalos, multos Gyges, multos Sisyphos, complures Dionysios et Autolycos, unde genus duxit ille tot voluminibus a poëta cantatus Ulysses, multas Medeas, multas Phaedras, multas Helenas, multas Deianiras, Pasiphes, Ariadnas, Tarpeias, Lupas, Ilias, et genus invisum et rapti Ganymedis honores. Ingrata certe latinitas est. Quae vitia, quae scelera Graecis non obiicimus? a quibus omnes ingenuas, si quas habemus, disciplinas accepimus. At Graeci, Chaldaeos, Magos, Aegyptios, Iudaeos, a quibus nonnulla ac-

eeperunt, colunt, celebrant, et paternae venerationis nomen illis indiderunt. Nos erga Graecos parum grato animo sumus. Eos vero qui a Iudaeis profecti sunt detestamur, ac probrose nominamus neophytos. Si Christiani sumus, si semen Abrahae nos esse quotidie palam in templis profitemur, si Christum magistrum et dominum colimus, quare iudaicam originem inter omnes barbaros in omni virtute praestantissimam et iustissimam abominamur?

Nullus meorum ex Iudaeis progenitus est, sed ex Italograecis et iis sacerdotibus secundum ordinem Melchisedechi, hoc est secundum ordinem iusti regis, qui ut et nos Christiani panem et vinum sincerum sacrificium offerebat. At si quis ex Iudaeorum nobilissimo et antiquissimo genere ducat originem, dummodo cum Christianorum orthodoxa fide recte sentiat, eum nobiliorem putaverim, quam si ex barbaris et iis regibus natus sit. Nonne dominus et Deus noster ex beatissima virgine, et tamen iudaea, ex Davidis inclyta prole natus est? Princeps apostolorum Petrus, ceterique apostoli et evangelistae, non troiani, non graeci, non latini, non galli, non germani fuere, sed iudaei. Paulus doctor gentium, vas electionis ait: Hebraei sunt? et ego. Israelitae sunt? et ego: semen Abrahae sunt? et ego. Idque sibi gloriae dari existimabat, quod erat ipse a stirpe genitus, non in ramis, ut ipse ait, insitus, aut neophytus. Unde leges habuimus? Qui nos cultum veri numinis docuerunt? Qui nos bonis et sanctis moribus instruxerunt? Qui nos ex foedis sacrorum ritibus liberaverunt? Qui nobis viam ad regnum caelorum aperuerunt? Nonne Iudaei fuere? Cur igitur abominamur et turpi nescio qua appellatione notamus, quod re et factis probamus? Quid in templis legimus? Livii decades, an Herodoti musas, aut bella gigantum, aut Platonis leges et rem publicam, aut ethicos libros et politicos Aristotelis? Legimus, cantamus pentabiblum et sacram illam historiam salubribus et divinis praeceptis plenam, et sanctorum prophetarum monita, psalmos et epistolas, et actus apostolorum, et divinissimam christianam philosophiam quatuor evangelia, quibus nec Atheniensium, nec Lacedaemoniorum, aut Cretensium, nec Romanorum, nec ipsius Pla-

tonis leges, nec duodecim, quarum memoria abolita es, tabulae comparari possunt. In his multa sunt, quae ad rerum publicarum et populorum, aut ad potentum, aut ad regum utilitatem scita sunt: in illis vero nihil est nisi divinum et sanctum, rectum et pium, nihil quod a vera iustitia discrepet. Cur igitur, ut dixi, eos damnamus ac detestamur, quorum instituta et sanctissimos mores amplexamur?

Percurramus veteres historias. Quae gens nobilior, quae antiquior et melioribus orta auspiciis, quae Deo gratior fuerit, quam genus Iudaeorum? Ante captam Troiam Graeci rudes et litterarum expertes erant, et ut antiquissimi hominum Aegyptii, apud quos diu versati sunt Iudaei, aiebant: semper pueri Graeci, nec quisquam ex Graecia senex. Linus, Orpheus, Musaeus, Homerus, Hesiodus, multo post captam Troiam fuisse posteriores, certum est. Tempore belli troiani res Iudaeorum ample ac magnifice florebant. Sed multo ante eversam Troiam, et primam olympiadem, leges divinas divinissimus vir Moses Iudaeis dederat. Pentabiblus illa sacratissima, cui omnes homines consentiunt praeter paucos, qui se nimis sapere putant, vetustissima est et omnibus nationum libris antiquior; prima scriptura omnium quae in orbe terrarum habentur, unde tamquam e fonte leges omnes emanarunt: in qua de origine mundi, de primordjo rerum, de caeli, stellarum, elementorum creatione, deque eorum distinctione, de ortu hominum, animantium et plantarum tam sapienter et eleganter, quam vere et pie scribitur; de separatione humani generis in varias provincias, de idiomatum confusione, et de sanctis et iustis legibus et institutis digito Dei scriptis. Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque invenies, non portentosam illam metamorphosim ethnicorum. Quid plura? Omnia, quae nos Christiani habemus, a fontibus Hebraeorum nos illa hausisse ingenue fateri necesse est, si ingrati esse bene merentibus nolumus. Ingenui viri est fateri per quem profecerit.

Desinant igitur lacessere Iudaeos patres nostros, quorum dogmata sequimur, Abraham, Isaac, Iacob, Mosen, Christum, et apostolos illius Petrum et Paulum doctores gentium, qui nos docuerunt legem sanctam et orthodoxam, qui sanguine

suo regnum caelorum et illam caelestem patriam nobis pepererunt. Quibus quantum debeamus, ethnicorum impurae leges et nefandi sacrorum ritus ostendunt. At si recentiores Iudaei durae cervicis et pertinacis ingenii gens, ut et nonnulli Christiani Christo non credunt, non id culpae dari debet generi et sanctis illis quos diximus patribus. Damnandi sunt igitur homines quidam, non genus totum. At si quis ex iudaeo vere christianus effectus, nonne est laude dignior, quam nos, qui in alieno solo sati, in aliena stirpe tamquam neophyti hoc est novelli surculi insiti sumus? Vir quidam magnus et rex inclytus iure praeposuit duodecim patriarchas, duodecim illis, quos Franci patres appellant.

Ea propter, illustris vir, pro tua sapientia et doctrina nemínem aut genere, aut fortuna, aut morbo, aut obscuris natalibus, aut progenitorum scelere vituperandum ducas, quem non sua vitia premunt. Virgunculam illam, quam bonis avibus filio tuo iunxisti, dilige, ama, instrue bonis moribus et orthodoxa et christiana disciplina. Nata enim est ex nobili et bene morato patre, et honesta quam bene novi matre, et ex gente in toto terrarum orbe quondam celeberrima (1), et non ut nostri non minus inscite quam impie dicunt, contumelia numinum, immo veri numinis cultu insigni. Tu autem, vir prudens, quoniam res acta est, sis contentus voto tuo, et garrulitatem vulgi contemnas. Vulgus autem voco eos omnes, qui non noverunt litteras, quamvis magnates sint et illustres. Nosti enim naturam rumoris hominum et famae; quo malo ut nihil velocius, nihil quod sese in auras attollat vehementius, sic nihil est quod citius languescat et concidat. Si nos viri fortes et philosophi sumus, nullam vituperationem curare debemus nisi eam quae ex vitiis, nullam laudem nisi eam quae ex virtute nascatur. Bene vale.

(1) En quae causa vel occasio fuit Galateo scribendi hanc Hebraeorum vel potius Neophytorum apologiam, nuptiae videlicet christiani Aquavivae cum puella neophyta.

18. AD MARINUM PANCRATIUM DE DIGNITATE DISCIPLINARUM.

Duae sunt, Pancrati, ingenuae disciplinae de quibus inter nonnullos magna dissensio est; litterarum altera est, altera rei militaris. (1) Qui regibus serviunt, qui auspicatu suo magnas res gerunt, multas legiones ducunt, qui regna custodiunt, qui hostes propulsant, omnes rem militarem praeferunt, eoque argumento utuntur, quia tam sacrae litterae, quam gentiles, et ipsi divini poëtae, nonnisi fortium virorum facta continent, singularia certamina, pugnas, incursiones, obsidiones, et expugnationes urbium, victorias, et ex victis gentibus triumphos: quae omnia ad rem militarem pertinent. Ipsi heroës Diis, ut aiunt, geniti hac via caelum petierunt. Tot insignia, tot hastas, tot oscilla, tot vexilla et scuta in ipsis templis pendentia, tot titulos, tot praeclaras familias, tot principatus, tot imperia, nonne arma pepererunt? Denique, ut Aristoteles ait, militaris vita multas habet partes virtutis. Contra qui litteras tutantur, obscura esse omnia dicunt, nisi sint litterae, quae cuncta illustrant, quae Deos hominibus conciliant, quae caelestem illam patriam, quae elementorum unde nos constamus et vivimus plantarum animantium omnium, denique ipsius hominis naturam nobis demonstrant. His constant regna, res publicae, urbes, et ipsi exercitus. Leges, sine quibus ne vivere quidem possumus, ipsis litterarum monumentis servantur. Sine litteris nec reges, nec duces, nec milites, nec classes, nec ipsi piratae suo munere fungi possent. Nisi litterae essent, nec clarorum virorum facta nosceremus Hae lucem humanis rebus ministrant, hae nostri memoriam plus quam aut aera, aut marmora prorogare possunt. Sicut nec sine armis tuta, sic nec sine litteris clara aut beata potest esse vita.

Barbarorum ferocissimae nationes, et ad moriendum promptisshmae, quoniam sine litteris sunt, et humanis moribus, immanes semper habitae sunt. Earum bella beluarum pugnis

(1) Huic Galatei epistolae respondet Aquaevivus apud de Angelis in vita eiusdem Galatei p. 52.

similia, quae ad necandum, non ad vincendum, aut ad bene parta victoria utendum geruntur: non tanguntur misericordia, mortem contemnunt, quoniam earum vita morti aut brutorum vitae similis est: vulnera non horrent, non ratione ipsa duce, sed naturae suae feritate; ad ferarum enim naturam proxime accedunt. Barbari et qui ad austrum et ad septentrionem in intemperatis regionibus siti, sunt adeo immanes ut et humanis carnibus vescantur; in utraque enim extrema mundi parte anthropophagos esse Aristoteles auctor est. Romani quot captas urbes libertati pristinae restituerunt? Semper inermibus pepercerunt. Carthaginiensibus, qui toties plus perfidia et fraude, quam bello Romanos vicerant, victis servire licuit. Pyrrhus captivos Romanos, quorum virtuti belli fortuna pepercit, sine pretio remisit. Quae igitur in mitiori plaga habitant gentes et bonis moribus institutae sunt, plus habent humanitatis, feritatis minus, ut sunt Graeci, et Itali, et si qui his proximi sunt moribus, qui pro gloria, pro imperio pugnare solent. Hos ad bella plerumque compellit non immanitas animi, non humani sanguinis aviditas, sed aut gloria aut ipsa rerum humanarum necessitas. Ideo hostes minus patiuntur; dolorem autem vulnerum, morbos, febres, egestatem, fortiter ferunt. Quia huic loco maxime convenire videntur, verba Ciceronis subscribam (1); ait enim: " itaque barbari quidam et immanes ferro ,, decertare acerrime possunt, aegrotare viriliter non queunt. ,, Graeci autem homines non satis animosi, prudentes ut est ,, captus hominum, satis hostem aspicere non possunt. Iidem ,, morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri et Cel,, tiberi in proeliis exultant, lamentantur in morbo. Nihil po,, test esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur.,, Haec ille. Ideo Graeci et Romani semper humanius bella gesserunt: cum Pyrrho tamquam cum competitore pugnatum est, cum Hannibale tamquam cum hoste, cum Gallo et Cimbro tamquam cum leone, aut serpente, aut tigre.

Hae quaestiones saepe nos otiosos, ut scis, dum regem expectaremus, sollicitabant, unusquisque suis favet partibus, et contemnit ea, quae aut non suae sunt facultatis, aut quae con-

(1) Tuscul. II. 27. Confer. de off. I. 12.

sequi posse se non sperat, aut quae non novit. Scientia enim, ut dicunt, tot habet hostes, quot habet sui nescios. Pancrati vir ingeniose, vetus haec est et adhuc sub iudice quaestio; sed facile solvi potest, si bene dubitare noverimus. Qui nescit quaerere, nescit invenire: qui nescit dubitare, nescit solvere. Quaestio haec non de terminis est, sed de tota possessione. Qui arma aut rem militarem nominat, unam tantum pronunciat ex virtutibus, quas philosophi morales appellant, fortitudinem scilicet. Qui vero litteras dicit, et moralem et intellectualem virtutis partem comprehendit. Peripatetici bifariam virtutem distinguunt, intellectualem alteram, alteram moralem appellant. Illa speculationi et cognitioni rerum tantum vacat, haec ad bene beateque vivendum necessaria est. Illa partes habet tres, videlicet metaphysicam, physicam, et mathematicam: moralis vero quatuor, prudentiam, iustitiam, temperantiam, et fortitudinem. Placet quae ab Aristotele inter intellectuales virtutes adnumeratur, prudentiam hoc in loco moralibus virtutibus adiungere. Nam et in actione semper est, et his virtutibus admixta, et in activae vitae genere versatur non comtemplativae.

Utra autem illarum dignior sit, non oportet disputare; ab Aristotele enim lata sententia est, a qua non licet provocare. Quicquid Aristoteles decrevit, non ab imperatoris ore, aut a praetoris edicto, aut a senatus consulto, aut ab aliqua quavis optima republica sancitum esse putes, sed ab ipso Dei et naturae oraculo. In primo libro ethicorum, quem cum Ferdinandum sequeremur ad ripam Vulturni amnis una legere coepimus, et utinam omnes decem libros legissemus! mota est de dignitate virtutum quaestio, in decimo libro soluta. In primo videtur Aristoteles sentire omnes virtutes sub civili disciplina esse, quoniam haec, ut omnium princeps, videtur de omnibus cognoscere. In decimo anteponit contemplationem omnibus virtutibus, cuius solius Deos participes facit, et per quam homines quantum possunt similes fiunt Diis. Haec igitur tantum divina est: moralis vero humana, cuius Dii non sunt participes. Fortis est qui audet, non propter gemmas et aurum, non ob amorem, aut ob fugiendas vitae calamitates, sed pro Diis

pro patria pro suo rege honeste mori. Non enim quovis modo vitam proiicere fortitudo est: nam nec lenones cum pro meretrice, nec nobiles quosdam cum pro levi causa, ut mos est barbarorum, cum coniunctissimis pugnant, fortes appellare aequum est, nisi eo modo quo crassatores, aut piratas, iustos appellamus, quoniam iuste praedam partiuntur; aut fures prudentes, quia caute et bene furari sciunt. Humana igitur virtus moralis est, eaque homini inest, qua homo est animal rationale et sociale et gregatile. Intellectualis vero inest in quantum aliquid divinum in illo est. Aristoteles ait, si omnium, quae in mundo sunt optimum esset homo, fortasse moralis virtus esset optima virtutum. Sed quanto Dii hominibus praestant, tanto virtus intellectualis morali praestantior est. Possem multa huic loco adiicere, sed frustra disputantur, quae ab Aristotele ante disputata sunt ac determinata. Contemplativam virtutem, quae tota in cognoscendo est, non in agendo, morali praetulit non tantum Aristoteles, sed redemptor noster Christus. Dixit enim: haec est vita aeterna, ut cognoscant. Et idem Mariam, quae non negotiosam, sed contemplativam vitam significat, optimam partem elegisse iudicavit. Quis ab hac domini et magistri nostri sententia provocare audebit? Nec te a vero amoveant, vir sollers et acute, rationes quae multos qui tardioris sunt ingenii, moverunt. Vident enim eos, qui in magistratibus sunt, qui arma exercent, qui exercitus ducunt, qui classes gubernant, qui magnas merces undique apportant, nec non ipsos humani generis hostes piratas, in magnis divitiis et honoribus esse, et apud principes et apud populos claros haberi; et ut Cato dicere solebat, fures privatos in compedibus, publicos vero in auro et purpura; eos vero, qui contemplationi vacant, obscuros inopes et abditos iacere. Haec sunt quae multos errare fecerunt, praecipue Colutium Salutatum, qui cum nihil sciat, omnium rerum notitiam sibi vindicat (1); et nuper Ilicinum virum alioquin doctissimum, qui Franciscum Petrarcham interpretatus est. Sed ille aperte mentitus

(1) Nescio qua bile commotus haec scribat de Colutio viro doctissimo Galateus. Bernardi autem Ilicini extat commentarius ad Petrarchae triumphos.

est, credens se scire, quae nunquam noverat: hic vero blandiri, ne dicam, assentari fortasse conatus est suo principi et potentibus viris; aut fortasse litteris arma praestare intellexit tantum fama, quoniam de fama disputabat, quae tota popularis est, quod et ego non negaverim.

Si plebis iudicio, si popularibus auris, si vulgi erroribus vehamur, non tantum honores, magistratus, divitias, et cetera (quae si illis bene utamur, bona sunt; si male, mala; indifferentia enim sunt) sed ea, quae manifeste mala sunt, laudare cogemur, ut insidiari, adulterare, peierare, testamenta falsa supponere, latrocinari, foenerari. Philosophi non multitudinis opinionem sequuntur, sed eorum qui vere sunt viri, quamvis pauci sint. Dicere alteram disciplinam nobiliorem altera, quoniam aut honoratior sit aut fructuosior, aut regibus et populis gratior, nihil aliud est, quam ipsius rei naturam negligere, spectare vero quae illi aut aliena sunt aut extrinsecus accidunt. Finge esse aliquem in tua urbe virum (nonnullos tales fortasse invenies) nobili genere natum, probum, innocentem, ingenio et virtute praeditum, pauperem tamen, et invisum, ut fit, fortunae; inglorium (et quod felicissimum est) ignotum principibus; alterum ignobilem, foeneratorem, delatorem, facinorosum, brevibus Gyaris et carcere dignum, opulentum et gloriosum et magistratibus et titulis clarum; utrum istorum, Panerati, praeferes alteri? Scio quoniam novi mores tuos, dices: bonum illum virum et pauperem. Hoc exemplo non intelligas me bona malis velle conferre: utraque enim virtus intellectualis et moralis, optima est in suo genere; nam hic de dignitate disputatur; sed quod monstrare velim ea quae extrinsecus accidere dixi, non solum bonis, sed etiam malis posse contingere. Itaque iudicare alteram artem esse nobiliorem altera, quod honoratior aut quaestuosior sit, ne dicam rapacior, simile est ac si quis iudicet alterum equum altero meliorem, quod auratam habeat sellam, aut aureos et gemmatos frenos, aut quod hic dominum portet, ille servum: aut alterum librum alteri praestare, quod sit pumice perpolitus et auro et argento ornatus. Bonum librum non auri bractea, non purpura, non docta pictoris manus, non fucata verba, non ipsa elocutio, sed

eruditio facit. Oportet eum, qui de aliqua re iudicare vult, ea quae illi propria sunt spectare, non quae aliena. Ego si in hoc erro, libenter erro. Tanto contemplativam vitam activae praestare puto, quanto intellectum sensibus, animam corpori, quanto hominibus Deos immortales. Illa sola nos Diis similes facit. Hanc partem intellexit conditor Deus cum dixit: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et cum ceteris carebimus, illa sola virtus nos in futura vita comitabitur. Ideo dixit Dominus et magister noster: haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum.

Quae circa mores versatur, hanc cum beluis quodammodo communem habemus. Non est praesentis negotii dicere, quam multa animalium genera prudentissima sint. Mittamus magna animalia, ut leones, ursos, equos, elephantes, et aves, quae statutis temporibus ex aliis in alias migrant regiones. Apes, et ipsa pusilla animalia formicae, quis nescit quanta utantur parte prudentiae? Iustitia et pietas, ausim dicere, in multis animalibus magis quam in quibusdam hominibus conspicitur. Grues volantes vicissim ducunt agmen, vicissim agunt nocturnas vigilias. Palumbes cum incubant, vicissim pascuntur. Multa animalium unica coniuge contenta sunt, quibus cura est filiorum; multis a natura datum est, ut multas ineant feminas. At humanum genus pronum est in adulteria, quamvis illi hoc a natura negatum est, quoniam parentes habere debent maximam filiorum curam. Ciconias senio confectas natae alunt. Maximum est hoc pietatis documentum. At homines aequum putant a parentibus bona accipere, nihil illis praestare. Quot natos vidisti non deseruisse miseros parentes inopia et morbo laborantes! Quis parentibus pro tantis beneficiis debita reddit merita? Intemperantius homine animalium nullum est: illa expleta fame, nihil amplius vorant; nos post saturitatem, rursus acria quaedam et acida et salsa, hoc est irritamenta ciborum et potuum petimus, ut coenam longiorem faciamus, et famem sitimque et libidinem extinctam reaccendere possimus. Nocte comesationes celebramus. Nos stomacho repugnanti imperamus, ut iterum vas illud iam exinanitum impleamus, nos vina, nos condimenta novimus. Animalia aqua

et simplicibus cibis contenta sunt; nobis nec terra nec mare ipsum satis est. Quin etiam ipsae phasides aves et laudati pisces non sapiunt, nisi indicis et arabicis odoribus condiantur: parum putamus gulae satisfacere, nisi etiam et naribus placeamus.

Fortitudo ipsa, de qua sermo est, in multis animalibus viget. Est tamen aliquod genus, ut visum est naturae, timidum et imbelle. Multa animalium pugnas suo ordine inire didicerunt, insidias parare, locare praesidia, hostes aggredi, sua tutari, aliena populare, cum sui et diversi generis animalibus, immo et cum ipsis hominibus, foedera inire ad praedam. Quibus venatus curae est, ista noverunt. Mittamus grandia animalia; ipsae apes suos habent ductores, suos reges, suos milites, sua castra, suas cohortes. Operae pretium est videre quam ingentibus animis pugnas committunt. Animalia pro cibo, proque venere pugnare dicunt; hominem tantum pro gloria; sed neminem legi qui gentes inopes bello petiisset. Alexander non Scythas adortus est, sed ditissimos et Persas et Indos. Concedamus hominem pro gloria pugnare, scilicet ut pueris placeant, et declamatio fiant. Inanis res est, si verum non negemus, gloria; nec tanti est, ut tantum sanguinis fundamus. Quanto melius animalia faciunt, quae pro necessariis rebus pugnant! Hoc illis a natura datum esse patet; quoniam aliis data sunt cornua, aliis acuti dentes, aliis dura rostra, aliis adunci ungues, aliis atra venena: haec sunt illorum arma. Homines inermes et imbelles et mites natura genuit. Nos ipsi bella fecimus, nos tenue corpus rigido ferro, quod natura in alios creavit usus, tegimus: nos teneras manus gladio armamus: nos pro auro et argento et lapillis vitam exponimus: utque nostram cupiditatem celare videamur, totum gloriae attribuimus, ac si honestior, aut certe excusabilior sit, libido gloriae quam auri aut argenti. Haec est illa heroica virtus, ut iugulemus homines. Nec dubitant non modo ii, qui magnis rebus gestis clari habentur, sed viles mercenarii milites, qui non pro gloria, non pro salute patriae, sed pro vili nomismate, pro tenui mercedula vitam exponunt, nos foeda ut putant appellatione calamarios nuncupare.

Non sic nos appellavit Alexander, non sic Lysimachus, non sic Demetrius, et alii invictissimi duces, qui toto orbe domito, post mortem Alexandri omnes reges evasere. Tantum in illo exercitu philosophiae tribuebatur, quantum rei divinae. Operae pretium erat in tam ancipiti bello, in tanta mole rerum, videre regem et tantos duces philosophari, videre ingenuos adolescentes philosophari, simul discere et militare, videre in illo exercitu tot poëtas, tot historicos, tot scriptores. Transeo alios medicos; solus Philippus in quanta eo tempore opinione ars habebatur, ostendere potest. Ille liberato ab incurabili morbo rege, in tanta apud omnem exercitum admiratione habitus est, ut omnium ora in se converteret. Graeci et armis et litteris post captam Troiam, usque ad Romanorum tempora per totum orbem clari extiterunt. Sed nec arma sine litteris, nec litteras sine armis exercuerunt. Nec non et Romani litterarum avidissimi fuere. Mittamus privatos, qui in omni genere litterarum vix ipsis magistris graecis cesserunt. Imperatores fere omnes non minus litteris, quam armis operam dederunt. Iulius Caesar, Augustus, et Titus deliciae humani generis, Hadrianus, Antoninus Pius, M. Antoninus philosophus, Severus et Antoninus pater et filius, ad quos Alexander aphrodisiensis, Aristotelis nobilissimus interpres, scripsit nobile illud volumen de fato, item Alexander Mammeae qui Persas vicit, et ceteri quos longum est enarrare. Nos Latini, immo potius semibarbari, quamdam a barbaris ipsis labem contraximus. Qui arma exercent, nescio cur litteras despiciunt; qui autem litteras colunt, armorum et rei bellicae laudes praedicant. Nimirum qui litteras, et cetera bona omnia noverunt; qui arma, minime, nisi tantum arma. Unde non incongrue mihi videtur philosophus quondam respondisse. Interrogatus enim cur sapientes potentum, non potentes sapientium limina terent, dixit: quoniam sapientes scirent quid illis opus esset, potentes autem nescirent. Res enim profecto admiratione digna! Homeri et Virgilii sacra illa poëmata, quid aliud sunt, nisi ferrum et ignes et funera? In Graecorum et Romanorum historia nil nisi regum et populorum bella invenies. Hi omnes scriptores videntur mihi magna ex parte multitudini pla-

cere voluisse, eaque magni fecerunt, quae homines aestimant: at philosophi ea scribunt et tractant, quae plus Diis quam hominibus grata sunt.

Ex his quae dicta sunt, Pancrati, cognoscere poteris quantum ego anteponam ea studia, quae in contemplatione rerum versantur iis quae in agendo. Dices: quomodo tam cito profers sententiam, cum magni viri in hac quaestione dissentiant? Nonne ipse Socrates philosophiam e caelo ad communem vitae usum transtulit? Aristoteles ipse, ut dixisti, primo ethicorum sub civili hoc est sub activa omnes alias disciplinas locat. Marcus Tullius, cuius ego plus verba et ingenii magnitudinem, quam mores laudaverim, absolvit illotis ut dicunt pedibus locum a Panaetio, ut ait, praetermissum, scilicet duobus propositis honestis, utrum honestius, hoc est utrum officium praeponendum sit; an id quod in cognitione et scientia continetur, an illud quod ad coniunctionem societatemque hominum tuendam valet. Parcant mihi manes Ciceronis; ego non ausim Ciceroni repugnare, etiam si certe scierim illum falsa dixisse. Durum enim est, ut ait divinus Plato, adversus inclytos et antiquos viros, seu vera seu falsa dixerint, ferre sententiam. Sed si mihi Aristotelis numen aderit, vel cum ipso Hercule luctari non formidaverim. Cicero suo studio delectatus, ut ipse ait de Aristotele et Isocrate, contempsit alterum: ipse honoribus et magistratibus ne dicam ambitionibus et opibus serviens, seu eloquentia et virtute seu fortuna sua ad consulatum usque pervenit, summum eo tempore locum, summam rerum humanarum fortunam. Hanc quaestionem melius erat si ipse, ut et Panaetius, praetermisisset, quam quod vir forensis oratorio more non philosophico, ut decebat, dissolveret, et tantae rei inaudito adversario sententiam diceret.

Si verum fateri voluerit, qui haec legerit, quae ego ex principiis peripateticae disciplinae, hoc est ipsius veritatis scripsi, satis rationibus Ciceronis responsum esse existimabit; et plane cognoscet, illum non rei dignitatem spectasse, sed communitatis utilitatem; quam si spectare deceret, non arma togae cedere debere censuisset, nec toties praedicasset illa verba: o fortunatam natam me consule Romam! Ipse tantum pa-

triae utilitatis attulisse, ipse patriam servasse se iactat, quoniam coniurationem illam detexit. Esto magnum et memorabile servasse urbem orbis dominam, si servata urbs dici potuit, quae post paucos annos ipso servatore et vidente et tempori dominoque serviente, in unius potestatem devenit. Nec putemus multo meliorem Caesarem, quam fuisset Catilina si vicisset. Et ut ait Seneca de Caesare et Pompeio, dominus eligitur; quid tum? alter vincere potest, melior vincere non potest. Magnam rem putat Cicero se fecisse eloquentia et prudentia sua, quas praestare scientiae et rerum cognitioni credit, quia coniurationem detexit; et quamvis ipse fato regi rem publicam fateatur, concedamus urbem servatam illius opera et industria. At nos multas coniurationes detectas fuisse a pueris et mulierculis et servis legimus. Nonne et anser suo clangore rem romanam servavit? Cur tantum sibi deberi iure existimat, quia semel in toga rem romanam servavit? Mittamus, ut Platonis utamur rationibus, fabros machinarum qui urbes servant, gubernatores navium et medicos qui quotidie tot homines ab inferis, ut sic dixerim, revocant. Quid de Camillo dicemus? quid de Q. Fabio? quid de Scipionibus, et militibus, qui a condita urbe, usque ad occupatum a Caesare imperium, rem romanam armis et servaverunt et auxerunt? et ut poëta ait, qui sanguine nobis hanc patriam peperere suo? Num idcirco arma praeponenda sunt togae, hoc est legibus et eloquentiae, quia plus utilitatis rei publicae attulerunt? Certe institutis vitae et eloquentiae quibusdam urbibus Roma aut aequalis fuit, aut forte inferior. In re autem bellica nulli unquam gentium a condito aevo cessit, omnes procul dubio antecelluit. Nam armis coeptum et auctum est romanum imperium. Si Aristotelem, aut non vidit Cicero aut contempsit, cur divino Platoni suo non credidit, qui vitam contemplativam omnium putavit esse divinissimam? Sed Firmianum in hac, in qua minime debuit, sententia, cum in multis aliis dissentiat, Ciceroni consensisse video. Ait enim institutionm suarum libro tertio: recte Tullius civiles viros philosophiae doctoribus praefert. Sed huius auctoritas in lacte est, et ferula non rationibus confutanda. Pueriliter enim errare solitus est,

inani illi suae eloquentiae confisus: inanis enim res est, sine eruditione eloquentia. Quam ridiculus est cum de terrarum situ disputat, et cum nescio quos millenarios annorum circuitus somniat, et cum philosophos impudenti quodam et causidica libertate carpit! Melior, ut divus Hieronymus ait, ad contradicendum et confutandum, quam ad comprobandum, hic tanti faciendus est, quanti ipsi theologi ceterique docti viri faciunt (1).

Duo sunt, Pancrati, quae in hac re considerare oportet, in quibus stat tota vis quaestionis, dignitas et utilitas. Exempla ponamus. In domo vasa sunt aurea et argentea, quae raro in usum veniunt; picta monilia et gemmae, quae recte dixerim nunquam. Quid enim aliud gemmae et aureae vestes significant, nisi nostram vanitatem? Sunt et vasa aenea et testea, quae in varios et crebros veniunt usus; ab utendo enim utile dicitur. Utiliora igitur haec sunt; illa digniora existimant melioraque. In domo vestes sunt aureae et laneae; illae meliores, hae ut Dionysius in Iovem iocatus est, ad utrumque tempus aptiores et utiliores. Peripatetici non id quod utilius, sed quod honestius est et nobilius, anteponunt. Unde et disciplinas quanto minus serviles minusque utiles, tanto nobiliores putant: illae enim propter se sunt, non aliarum gratia. Sed metaphysica omnibus praestat: quoniam nulli servit, omnibus dominatur: aliae propter ipsam, ipsa non propter alias. Unde non improprie sapientia appellatur, quam vel solus Deus, vel Deus habet maxime. Qui igitur activam vitam praetulerunt, ad utilitatem rei publicae, ad bene beateque vivendum respexerunt. Qui vero contemplativam, ad ipsius rei nobilitatem, et ad perfectam hominis felicitatem. Nec mirum, si multitudini quae plerumque non quae bona et honesta sunt, sed quae utilia laudat, gratior sit activa vita, quam contemplativa. Ideo qui hanc sequuntur, apud homines obscuri sunt et inopes. Saepe enim est, ut ipse ait Cicero, sub palliolo sordido sapientia. Qui vero in magnis rebus agendis versantur, clari et opulenti sunt. Apud Deos, hoc est apud ipsam veritatem, e converso: quo-

(1) Reapse de erroribus Lactantii Firmiani extat ingens liber Ant. Rhaudensis.

niam Aristotelis sententia est, si Deos tangit cura humanarum rerum, hi sunt amicissimi Deo, simile enim simile gaudet. Unde Socrates interrogatus ab adolescente, utra studia capessenda suaderet, an philosophiae, an rhetoricae, per quam nos ius civile intelligere possumus, respondit: εἰ μετὰ θεῶν, πρὸς τὴν φιλοσοφίαν· εἰ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὴν ῥητορικήν. Divi Gregorii nazianzeni sententia est: πρᾶξιν προτιμήσειας ἢ θεωρίαν· ὄψις τελείων ἔργον, ἡ δὲ πλείονων: hoc est, speculativa vita, an activa praeponenda sit? Contemplatio perfectorum opus est, actio vero plurimorum.

Quod dictum est de re bellica, quae sub una moralium virtutum locatur, idem intelligas de iure civili et rhetorica. Erat enim, ut diximus, non de terminis sed de tota possessione contentio. Leges et rhetorica sub morali parte philosophiae sunt, et ad vitam quae in agendo est reducuntur, non ad eam quae in contemplatione. Unde bene Aristoteles ait: ethica est, non ut sciamus, sed ut boni fiamus. Colucio illi aliter visum est. Hic dum medicinae civilem disciplinam anteferre conatur, videtur et philosophiae illam praeponere. Multi et hanc ipsam materiam sive hunc locum per longas ambages tractaverunt, non sine aut huius aut illius disciplinae iniuria. Non parvum inscitiae signum est, cum duas aut plures praeclaras res ad invicem conferre volueris, alteram damnare, ut alteram extollas. Ego paucis, ut puto, absolvam. Ad ea, quae multipliciter dicuntur, non possumus simpliciter respondere. Duo in medicina considerantur, scientia ipsa et opus. Quantum ad opus, medicina est quasi una, ut ait Averroës, medianicarum artium, sed praestantissima est, quoniam circa nobilissimum subiectum versatur. Id humanum corpus est, quod inter generabilia et corruptibilia supremum obtinet locum, quoniam formae subiicitur nobilissimae. Cuius causa cuncta alia genuisse natura videtur. Ideo artis huius inventores in numerum Deorum recepti sunt. Unde conlicere possumus, quantum sancta antiquitas honoris huic arti tribuerit. In hac, pace medicorum dixerim, civili disciplinae et sanctis legibus cedimus: nos corpora curamus, illi corpora et animas, urbes, res publicas, regna et imperia. Bonum igitur quanto communius,

tanto divinius, ut Aristoteles ait. Altera vero pars, quae elementa, et regiones, situs urbium, naturas locorum et temporum, vires herbarum metallorum et animalium, denique opificium humani corporis considerat, longe praestantior est ipsis legibus. Illa enim Dei et naturae opera sunt; hae vero hominum. Haec pars medicinae quodammodo sub contemplativa est. Civilis disciplina omnis in actione est. Repetitis igitur, quae a principio diximus, quantum contemplativa activae praecst, tantum medicinae ista pars civilis disciplinae.

Sed quid dicendum, si comparemus arma et leges inter se? Utraque enim sub activa continentur. Panerati mi humanissisime, in proverbio est, omnis comparatio est odiosa. Ideo ne ego hanc quaestionem indissolutam omnino relinquam, pauca dicam, solutionem vero exquisitam ad arbitrium legentis remittam. Armis imperia tuta sunt, arma nobis libertatem pariunt, arma res publicas, templa, virgines, matronas, pueros, iuvenes, senes, et omnes familias defendunt: nisi arma foris essent, nec legibus nec libertate uteremur. Cum immanissima gens Turcarum Italiam invasit, quid nobis profuisset Scevola, Paulus, et Ulpianus, nisi Alphonsus fuisset, qui a barbaris nos redemit? qui sudore, labore, vigilantia, et tot periculorum generibus libertatem, immo nos ipsos nobis restituit; uxores liberos, parentes nostros a servitute, quae iam imminebat, liberavit: tandem pertinacissima virtute sua inter tot telorum et tormentorum genera, inter tot morbos qui omnem exercitum invaserant, faventibus Diis, Turcas vicit, bella compressit, quibus nec graviora nec periculosiora permulta ante saecula Italia senserat. Nec solum regnum suum tutatus est, sed totam christianam rem publicam. Multae urbes, immo multa regna nunc sua libertate gaudent, quae nisi Alphonsus Turcarum furori obstitisset, misera servitute premerentur. Narro tibi rem non incognitam. Tu ante oculos nostros in agro lupiensi primum cum Turcis manus conseruisti. In ea prima pugna, qua vos christiani duces insultantes Turcas multis eorum caesis terga vertere coëgistis, dedistisque spem perterritis, Turcas et vinci et fugere posse.

At leges nec contemnendae sunt, quibus maiestatem non

minus armatam, quam armis decoratam esse oportere, ipse et legum et armorum gloria Iustinianus putavit. Leges non minus in bello quam in pace necessariae sunt, nec in exercitu, nec in agris, nec in urbe, nec in senatu, nec in templis, nec in plateis, nec in foro, nec in ipsa nostra domo cum uxore et liberis nostris, sine legibus vivere possumus. Arma unam tantum, vel praecipuam partem virtutis moralis comprehendunt. At leges omnes quatuor, et de fortitudine cognoscunt, puniunt desertores, qui ante quam signum detur receptui, fugiunt et aciem relinquunt, praemia et honores iis tribuunt quia strenue aliquid egerint, temperantiam suadent, castigant intemperantiam. Similiter et prudentia in legibus continetur et iustitia. In civili igitur disciplina, ut Aristoteles ait, est omnis virtus. Et idem in politicis ait: homo a lege et iustitia separatus, peior est omni bestia. Et cum ita sit, in quo differat civilis scientia ab ipsa philosophia morali, nunc dicendum non est, ne in longum sermonem trahamus. Bella non propter se ipsa expetenda sunt: bella gerimus, ut sub pace, ut sub bonis legibus bene beateque vivamus: aliter sanguinolenti essemus, si bella propter se ipsa, propter necandos mortales appeteremus. Propter quod unumquodque est, et illud magis. arma propter leges sunt, non leges propter arma. Ideo rerum publicarum, quibus sola vel praecipua cura fuit belli, pacis autem minima aut nulla, cessantibus bellis virtus emarcuit. Illas quoque malum exitum habuisse constat, ut ait Aristoteles de re publica Lacedaemoniorum, quae tantum ea quae erant belli curabat, pacis autem minimam curam habebat: videbatur enim illa respublica tantum nata ad bellum.

Quare igitur clariores viri evadunt qui arma, quam qui leges exercent, satis responsum est cum de contemplativa et activa vita disputaremus. Et quamvis tam leges quam arma, ut dictum est, ad moralem virtutis partem pertinent, tamen illae magis ad intellectualem, haec magis ad moralem accedunt. Cicero cuius tanta vis ingenii est tanta dicendi copia, ut quicquid velit, facile persuadere immo potius extorquere possit; quo orante quid verum sit, nisi qui excellentis ingenii fuerit, aut in altiori disciplina eruditus non intelligat, si pro Sulpi-

cio, non pro Murena dicere voluisset, alias rationes excogitasset. Rhetorum enim mos est nunc has partes tutari nunc illas; sed Sulpicius fortasse propter communem litterarum studium nihil porrigebat, Murena dives ex Asia redierat. Quamvis ego ad consulatum adipiscendum, in illo turbulento tempore, in civitate armata et plena seditionum, nutante ac in servitutem ruente fortuna libertatis romanae, plus arma valere quam leges non negaverim: aliud enim, ut saepe diximus, est dignitas rei, aliud quae ex ipsa re sequitur utilitas et commoditas. Non praeteribo hoc in loco referre verba divi Thomae, quem tu ut patronum colis. Inquit ille tertio politicorum: non bene opinabantur quantum ad hoc, quod putabant virtutem, qua homo bene se habet in bellis, esse optimam; cum aliae virtutes, scilicet prudentia et iustitia, sint digniores fortitudine; et ipsum etiam bellum sit propter pacem non autem e converso.

Quoniam de contemplativa et activa vita multa dicta sunt, libet et de voluptate aliquid dicere. Magna pars mortalium sub hac laxatur, Aristoteles ait: multi sunt pecorum vitam eligentes, similes Sardanapallo. Paris tres Deas nudas vidisse dicitur, Iunonem, Minervam, Venerem. Sapientissime a litterarum patre Homero effictam esse hanc fabulam existimo, ut quae summatim omnia vivendi genera complexa est. Paris ipsa mortalitas est, Minerva sapientiae et scientiae, Iuno agendarum rerum, Venus voluptatum Dea. Prima obscura et ignota, immo et invisa multitudini, nec quaestuosa, paucis tamen cognita: ideo a conterraneo meo dictum fuisse puto, philosophandum esse paucis; ipse enim nonnisi cum Scipione et Laelio familiarissime versabatur. Secunda gloriosa et superba et dives, ut decet Iovis coniugem et sororem, sed ea non sine maximis et laboribus et periculis tractatur, sive bella geras, sive rem publicam administres, sive regibus carus sis, sive populo gratiosus. Praesto nobis sunt innumerabilia tam nova, quam vetera exempla. Tu hos quatuor contemplare, Scipionem, Hannibalem, Demosthenem, et Ciceronem. Ii tibi satis sint: horum perscrutare mores, fidem, industriam labores, pericula, res gestas, et demum exitum. Tertia suavis et grata multitudini,

nec minus proceribus, ad quam post maximas res gestas, post adepta imperia, post subactos hostes, nullae non gentes labuntur, nec secus ac ferrum, quad cum ab opere cessaverit, aerugine consumitur. Haec est aerugo potentissimorum et ducum et populorum, voluptas ipsa, quae multas gentes, quae ante imperare consueverant, servire coëgit, multa regna subvertit. Haec Paridi ut Helenam raperet suasit; haec troiani belli causa fuit. Nec putes, ut dixi, frustra a poëtis fictam fuisse fabulam. Praepostere vivit humanum genus. Paris, hoc est homo ipse, voluptatem praeponit rebus omnibus: si quid strenue egerit, si quid lucratus fuerit, totum ad illam dirigitur. Huius gratia praecipue avaritia expetitur, huic navigatur ad Nilum et Tanaim et ad ultimas occidentis insulas, huic profunda vada exquiruntur, quin etiam et huic bella geruntur, huic ferrum stringitur, huic scalae moenibus admoventur. Nihil aliud vulgus bene vivere appellat, nisi genio indulgere, voluptatibus frui, et molliter et delicate vivere.

Si quis excellentioris est ingenii, hac contempta, eam quae in agendo est vitam eligit, magistratus conplectitur, rem publicam capessit, anhelat ad honores, opes accumulat, et genus extollit suum, nomenque prorogat ad posteritatem. Qui sapientiam amplectantur, aut nulli sunt aut perpauci, contempti a multitudine, sed quos aequus amavit Iupiter. Hi, si qui sunt, plus Diis quam sibi vivunt, honores et divitias nec omnino contemnunt, nec ardenter appetunt. Si eas non habuerint, patienter inopiam ferunt, nec illam propulsant per scelera: si divitias possederint, liberaliter illis utuntur, suis bene faciunt, amicis largiuntur, nullis invident, ut qui simul cum bona mente et cetera omnia possideant; ita ut non sibi, sed aliis nati videantur: iniurias inferunt nemini, illatas aut patiuntur aequo animo, aut non crudeliter ulciscuntur. Quae vero de Diis ab hominibus sciri possunt, speculantur: caelorum, siderum, elementorum, plantarum, animalium, et ipsius hominis naturam scrutantur. Denique in divinarum et humanarum rerum cognitione tota illorum mens est. Hoc est vitam mortalem cum immortalibus agere, hoc est in humano corpore divinitus vivere, hoc est quod Socrates dixit: εἰ μετὰ τῶν θεῶν, πρὸς τὴν φιλοσοφίαν.

Nec tacebo sententias divinorum poëtarum, qui melius, quam rhetores populorum aurae servientes, iudicaverunt. Ideo ut Aristoteles supremum operum suorum metaphysica uno Homeri clausit versiculo, ita ego hunc sermonem signabo doctissimis Virgilii et Ovidii sententiis. Uterque vitam contemplativam ceteris praeposuit. Ovidius ait:

Felices animae, quibus haec cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit!

Ubi et militari et forensi vitae et divitiis et honoribus contemplativam vitam anteponendam esse, apte demonstrat. Virgilius secundum mentem Aristotelis et Theophrasti, quos familiarissimos habuisse non dubiis argumentis compertum habeo, primas partes felicitatis, hoc est ipsum summum bonum, in contemplatione et rerum cognitione collocavit; non uti causidici in actionibus, in quibus more Ixionis celeri et perpetua volutantur rota. Felix, inquit Virgilius, qui potuit rerum cognoscere causas! Et paulo ante dixerat:

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero, ingenti perculsus amore,
Accipiant, caelique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios, lunaeque labores,
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
Quid tantum oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel que tardis mora noctibus obstet.

Has divino afflatus spiritu vates appellavit summas naturae partes. Haec est igitur summa hominis felicitas et summum naturae bonum, quod homines quoad licet Diis similes facit.

19. AD PETRUM SUMMONTIUM DE SUO SCRIBENDI GENERE.

Simoënti optime, deliciae amicorum, sis salvus. Quereris, et iure quereris, qui promissam tibi per alium nuncium epistolam non acceperis. Nondum illa signata erat, cum nuncius excessit. Sed ea tunc epistola fuit, nunc est libellus, et hoc in lucro est; plus accipies, quam promissum fuerat; tempore foe-

nus provenit. Si Galateum amas, ut ais, iucundior erit tibi libellus, quam fuisset epistola; sin minus, molestior. Si figulus essem, dum urceolum facere statuerem, nescio quo pacto currente rota amphora exiret. Itaque aut epistolam voca, aut epistolium, aut libellum, ut libet. Non potest quispiam mortalium non obsequi ingenio suo: quam ob rem tot sunt differentiae ingeniorum, quot et corporum. Difficile est vitare quae genius noster suadet, difficillimum et servare decorum in ea re ad quam nos natura non provocat. Sit igitur cuique dux sua Minerva; quisque suos patimur manes. Plato varius est, iucundus, floridus, copiosus: Aristoteles concisus, brevis, gravis, acutus, circumspectus. Uterque suo more placet. Spartanis gratus est suus laconismus, suus Atheniensibus sermo prolixus et copiosus.

Novi ego ingenium meum, novi et ut sic dicam lasciviam sermonis, et has longas parentheses, ut interdum videatur ipse sibi sermo non cohaerere. Quoties lego, toties aliquid addendum videtur, etiam si millies legerem. Si quis hoc nolit copiae et notitiae multarum rerum, adscribat vanitati et inscitiae. Optarem maxime ut de me dicere quis posset, quod de conterraneo meo dictum fuit - Ennius ingenio maximus, arte rudis. - Agnosco peccata mea; sed aliud est agnoscere innata vitia, aliud vitare: nec si vitare possem, in hoc admodum laborarem. Non ego impero ingenio meo, sed ducor ab illo, immo potius trahor, et quocumque traxerit, sequor. Scilicet hoc erit curae Galateo, concinnare verba, disponere clausulas, et in fine, ut ait Hieronymus, aliquid servare, ut plausum moveat auditoribus; fucare sermonem, aut balba de nare loqui? Faciant haec, qui plus in bene dicendo, quam in bene agendo student. Vis dicam? Non ego calamum verso, sed illum quocumque, ut dixi, duxerit, sequor ac libens. Curae sunt mihi non verba sed sententiae, eruditio non elocutio. Nec ignoro nonnullos doctorum hominum offensum iri, cum litteras abominor, execror, profano. At si quis mentem non verba inspexerit, cognoscet me tunc maxime litteras laudare cum vitupero.

Aiunt Platonem tunc maxime usum rhetorica cum con-

tra rhetores invehebatur: tunc Homerum ceterosque poëtas admiratum, cum illos a sua re publica eiiciebat. Non parvi ingenii esse puto paradoxa persuadere. Plus admirationi fuit Romae Carneadis ingenium et eloquentia cum contra iustitiam, quam cum pro iustitia disputabat; quo dicente, quid verum esset, agnosci minime poterat: a quo Ciceronem quam plurimos locos sibi assumpsisse video. Pyrrho eliensis plus famae adeptus est cum contra logicam, physicam, ethicam, hoc est contra bonos mores scripsit, quam plerique alii, qui de his diligentissime tractaverunt: cuius commentariorum fragmenta aliqua Sergius noster diligentissimus librorum veterum indagator hic apud Salentinos in quadam antiqua casula et ruinosa reperit (1); quorum titulus est: πυῤῥωνίων ὑποτυπώσεων. Et ab hoc Ciceronem multa retulisse ad verbum deprehendi.

Dices: non licet contra veritatem aut serio aut ioco disputare. Fateor, et Ciceroni assentior, qui melius esse putat in bona causa vi opprimi, quam malae cedere. Est apud hierographos: pro iustitia agonizare, et usque ad mortem certa pro iustitia, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Aristoteles censet oratorem oportere scire tutari vel malam causam, non ut Cicero, Crassus, et Demosthenes saepe fecerunt, sed ut malam causam tutanti sciamus respondere. Callisthenis oratio admirationi fuit, et cum pro Graecis contra Macedones, et cum pro illis contra Graecos diceret, sed in altera parte animos Macedonum non parum offendit. Etenim suapte natura amara est atque odiosa veritas; nec est facile invenire, qui contra se dicta libenter audiat, etiam si vera sint. Plinius, ut ego ex illius verbis coniicere possum, vir fuit benigni et humani ingenii, et tamen illi non turpe visum fuit contra Graecos, a quibus omnes ingenuas disciplinas accepimus, et per quos ipse, ut fatetur, profecit, et contra medicos, et contra parentem, ut ipse ait, omnium naturam scribere, et contra providentiam et immortalitatem animorum. Cicero quoque laudator Graecorum, cum rapacem praetorem pro magna, ut puto, mercede apud senatum defenderet, quae et quanta con-

(1) Animadverte notitiam inventarum primo Sexti empirici institutionum pyrrhoniarum apud Salentinos.

tra Graecos enarravit! Lucianus ille laudator muscarum, et auctor falsissimarum narrationum, contemptor ut ait Lactantius hominum Deorumque, et apostata orthodoxae fidei nostrae, quot et quanta in philosophos evomuit!

Picus plura volumina contra apotelesmata scripsit, et meo iudicio non minus vere, quam docte et copiose. Huius sententiae, et sancti viri, et ipsa veritas, et si qui sunt, qui vere philosophentur consentiunt. At si falsa dixisset, gratias illi agendas esse existimo, ut Aristoteles ait. Veteribus agere gratias debemus, etiam si male dixerint, moverunt enim mentem nostram ad veritatem investigandam, et ad repugnandum falsis opinionibus. Fuit graecus quidam, qui extollens virtutem et mores Macedonum apud Darium, instruebat quomodo et qua arte cum illis pugnandum esset. Huius consilium si auditum fuisset, forte res aliter evenisset. Sed huic veritas, ut assolet, et rectum consilium in perniciem cessit. Quin etiam ipse Darius poenas dedit et mortis innocentis viri et neglecti consilii. Explorandae sunt vires, conatus, ingenia, et loca hostium, si vincere velimus. Socrates philosophus adversariorum maledicta clementer ferebat, dicens: si illa vera essent, se meliorem futurum, dum peccata emendaret; sin falsa, nihil ad se pertinere. Propterea inimicos aiunt optimos esse magistros, et monitores, et primos qui nostra delicta sentiunt, quoniam quae amici ne clam quidem audent nobiscum in nos loqui, illi palam pronunciant.

Cum legeris, quae contra litteras dixi (1), puta me non habere odio litteras, sed illarum fortunam. Nam nollem vivere si sine litteris viverem. At si ea quae dixi non placent, puta me secutum fuisse exemplum Eratosthenis illius, qui cum nullius esset pretii, cupidus famae et gloriae, quod virtute non potuit, scelere memoriam sui aeternam facere tentavit. Neque id fefellit; ignem in templum ephesiae Dianae iniecit: interrogatus, cur id fecisset, respondit: ut eius facinoris memoria in futura saecula extenderetur. Senatus neque puniendum hominem censuit, neque illius nomen, aut factum in annalibus scribendum. Et tamen et nominis illius et facti memoria in-

(1) Scripsit reapse Galenus, lusus causa, vituperationem litterarum.

vito senatu adhuc restat. Sic res se habet, humanissime Simoënti, cum fortuna volet, etiam scelera clarissimos homines faciunt. Tu, ut es mitissimi et indulgentissimi ingenii, mentem et mores amicorum observa, non verba. Actii nostri non solum manus, ut hispanice loquar, sed os et oculos pro me osculare. Vale, decus et deliciae amicorum. Data Callipoli .X. calendas novembres.

20. AD ALTILIUM DE EIUS ITINERE.

Invideo tibi, mi Altili, tuam cum regulo nostro peregrinationem (nosti enim quantum sim peregrinandi avidus.) Invideo tibi et Hermolai Barbari amplexus, quem ut puto Mediolani videbis. Testor Deos, ni me res familiaris graviter urgeret, tecum venirem, tecum regulum nostrum comitarer, ut pariter et tyrrhenum, et ligusticum pelagus legeremus. Quis fuit ille, qui liberas hominum et eorumdem philosophorum mentes coniugii vinculis alligavit? Tu autem, qui liber es, i felix, et ventos secundos, et mare placidum experiare, et - sit Galatea tuae non aliena viae. - Habebis fortasse mea munuscula, hoc est plagas mundi in arctum coactas, quae et navigandi tramites monstrent (1), et Galateum tuum tibi referant. Ego Diis et Alphonso volentibus hic in Iapygia ohe saturnalia peragam cum Actio et Chariteo. Bene vale. Data Lupiis VI. nonas octobres.

(1) En primum huius scientiae specimen, auctore Galateo.

IULII CAESARIS CAPACII

VITAE PROREGUM

REGNI ET URBIS NEAPOLIS.

CONSALVUS MAGNUS CORDUBENSIS.

1. Tantam rerum militarium molem sustinuit omni aetatis cursu magnus Consalvus, et tam fortiter et sapienter per maximos gloriarum triumphos fortunae auspicia confecit, ut ad aeternarum laudum culmina provectus, non modo Hispaniam, debellatis hostibus, electis christianae fidei regumque Aragoniorum perduellibus, illustrarit, sed Italiam quoque praeclaris victoriarum facinoribus, splendida fortissimi ducis virtute, nominisque magnitudine, et rerum post hominum memoriam admirabili praestantia, veteres duces aemulatus, ita complerit, ut ad omnes honores diuturnis bellorum laboribus accesserit. Nec hyperbolice de eo loquutum assererem, qui scripsit Graecos decem annorum molestiis, ex una tantum urbe victoriam reportasse, quando Consalvus, nullo insidiarum molimine, collatis viriliter signis, in apertis campis, ad urbium moenia, ut belli fortuna tulerat, subductis copiis, animi viribusque corporis, biennio pacavit Italiam, Neapolim bis ereptam suis regibus restituit, et provincias, quae defecerant, in fidem revocavit. Nec mirum si perdomitam Galliam Caesar romano subiecit imperio, qui cum veterano milite multis iam proeliis assueto, omnibusque bellicis instrumentis instructo, eam gentem tunc imbellem fere, quae vix pugnare didicerat fudit et profligavit; quando Consalvus Gallos multorum bellorum experimento gentem ferocem effectam, potentem armis, quae et armatorum multitudine, et pugnantium virtute, et vincendi cupiditate, multis nationibus terrori fuit, tanto conatu expulit, inque sua regna detrusit. Quare novus Hercules Geryonem tot imminentibus periculis in Hispania superavit, cum sig-

na victricia barbaris gentibus intulit, novusque Marcellus hispanorum regum ense ita pugnavit, ut ad eius nominis gloriam adhuc in neapolitanis monumentis cuncta gaudio caleant, cuncta plausibus tripudient. Quod si non omnibus victoriis, quas in regno neapolitano consequutus est, eius regni prorex est appellandus, ante quam enim praefecturam urbanam habuit, multa bella confecit; semper tamen praefectum fuisse dicemus, quem domi reges continere non poterant, cum adesse militiae eum oporteret, ad regni tutelam a regibus vocatum, atque iam tum cum ex Hispania advenit, ut Obegnino Gallorum proregi obsisteret, eo muneri praefectus visus fuerit.

2. Alphonsus eius nominis secundus Aragoniae rex, quod Galli praecipiti alluvione ex Alpibus omnem Italiam armorum saevitia corruperant, ipseque mortuo Ferdinando patre, avitum regnum deserere coactus, et omni spe destitutus, Neapoli in Siciliam se receperat, in omnium rerum solitudinem adductus, ignorabat quam tandem rationem iniret, ut in pristinum locum restitueretur: multaque secum animo volvens, tandem Bernardinum Bernandum in Hispaniam misit, a catholico rege auxilium postulatum. Is nihil sibi opportunius proposuit, quam Consalvum illi negotio praeficere: qui multorum navigiorum classe comparata, conscriptis peditibus equitibusque, expedita navigatione Messanam appulit, quo Alphonsus, et Ferdinandus filius (Ferrandinum dicebant) de regia fere dignitate deiecti se receperant; nihil enim loci in eorum regnis inerat, quod hostili iniuriae non esset obnoxium. Eius adventu, quasi felicissimo sidere praenuntio, cuncta sibi fauste eventura reges arbitrati sunt, omnemque recuperandae salutis spem in eo fortissimo viro collocarunt. Tunc praecipue, cum ne punctum quidem temporis immorandum arbitratus, ad Calabriae littora descendit, Rhegium obsedit, vi cepit, Gallosque possessores obtruncavit, et secundiore prosperitatis flamine succedente, universas vires in hostium conspectum dedit, iussitque suis, ut in omnem Calabriam ferro sibi iter aperirent. Quare subito timore consternati hostes, aut fugere, aut in munitiora loca se recipere coeperunt.

3. Quae res tantos animos Consalvo dedit, ut vel si longe

inferior numero militum esset, his tamen initiis spem certam victoriae conciperet, et contemptis hostibus, suorum regum trepidos animos firmaret. Quare Seminariam, quo omnes Gallorum vires confluxerant, aggressus est: strenue utrimque pugnatum, caedes multorum subsequuta est, Gallique tandem in urbem pedem retulerunt. Quod cum Eberardus Stuardus, cui Obegnini cognomen erat, scotus genere, summaeque virtutis dux, et Calabriae praefectus, animadvertisset, ne iis locis spoliaretur, quae tot laboribus in galli regis potestatem redegerat, et ne eius gentis nomen videretur Hispanorum virtute aboleri, iungendo copias, quas pluribus locis collocaverat, invictissimum exercitum fecit: mox per praeconem Hispanos ad proelium lacessivit. Ferdinandus in quo excelsae indolis manifestissima erant indicia, ardebat certamen et pugnam, ad quam hortabatur Consalvum, cuius virtute cuncta sibi felicia eventura confidebat. Consalvus vero, quem militaris usus prudentem rerumque experientia peritum reddiderat, ut iuvenis animum ferocientem, et ad immortalitatem temere properantem frenaret, multa proposuit, quibus a pugna illum revocaret; nunquam scilicet cum hoste inconsulte concertandum; nec manus conserendas, nisi commodiorem occasionem tempus tulerit; nequicquam sapere ducem, qui hostis monitu castra sit moturus; illud pro comperto esse habendum, Obegninum bellicae rei apprime gnarum, provocare non esse ausum, nisi exercitum recentioribus auxiliis obfirmasset; cunctandum ea de causa ipsum ducere; tunc enim celeriter manus conseritur, cum bene pugnatur.

4. Quod vero Ferdinando vehementer displicebat; qui ne aestimaretur Gallos pertimescere, utque ostenderet victorem ante pugnam se futurum, cum ab ingentibus spiritibus ad proelium committendum impelleretur, aciem instruit, et ad Petracem fluvium, qui Seminariam alluit, subductis copiis, collatis ad sinistrum cornu peditibus, ad dextrum equitatu, et post hos magna Italorum manu, expectabat Gallos fluvium transituros. Obegninus contra hispanum peditatum, Helvetios, et Aquitanos; et contra equitatum, ·CCCC· gravis, ·DCCC· levis armaturae milites opposuit; extremum vero agmen, auxi-

liaribus militibus, tum iis, qui ab Andegavensibus erant, veluti firmo praesidio munivit. Vadato flumine a Gallis, cruentissimum proelium post hominum memoriam commissum est. Ferebatur quisque victoriae desiderio, et qua impediebatur tormentorum usus, confertissimo utrimque agmine concursum est: hic vulneratur, illic cadit, it clamor caelo, obstrepit tubarum clangor, cuncta timoris, tumultus, caedis plena erant. Demum cum equitatus hispanus, numero et armis inferior, sustinere non valeret, loco excessit, ut cum peditatu se coniungeret: quae res effecit, ut Consalvi milites abiicerent animos, et Galli vires resumerent; utrique enim sibi persuaserant, equitatum in fugam esse conversum. Hinc Obegninus, et Persivus frater, opinantes posse tunc hispanum exercitum profligari, tanto impetu irrueruut, ut nisi Consalvus fortius obstitisset, omnium internecio facta esset. Ferdinandus plenus animi viam inter armatos sibi fecerat, et Obegninum hasta percusserat; sed ex vulnerato equo decidit, nec mortem effugisset, nisi eo accurrens Consalvus proelium redintegrasset, imposito equo Ferdinando a Iohanne de Capua, qui ut regis saluti consuleret, suam nihili fecit, maluitque superstitem regem suae virtutis testem habere, quam vivus absque sui regis praesidio inter homines versari. Quo eventu tantum fiduciae ac spiritus victis militibus accessit, ut acri concursu facto, victoriam in suis manibus ponerent. At quoniam nullo pacto hostium multitudinem sustinere potuerunt, saluti consulendum arbitrati sunt. Non belli casus, sed Consalvi verborum recordatio, Ferdinando molestissima fuit; monuitque posteros, ut in rebus arduis, sapientium consilio pareant. At Consalvo tantus incessit ex eo incommodo dolor, ut non mediocri dedecore suam dignitatem atque virtutem affectam putaret; ideoque aut summam belli cum auctoritate imperandi habendam, aut discedendum deliberavit: atque ideo Ferdinandus, tradito illi exercitus imperio, in Siciliam regressus est.

5. Cum haec in Calabria flerent, Carolus rex, in quem multi proceres conspiraverant, relicto Mompenserio qui Neapoli praesidio esset, invitis Venetis et foederatis, qui iter il-

lud impedire conabantur, in Galliam se contulit. Ea occasione sibi oblata, Neapolitani Ferdinandum revocarunt, apertisque portis, intra urbem publicis gratulationibus receperunt, quas paulo post luctus occupavit, mortuo Alphonso. Galli simul atque de Neapolitanorum motu renuntiatum est, indignatione permoti, in Consalvum exarserunt, eductisque omnibus copiis in intimam Calabriam, quam maturrime illi occurrendum putarunt, tantumque sibi arrogantiae sumpserant, ut Hispanos veluti pecudes subigendos iactarent. Ubi eo ventum est, collatis signis pluribus in locis, suae utrique virtutis periculum fecerunt. Ad extremum Hispani hostem pedem referre coëgerunt, adusque eorum castra insequuti, occupatisque Seminaria, Sebari, Cotrone, populisque in fidem acceptis, Consalvus non esse abeundum duxit, donec omnia, quae in hostium potestate erant, in Ferdinandi dominio retineret. Cumque in hibernis esset, et Persivus equites Neapolim transduxisset, Ferdinandus animadvertens hostium numerum in dies augeri, ipsumque rebus necessariis carere, Consalvum monuit, ut expedito itinere Neapolim contenderet, factusque Gallis obviam potestatem proeliandi daret. Consalvus convocato aliorum ducum concilio, relatis mandatis quae a rege acceperat, percunctatus est ab iis, utrum potius faciundum eligerent, pacatam ne omnem Calabriam habere, ut nullus consistendi locus hostibus sit reliquus, an regi qui in angustiis versabatur auxilium ferre? Cumque de occupanda Calabria consuluissent, respondit: nihil eos magis egregium facturos, quam regi et Neapolitanis opem ferre: qui enim ea urbe potitus fuerit, regno quoque facile esset potiturus.

6. Castra igitur movit, atque in itinere, uno die ter pugnando, triplicem victoriam est consequutus, captaque Consentia, Galli optima civitate exuti, abierunt. Paulo post Castrum Francum, et Castrovillarum obtinet: sed ad Muranum a rusticis interclusus, qui viarum angustias et saltuum difficultates meliùs noverant, alio divertens, inopinato eos aggreditur, fugatque, et capto Murano, nullum de rebellibus supplicium sumpsit. Sed quod Galli itineribus occupatis, audaciores facti, liberius insultabant, omniaque periculis plena reddiderant, ab-

eundum Consalvus arbitrabatur. Sed ne fugere videretur, cognitis per exploratores locis, Lainum petiit, quo se plerique contulerant ex Sanseverinis, qui Andegavensibus favebant: quos, cum tota nocte ivisset, sepultos somno invasit, et seminudos quasi inermes cepit. Itaque ingenti praeda onustus, in Lucania regem adiit (illuc enim diverterat) qui cum cardinali Borgia Pontificis legato, et Mantuae marchione qui Venetorum exercitui imperabat, Consalvum multis gratulationibus excepit. Extemplo ad Atellam itum est, quo confugerat hostis, quem lacessitum pluribus proeliis, et vicerunt, et ad oppidum compulerunt. Tunc fracti viribus Galli, deditionem facere decreverunt, quae tamen ea conditione permissa est, ut ex regno neapolitano excederent. Itaque conscensis navibus non sine maximo dolore profecti, quod nobilissimum regnum e manibus sibi ereptum fuerat, in mediis Tyrrheni maris undis coorta tempestate ita disiecti sunt, ut perpauci ad Galliae littora pervenerint. Virginius Ursinus praeviderat, Atellam Gallis exitio futuram, ipseque Neapolim perductus coniectus in vincula misere periit. Praeclari quoque duces periere, inter quos Mompenserius gallici exercitus imperator.

7. Vix composita omnia fuerant, cum ex rebellium Calabrorum pectoribus nova perduellionis germina repullularunt, ad quae resecanda Consalvus missus est. Cum interea regum flos Ferdinandus, acerbae mortis ictu concidit; eaque effecit, ut Neapolitani unanimi voluntate Federicum regem acclamarint, qui nepoti succederet. Is vero omni retinendi regni spe in Consalvo collocata, cum ex Calabria in Samnium accivit, ubi Olvetanos, qui defecerant, continuo in fidem restituit, omnemque provinciam pacavit. Ea tempestate Alexander VI. Pontifex a Consalvo auxilium petiit contra Menaldum Guerram navarrensem insignem praedonem, qui Ostiae arce potitus, tantam tyrannidem exercebat, ut non modo eam Pontifici restituere recusaret, sed cunctis etiam indigenis et advenis vim inferret, ignique subiiceret navigia, quae Romam commeatum comportabant, quae res maximum damnum Romanis erat paritura. Consalvus a Federico missus, Ostiam circumsedit, eiectisque Gallis, Menaldum cepit, quem

triumphi instar Romam duxit; plurimique ei honores a Pontifice et Romanis habiti fuere. Arcem Gulielmam postea Federico recuperavit. Inde simultates siculas cum Iohanne Nucia eius insulae prorege sedavit. Extemplo ad Federicum profectus, qui ad Dianium, Antonellum Sanseverinum obsederat, tantum timoris huic incussit, ut petita pace, regis fidei se commiserit, et Senogalliam se receperit, ubi vitam cum morte commutavit. Consalvus donatus a Federico multis oppidis et ducatus titulo, in Hispaniam navigavit, ubi totidem honoribus a Ferdinando et Isabella coniugibus, cum tota fere hispanica nobilitate obviam prodeuntibus, exceptus est. In eo tranquillo Aragoniorum regum statu, Alexander Sfortia, denuo in Italiam Gallorum arma concitavit, quae tamen in ipsius discrimen illico redundarunt; vix enim Mediolanum appulerunt, cum ipsi destituto urbe et laribus abeundum fuit. Quod vero occasionem urbis potiundae hostis nactus, divina atque humana iura subverterat, civesque in maximam omnium rerum calamitatem adduxerat, Alexander omnium votis revocatus est. Renuentibus vero Helvetiis manus conserere, in hostium potestatem devenit, atque in Galliam captivus perductus est. Tantum perfidia valuit! quia cum in Alphonsum conspirassent, nihil pensi habebant Sfortiae Italiam perdere, ut dominandi libidinem exsatiarent.

8. Inter haec vero cum animadverteret Federicus, Ludovicum, Venetos, et Alexandrum inito foedere, de regni neapolitani exitio cogitare, ad Ferdinandum legatos misit, qui auxilium peterent. Sed quoniam verebatur, ne hostis accederet ante quam legati in Hispaniam pervenirent, legatos quoque ad Ludovicum misit; quod aegerrime Ferdinandus tulit: atque ita, dum utriusque animum sibi conciliare contendebat, eorumdem odium in se convertit. Tota vero Italia ab hostibus occupata, optime provisum fore putavit Ferdinandus, si devictis Mauris, qui in Hispaniae montibus communiti ad pristinas superstitiones redierant, Consalvum mitteret. Hic vero comparata classe, in Siciliam venit; Venetique primum, quibus novus Hercules advenisse visus est, qui a Baiazete Turcarum imperatore, capto Pedaso, omnium contumeliarum et

caedium genera pertulerant, ad ipsius opem confugerunt; iunctisque suis cum hispanis navigiis, et in ea littora facto impetu, Cephalaenem vi capiunt, Navarinum diripiunt, cunctaque loca, quae amiserant, in fidem recipiunt, ipseque in Siciliam reversus est. Dum ibi esset, Ferdinandus metuebat, ne sibi regnum neapolitanum tot laboribus receptum eriperetur; Ludovicus, ne prohiberetur illuc adire. Quare uterque facto foedere cum Pontifice et Venetis, contra Federicum ita convenere, ut ipsi sibi regnum dividerent, Venetis Cremona restitueretur, Valentinus Navarrae regis neptem uxorem duceret; gallo regi Campania, Samnium, Beneventum; hispano Calabria, Lucania, Apulia, et Salentini obtingerent. Consalvus ubi primum haec resciv it, quae a Federico acceperat, restituenda duxit; et Federicus regia magnanimitate, iterum ipsi et successoribus rata habuit; licet adversa fortuna ad Inarimem eum expulisset: cum interim Consalvus provincias, quae Catholico obtigerant, retineret, et Tarentum obsideret, cuius custodiae Federicus, Ferdinandum filium Calabriae ducem reliquerat, quem in deditionem Consalvus acceptum, in Hispaniam misit.

9. Cum vero de provinciarum finibus cum duce Namursio disceptarent, ille quidem iure, hic vero armis, rem exequi conabatur; cuius rei caussa ad Tripaldam proelium consertum est, atque inde Galli expulsi sunt, qui priores locum occupaverant. Easque simultates alebant Bernardinus Bisiniani, Robertus Salerni princeps, et Honoratus Mileti comes ex Sanseverina familia, quos paullo ante exules et extorres, patria atque fortunis exutos Consalvus revocaverat, et antiquae bonorum possessioni restituerat. Ad Ceriniolam extemplo castra posuit, cum Gallus Canusii Petrum Navarrum circumsessum teneret; qui cum triduum fortiter obstitisset, tandem multarum rerum inopia victus, deditione facta, ad Consalvum contendit; in quem hostis omnes copias produxit; collatisque signis, a Consalvo fugati sunt; qui etiamsi in maximam calamitatem et penuriam adductus esset, semper tamen spe suae virtutis elatus, nunquam animos deiecit, et semper perstitit, donec adveniente Hugone Cardona ex Sicilia, Emmanuele Benavida ex Hispania,

Rhegium .., Terram novam, atque Calvoniam capiunt, et integro milite cum hostibus feliciter pugnant. Hinc Gomesius cum suis fit obviam, et hostes fugat. Hinc Aguilara, Pignerum intra Crotonem liberat, oppida, urbes, castella, vicos, capiunt, diripiunt, incendunt, cunctaque timore complent. Itaque in ea commutatione fortunae, resumptis animis ab Hispanis, Calabri Gallorum auxilium petentes, nullo pacto se hostium vires sustinere posse aiebant, idque effecit, ut pars Gallorum in Apulia Consalvo se opponeret, pars in Calabriam suis opem laturi proficisceretur. Hispani, qui ad Terram novam et Seminariam se receperant,de adventu hostium facti certiores, ut in munitiora loca se reciperent, castra movere deliberarunt, quos ex improviso Obegninus aggressus, adeo perterruit, ut nisi Hugo Cardona inter loci angustias insistens, potestatem suis fecisset ut saluti consulerent, omnium internecio facta esset; ipseque ab ea clade per avia locorum ad Hieracem evasit. Nec ineruentam Galli obtinuere victoriam, praecipuis ducibus amissis. Ea tamen fortuna elati, agrum consentinum vastarunt, ipsamque urbem diripuerunt.

10. Eadem tempestate, cum in Apulia memorabilis post homines natos rixa coorta esset inter hispanos gallosque milites, qui vicissim se iniuriis lacessebant, Galli quod Hispanos inertes pugnando ex equis, Hispani eosdem et pedestris et equestris militiae imperitos dictitarent, ad monomachiae provocationem ventum est, in qua undecim utrinque equites adessent (1). Consalvus suos in arenam descendere iussit, Didacum Garciam, Didacum Veram, Marinum Testam, Morenam, Olivarem, Seguram, Consalvum Arevalum, Georgium Dias, Aguilaram, Pricarum, et Ognattum, qui primi in campum prodiere. Ex Gallis adfuere Moson, Ribera, Petrus Vaiartes, Mondragonus, Simonetta, Honartes, Terighius, Samponus, Fiordilitius, Velaures, et Petrus Abies. Ad Tranii moenia pugnatur. Venetis iudicium delatum fuit. Undeni itaque concurrunt, hastisque primo occursu duo ex Gallis totidem ex Hispanis transverberantur: at qui reliqui fuerant, districtis gladiis, acriori

(1) Hanc bendecamachiam memorat etiam Galateus initio epistolae sextae

pugna, solum sanguine foedarunt. Tum ex Gallis quinque, ex Hispanis tres occubuerunt; quibus Galli inferiores numero ut obsisterent, mortuos equos pro aggere obiecerunt; quos cum transilire nequirent equi Hispanorum (exhorrebant enim eorum cadavera) saluti Gallorum consultum fuit; cum praesertim nox, quae advenerat, propriam et expeditam Hispanorum victoriam interpellaverit; atque ita quisque in castra rediit; licet Hispanis, veluti victoribus, a suis fuerit acclamatum.

11. Galli ambitiosius iterum querelas redintegrare; omnem iram, omnemque pugnae apparatum in Hispanos ad Barlettam convertere, ibique Didacus Mendocia ab Hispanis, Carolus Anoreius Mottae dominus a Gallis, ingenti animo ad victoriam properare. Inferuntur signa, et spes omnis in virtute ponitur. Hispani prorsus victi fuissent, nisi Prosper et Fabricius Columnae cum equitatu hostem aggressi in fugam compulissent. Ira percitus Motta, denuo contumeliosa verba in Italos profudit: nihil esse cur suam ipsi virtutem extollant; semper fore ut Itali succumbant Gallis; cuius rei iterum periculum faciant: deligantur viri, qui pugnandi provinciam capessant. Non abnuit Consalvus. Ad eam rem peragendam ·XIII· viros delegit, Hectorem Ferramoscam capuanum, Marcum Corellarium neapolitanum, Iohannem Bracalonem, Hectorem Iuvenalem, et Iohannem Capocium romanos, Gulielmum Albamontem, et Franciscum Salomonem siculos, Ludovicum Abenavolum, quem vel capuanum vel theanensem dixerunt; Marianum Alberghettum e Sarno; Riccium parmensem; Titum e Laude Pompeia, quem Tranfullam appellabant, Romanellum e Foro Iulio, et Mcialem etruscum. Ex Gallis electi sunt, ipse dux Motta (1), Marcus Eufem, Graucus de Fortis, Claudius Graia astensis, Martellinus de Lamblis, Petrus de Lie, Iaches e Fonteria, Elotrus de Barat, Saccetus de Iacceto, Francus de Pises, Iaches de Guntibun, Nantes e Frasce, Carolus de Tognes. Priusquam in arma ruant, ita conveniunt, ut victus arma, equum, centumque florenos victori cedat et solvat. Iamque primum hastis, deinde gladiis atque securibus certatum

(1) Iovius in vita Consalvi insolito historiae instituto gallorum horum nomina sponte se reticere ait.

est. Proteritur bona Gallorum pars: delecti ex equis Itali, Bracalo et Tranfulla; iidemque sublevati equos sub Gallis interficiunt. In Albamontem Gallus irruit, qui neci traditus esset, nisi Salomon suppetias tulisset, a quo Gallus adeo gravi vulnere percussus est, ut ad terram prociderit. Cumque incerto Marte pugnaretur, Itali iniuriarum memores, et contumeliarum impatientes, integro impetu in Gallos accensi, multis illatis atque acceptis vulneribus, tandem Gallos deditionem facere coëgerunt, praeter unum Claudium Graiam, qui maximis virtutis facinoribus editis, mori quam se dedere maluit. Quare ex equis descendentes Itali, Gallos vulneribus et labore confectos ad Consalvum captivos duxerunt, quos refectos cibis et medicinis, eximia charitate curari iussit.

12. Inter eius diei felicitates, laetitiarum cumulus accessit, cum Consalvo renunciatum est, Gallos ad Castellanetam devictos, ibidemque hispani regis insignia fuisse explicata: praeterea a Lescano hispanae classis praefecto, Gallorum classem mari fuisse demersam, excepto Praeianis navigio, quod Hydruntum reiectum fuerat. Dum Obeguinus in Castellanetam copias deducit, Consalvus in Palissam castra movit ad Rubos; eumque que inopinato adortus graviori proelio commisso cepit, et in vincula coniecit, cum Amadeo qui Sabaudiae ducis equitibus praeerat, et Peralta hispano qui sub Gallis stipendia merebat, nec ab iis discedere voluit ne fidem violaret. Fortiter in ea pugna se gesserunt Ristagnonus, Cantelmus, Didacus Mendocia, Franciscus Sancius, Traianus Mormilis, et Margaritonus Loffredus. Captivos grandi pecunia redimere volentibus Gallis, Consalvus respondit, id sibi nullo pacto faciendum, petentibus iis qui nunquam fidem servare voluerint. Ut vero tandem Gallos prorsus profligaret, aucto militibus exercitu, tum praesidiariis, tum iis quos Maximilianus imperator subsidio miserat, Navarrum etiam Tarento accersivit, qui nactus in itinere Andream Matthaeum Aquaevivum ad Neamursium properantem, collatis signis, fortiter pugnantem cepit. Quod vero ad Geryonem copias esset transducturus, eaque loca ariditate nimia tantum incommodi militibus attulissent, ut calore atque siti laborantes vix se sustinerent, iussit ut

quisque ex equitibus peditem sublevaret, quo defessi reficerentur, ipseque primus omnium illud exequi coepit. Ad Geryonem pervenit, ubi tormentorum numero Galli opere Hispanos prohibebant, et vallo muniri vetabant, cùm Namursius hortantibus Allegrio, et Condeio Helvetiorum duce, copias e castris eduxit signa collaturus.

13. Consalvus triplici instructa acie, hortatus suos in hostem irruit. Acerrimum proelium vario certamine commissum est. Dum vero fossam, quam contra hostem multorum pedum longitudine fieri iusserat, Namursius transire conabatur, ignea glande percussus concidit; quae res maxime suos perterruit. In eadem fossa, Condeius occisus; et Helvetiorum caedes subsequuta est, qui ad unum interfecti hastis fuerunt. Quamobrem Galli ad fugam compulsi, et multi beneficio noctis huc illuc dilapsi ad abdita locorum secesserunt, ceteris aut captis aut occisis. Allegrius Neapolim, inde Caietam se contulit. Arsius Canusium petiit. Hispani hostium castra diripiunt, iisdemque mensis, quas Galli sibi paraverant, ovantes accumbunt, quodque noctis supererat corporibus reficiendis somno transigunt. Consalvus misericordia permotus mortuos sepeliendos curat. Namursio iusta persolvit, et ad Barlettam perducto marmoreum sepulcrum ponit. Ea victoria perterriti rebelles in Apulia ab Gallis illico defecerunt, excepto Traiano Caracciolo Melphii principe, qui inani fretus augurio, Gallos victores fore existimaverat; quem paullo post obsessum, Consalvus in deditionem accepit. In Calabria item memorabile proelium commissum est. Ad eius provinciae littora appulerat Petrus Portocarrera, qui cum electo milite et equite, subsidio Hispanis missus fuerat: febri tamen correptus apud Rhegium occubuit. Eo mortuo, Ferdinandum Andradam Villalbae comitem, ei muneri praefecerunt, adscitis fortissimis viris Emmanuele Benavida, Hugone Cardona, Arnaldo Alphonso Caravaialo, Alverado Consalvo Davalo, Antonio Leva, Figaroa, pluribusque aliis ducibus, qui egregiam in eo bello operam navarunt.

14. Cum Andrada ad Seminariam copias perduxisset, Obegninus ad Terram novam constiterat, fastuque superbo elatus hostem nihili faciens, per praeconem ad pugnam lacessivit.

Non renuit Andrada; sed in posterum diem proelium differt. Locus pugnae electus ad Petracem flumen, ubi planities explicandis copiis opportuna, in qua Olegninus a Ferdinando ictus fuerat. Cum uterque instructa agmina produxisset, pertinaci vincendi studio manus conserendo, celeriter Hispanus, haud absque suorum clade hostem dat in fugam. Allegrium, qui cum Gallorum reliquiis posse hostium impetum sustinere arbitrabatur, Petrus e Pace profligavit; quare Nolam se recepit; reiectusque, Caietam contendit; cum interea Capua et Aversa in Hispanorum potestatem venissent. Atque ita devictis hostibus, Consalvus Neapolim proficiscens, ad Furcas Caudinas constitit. Cumque Neapolitanos per litteras monuisset, ut Aragoniis faverent, quorum antiquitus in fide fuissent, atque Gallos ex urbe expellerent; meliore conditione, atque imperio aequiore se usuros non neseirent; curaturum se, ut in pristinam libertatem revocentur; quae peterent concessurum, vetera item privilegia confirmaturum; Neapolitani legatos ad eum miserunt, qui ad Acerram illi obviam facti, eius gratiam opemque publice privatimque petiere; quam primum ad urbem accederet, rogarunt; ab omnibus tam cupide expectari, ut eius beneficio non longiorem sibi dolorem relinquendum assererent. Quos Consalvus collaudatos amplexus, egregiam Neapolitanorum virtutem, multarum rerum testimonio cognovisse ait; bono animo sint; quam celerrime copias ad urbis muros subducturum. Responso Consalvi accepto, a nobilibus et popularibus publicis comitiis decretum est, ut Consalvo portae aperirentur, et salutem ex Aragoniorum fide quaererent. Cum Consalvus advenit, sua sponte, non hominum industria patuere, incredibili omnium laetitiarum significationibus multitudo effusa Consalvo gratias ingentes agere, Aragoniorum nomen ad caelos extollere, Gallis mala precari. Exceptum intra urbem privati quoque parietes consalutarunt, triumphantem venerati sunt cives, festusque dies adeo celebris effectus est, ut in Capitolium propemodum suum Caesarem, vocibus, aulaeis, frondidus, matronarum procerumque comitatu sustulerint.

15. Ut primum in urbem ingressus est, ad expugnandum

castrum novum animum adiecit, ubi Galli se munierant. Munitissima arcium orbis terrarum haec est. Alluitur ad meridiem Tyrrheno mari, ingenti fossa ad occidentem ambitur, ceteroqui turris sancti Vincentii, veluti firmissimum propugnaculum, omnes ad arcem aditus tuetur. Altissimis quinque turribus opera daedalea continetur, novos muros Aragonii circumduxerunt; quamobrem nova arx appellata est (cum Carolus primus eam multo ante condiderit) crassitie murorum impenetrabilis, fabricae ornamentis insignis, aedium magnitudine praeclara, tum in primis regum memoria, qui nuptias magnificentissimas, apparatissimos ludos, cunctaque admirabilia, quae in regiis familiis excogitari possunt, ibi celebrarunt. Quantum voluptatis victoribus Gallis omni deliciarum genere arx attulerat, tantum doloris et moestitiae nunc victis comparavit. Consalvus undique circumsessos tanta alacritate aggressus est, ut sublata quoque spe iis, qui e turri sancti Vincentii assiduis tormentorum ictibus aditum ei prohibebant, et collocatis bombardis ad radices sancti Erasmi, opera Petri Navarri, qui etiam cuniculis suffossis magnam murorum partem cum Gallorum nece subruerat, cedentes deditione facta, lapsi omni auxilio discesserint, et fugae similis discessus visus fuerit. Quare nequicquam Ianuensium classis subsidio iis venit; quam licet hispana classis ad Inarimem infestam haberet, tamen Constantiae Davalae virtute a Federico ibi relictae, magni animi et amoris in Aragonios feminae, inde expulsa est. Receptis igitur arce nova, et castro Lucullano, nullum tempus intermisit Consalvus, quin Caietam peteret, quo Gallorum reliquiae confugerant.

16. Ante quam illuc perveniret, Montis Casini arcem aggreditur, quam Galli tenebant, atque foedis moribus stabulum ferme reddiderant; qui obsessi, ita convenerunt, si ad certam diem sui subsidio non venirent, imperata facturos, atque ita acceptis obsidibus, ad Fregellas castra ponit. Arcem Gulielmam obtinet, coniectis in fugam Gallis, qui praesidio erant. Mox Caietam petit, urbem vi militum, muris validissimis, et loci natura communitam; dumque suburbio diripiendo milites vacarent, Didacus Cardona occisus est. Sed no-

vo Gallorum auxilio succedente, qui suis praesto essent, Consalvus ad Castellonem consedit. Rebellantem Arcem Gulielmam Navarrus compescuit et domuit. Interea, quod Gallorum rex de regno neapolitano recuperando desperaret, quodque eos, qui Caietae erant, non posse Hispanorum impetum sustinere animadverteret, multarum gentium maximo exercitu coacto, Tramolia, Francisco Gonzaga, et Antonio Basseo ducibus, denuo rem difficilem tentavit. Consalvus cum resciyisset hostem adventare, a Castellone ad Montem Casinum castra movit, ubi Gallos perfidiae reos internecioni tradidit. Novis item ducibus pugnandi potestatem fecit. At Gallus, qui ire Neapolim cogitabat, a pugna abstinuit, Fundos petiit, et ad Liris ripas se communivit. Consalvus eos insequutus, in altera fluminis parte castris positis, munitionibus praeerat, militibus augebat animos, certam victoriam pollicebatur. Interea alter alteri bombardis infestus erat. Tandem facto ponte, flumen traiecit cum Albiano, qui subsidio venerat, ceterisque quos vincendi cupiditas incesserat: utrimque acerrime manus consertae sunt; sed ad Hispanos non incruenta victoria inclinavit. Galli qui reliqui fuerant, Formias se receperunt. Consalvus celeriter illuc accurrit, Formias circumsidet, hostemque obtruncat, capit, fugat. Deinde Caietam advolans, in Aragoniorum potestatem redegit. Totque rebus praeclare gestis militiae, regno administrando domi incubuit; atque eam praefecturam datis litteris rex hispanus ipsi confirmavit.

17. Bellicis rebus compositis, rei publicae et civium commodis consulere coepit, conventuque publico habito, Neapolitani multa petierunt, quae se exsecuturum promiserat iam tum cum eorum fidem expertus fuerat; quibus libentissime annuit, ut eorum voluntatem constanti fide retineret. Petierunt itaque, ut pecuniam quam ob subveniendum bellorum necessitatibus a plerisque acceperat, illico restituendam curaret. Ut beneficia quae in regno possidentur, in regnicolas conferret. Creditoribus eorum, qui in Galliam se contulerant, eorumdem bonis atque fortunis satisfieret. Perpetuis moeniis urbem communiret. Quaecumque privilegia a regibus accepissent, confirmaret. In iurisdictionem atque oppidorum possessionem re-

stituerentur. De bonorum possessione, quae a rebellibus coëmissent, non deturbarentur. Quas immunitates Carolus et Ludovicus reges concesserant, quae ipsorum immunitatibus contrariae essent, revocaret. Viros neapolitanae ditionis, nemini concederet. Eos qui ex Hispania discesserint, inquisitionis metu, libere Neapoli commorari permitteret. Nihil damni paterentur eorum bona, qui Neapoli discedere voluissent. Neapolitanos, qui vel iure belli captivi ducti fuerant, liberaret. Eorum fortunas, qui ad Gallos deficientes, ad fidem redire voluerint, integras servari iuberet. Ubicumque Neapolitanos a vectigalibus esse immunes, et ubicumque mercaturam eosdem exercere sineret. Boni denarii (sic vocant) vectigal integrum Neapolitanis concederet, veluti a regina Iohanna, et Federico concessum fuerat. Solvendam pecuniam, quam reges Aragonii deberent, curaret. Decurionibus integra suae iurisdictionis possessio remaneat; eisdem cives in neapolitanam civitatem aggregare liceat. Magistratus neapolitani, in Neapolitanos erogentur. Militum hospitio non adhibeantur. Novas solutiones ablegandas. Vicariae imperium in sontes coërceatur, quos indicta causa quaestioni non adhibeat. Neapolitanis creditoribus, debitorum mora non concedatur. Magistratus, in suis tribunalibus, non alibi congregentur. Annonae causa, cunctis ex toto regno, quod voluerint extrahere liceat. Gymnasia publica, regis pecunia sustententur. Nullo pacto, mulierum dotes pauperiem faciant. Sportulas atque tricesimas magistratus non exigant. Qui navigia exaedificarit, vectigalibus non subiiciatur. Pauperibus, qui in vinculis detinentur, ex regis aerario praebeatur victus. Magistratus accusentur de repetundis. Artis sericae et lanificii privilegia confirmentur.

18. Quicquid Galli praeceperant, antiquavit. Magistratus ab ipsis electos revocavit, Antonium Ianuarium viceprotonotarium, Iohannem Baptistam Brancacium, Carolum de Rogerio, Antonium rhaudensem, Antonium Palmerium, Iohannem Aloisium Antaldum, Matthaeum de Afflicto, Iohannem Thomam Ianuarium. Castri novi portae aureae propugnaculum addidit, ut difficultates, quas ipse in ea oppugnatione expertus fuerat, augeret. Gentilia ipsius stemmata, ibi apposita cernuntur.

FINIS.

RAIMUNDUS DE CARDONA.

1. Iohanni Aragonio anno ·M·D·LXIX· successor datus est in praefectura neapolitana Raimundus de Cardona, laletanus genere, vir solerti et gravi ingenio, qui aestuantem armis rem publicam italam reperit, dum Iulius II. Pont. max. quo non maior alter, ingenti magnarum rerum spiritu, romanae ecclesiae auctoritatem tueri, eiusdem rem imperio atque divitiis (ut par erat) augere conabatur; maximorum regum hispani, galli, et angli pectora bellorum ardoribus flagrarent; Veneti, Florentini, Bononienses, Ferrarienses, Mediolanenses, tota denique Italia, Helvetia, Germania in motu essent; foederatorum arma timerentur; hostium reditus esset formidandus. Dum, inquam, de concilio lateranensi celebrando ageretur, Pisanis atque Florentinis fuisset interdictum, de concilio pisano Mediolanum transferendo cogitaretur, contra Etruriam arma caperentur, cunctaque rigerent ferro, arderent flamma, nihilque cerneretur tutum; haec, inquam, proregem terruisse existimandum est, licet attollere animos visus fuerit, quum delectis·XIII· milibus gravis, ·VII· levis armaturae hominibus, peditum vero viginti tribus milibus, summam belli a foederatis accepit. In eo foedere cum ceteris quoque italis Pontificis animum consentientem habuit, qui Bononiam, aliasque urbes, quae apostolicae Sedis dominio debebantur, restituendas, contradictores vero ex Italia potentibus armis expellendos, censebat. Aegre vero tulit ecclesiae turbines, cum Cardinales s. Crucis, Maclovicnsem, Baiosam, Consentinum, et s. Severini, dignitate privatos, Sedis apostolicae hostes publicavit. Quare nihil praeter quam arma cogitans, Hispanorum adventum anxie expectabat, quos inflammabat, ut in Florentinos moverent, Mediceos in pristinum locum restituerent, et Petrum Soderinum supplicio afficerent, cuius monitu Florentini a Gallo rege discedere noluerant.

2. Probabat Pandulphi Petrucii consilium, qui ab Etruriae finibus bellum arcebat, ut Bononiam aggrederentur, censebatque Florentinos ferre non debere, ut Galli in eorum ditione permanerent. Dumque ab Aragonii regis legato de pace cum Pon-

fifice ageretur, Cardinales qui pisanum concilium instituerant, ultra Apenninum iter habebant, adiunctis sibi ter centum equitibus, quibus praeerat Odettus Fuxius, Lautrechi regulus, concilii custos ab iis creatus; quos Florentini intra urbem recipere noluerunt, ne videretur Etruria bellorum domicilium fieri, suadentes uti Pisas commodiorem et tutiorem locum sibi deligerent, cum tamen Lucam se contulerint, hac de causa a Pontifice excommunicatam. Aestuabat Cardona inter regum Galli, Catholici, Caesaris, et Venetorum consilia; multa vero ex iis addiscebat ad bellum bene gerendum. Gastonis Fuxii, eximii ducis, hispaniae reginae fratris, virtutem expertus est. Palissae motus, et Helvetiorum ordines observavit. Petri Navarri ingenium plurimi fecit, qui primis tumultibus, ad Bastiam praesidio relicto, cum primum se Cardonae adiunxit, occasionem Alphonso Estensi, Ferrariae duci, dedit, ut in eam impetu facto, magnam oppidanis atque praesidiario militi cladem afferret. Ad Forum Cornelii convenit exercitus Hispanorum atque Pontificis, qui et virtute et militum numero plurimum poterat. Cum praeterea proceres neapolitani Cardonae se coniunxissent, inter quos Fabricius Columna numerabatur, absente Prospero, qui proregi neapolitano se nolle subiicere dixit. Pontificii aderant M. Antonius Columna, Iohannes Vitellius, Malatesta Balionus, alii fama et militari peritia illustres, quibus Cardinalis Mediceus praecerat, mortuo Termularum duce ad civitatem Castellanam, quem Pontifex imperatorem summum elegerat. Aberat quoque Urbini dux, qui eadem de causa, qua Prosper, sub proregis imperio esse recusabat.

3. Toto exercitu coacto, Bononiae obsidionem parabant, ne otio tabescerent; eoque profecti ad Idicem flumen castra posuere. Mox occupatis monte et via, quae Bononiam ducit, ut res frumentaria sibi commode posset supportari, Cardona ad urbis muros copias subducendas iussit; dum Fabricius Columna ad pontem Rheni constituto primo agmine, Gallos arceret, si forte Bononiensibus opem ferrent; utque montes tenerent, s. Michaëlis monasterium, quod urbi imminet, et templum s. Mariae altiori loco positum occuparunt. Quod

vero a Gastone duo milia germanorum peditum et ducenti equites cum Odetto duce, Bononiensibus subsidio missa fuerant, et segniter nimis in oppugnatione Hispani se gerebant, obsessi obfirmatis animis, omnem spem salutis in eorum auxilio collocarunt. Dumque multa in consultationem adducerentur, Cardona probavit Navarri consilium, qui suadebat, ut parato commeatu quinque dierum, et munito divo Michaële, omnem exercitum ad eam urbis partem transducerent, quam defensores deseruerant, propterea quod arbitrabantur nunquam fore, ut inde hostis eos aggrederetur, atque ita facile urbe potituros. Idque cum ad aliorum aures pervenisset, reiecto consilio, commendabant, ut primum agmen pluribus militibus implerent, atque ad radices montis inter Saragoriae et s. Felicis portas considerent, valloque et vineis castra munirent, dum in ea parte manus consererent, quae validis muris careret. At vero omnes tandem in eam sententiam iverunt, ut ex eo loco irruerent, quo castrametati fuerant. Sed cum tormenta prope ipsa moenia collocassent, de Fuxii adventu commoniti, ultro ad ipsum progredi deliberarunt, ne propius accedere ipsi liceret. Repugnabant plerique, qui pro comperto habebant, plurium damni fuisse accepturos, si recipiendis tormentis, quae posuerant, voluissent immorari. Itaque inter has difficultates detestabantur rerum tarditatem, illudque in primis faciendum suadebant, ut quam celerrime hostem invaderent. At quoniam rem differri legatus animadvertebat, Cardonam suspectum habere coepit: nec aberant querimoniae, non debuisse eum ab incepto desistere, a Pontifice crebros nuncios accipere, quibus ad rem expediendam illum hortabatur; non decere vana spe eundem fallere. At Cardona aiebat, nolle se in eo bello ita gerere, ut cum maturandum esset, si secus faceret, orbi clades inferatur; cum praesertim consueverint Pontifices et respublicae celeri consilio ad bella inflammari; tum illico sumptus et molestiarum pertaesos, eadem ad libitum solvere, et detestari. Quare legatus ducum experientiae se committat, eaque probet, quae ab eorum prudentia et virtute debent expectari. Et Navarri sententiam sequutus, qui

triduum deliberando poscebat, ea comparare instituit quae maxime Bononiae expugnandae convenirent.

4. Interea Fuxius multa oppida, quae in agro bononiensi erant, in fidem accepit, eratque ad Finalem, ubi conscriptos milites expectabat. Ideo Cardona non cunctandum ratus, collocatis tormentis, cuniculis a Navarro suffossis, in primum castrorum locum deductis copiis, impetu facto, maximam partem muri diruit, turrim quae portam tuebatur deiecit, subitoque facti pontes, repletae fossae, quae omnia facilem aditum in urbem fecerunt; quare Galli, qui ibi erant, suppetias a Fuxio petierunt. Is misso equite et pedite effecit ut crederent, non ulterius se progressurum. Nulla tamen a cuniculis accepta clade, cum Bononiam satis firmam esse crederet, Brixiam cogitabat, ut veneto exercitui se opponeret. Ab ea tamen sententia revocarunt ii, qui Bononiae erant, a quibus et maiora pericula demonstrabantur, et certa victoria promittebatur, si cum exercitu in urbem fuisset ingressus. Itaque instructa acie quindecim milium Germanorum, ·VIII· Gallorum, et Italorum mille ter centum equitum, licet saevissima ventorum et nivium tempestate debuissent perterreri, deceptis ceteroqui rerum vigilantissimis observatoribus, Bononiam introiverunt. Utque celeritatem, qua utebatur in huiusmodi negotiis ostentaret, illico signa contulisset, nisi ab Ivone Allegrio esset revocatus, qui fessis ex itinere militibus prius consulendum dixit. Cardona, cum a graeco quodam milite cuncta rescisset, proxima nocte post ·XIX· diem, quo Bononiam obsederat, castra movit, et ad Forum Cornelii pervenit. Castra, et rem frumentariam Galli diripuerunt; quorum equites multa damna intulissent, nisi a Malatesta Balliono, qui extremum agmen ducebat, fuissent repulsi. Victis tandem Hispanis, Fuxius eo celebrior habitus est, quod proregem depulit, Iohannem Paulum Ballionum profligavit, Brixiam recuperavit, hominumque tantam caedem fecit, quanta nunquam in Italia memoratur.

5. Inde in foederatos, qui se in agro bononiensi communiverant, exercitum duxit, iubente gallo rege, qui angli regis, atque Pontificis motus timebat, cum praesertim nihil certi a

Florentinis elicere potuisset, apud quos continenter Cardonae orator fuerat, quem iidem ad Catholicum miserant, quod magna ex parte ad suspicionem vergebat. Itaque magnis instructus copiis Hispanos invasit. Cardona vero, qui regis mandata acceperat, ut cunctando rem differret (sperabat enim Gallos ex Italia discessuros, cum in eos anglus rex arma pararet) a pugna abstinuit; sed non longius ab hoste abesse decrevit, ne aut Flaminiam vastarent, aut Romam peterent; atque ita, vel natura munitis locis interdum castra ponebat, interdum vero recipiebat se, ut non vulgi rumoribus sed victoriis laudem sibi compararet, positisque a Gallo castris ad Medicinam, et castrum Guelfum, ipse ad Forum Cornelii ivit; deinde ad Castrum bononiense, dum Gallus ad Bubanum, Bagnaram, et vicina oppida exercitum misisset. Postridie ad campum Muccanum consedit, occupatis a Fuxio eodem die castro Solarolo, Cotiniola, et Granarolo. Sed iis itineribus uterque exercitus incedebat quasi signa signis collaturus; alter tamen hostem ad necessariam pugnam provocare nitebatur; alter abstinebat proelio, ut numero inferior, loci tamen conditione superior cognosceretur.

6. Dum ea gererentur, Fuxius ad committendum proelium a rege compellebatur, cum Veneti ob brixianam cladem fracti viribus, cum Pontifice et Catholico foedus iniissent. Commodius vero arbitrabatur contra Ravennam arma ferre, ad quam tuendam M. Antonius Columna a Cardona missus fuerat, reliquo exercitu ad Faventiam consistente, ubi cum Fuxio grave proelium est commissum. Is vero eodem tempore castrum Roscium cepit diripuitque. Hinc Ravennam iter arripuit, atque inter duo flumina, quibus urbs alluitur, castris factis, proxima nocte iacto ponte, magna copiarum parte transmissa, commeatu interclusus, propterea quod Veneti ostium Padi immersis navigiis oppleverant, ne Ferrarienses frumentum suppeditarent, pugnandum esse statuit, admotisque scalis, milites conscendere iussit. At Ravennates, tum propriis viribus, tum Columnae virtute et consilio, nec labori nec periculo cedentes, hostem repulerunt; qui amissa spe vincendi, et perculsus timore bellici tormenti quod in aggere positum, crebris ictibus

plurimum detrimenti intulerat, ad castra se recepit. Postero die non sub muris, sed cum hoste confligendum duxit.

7. Cum igitur Hispani praeter expectationem haud procul Ravenna se communissent, et Fuxius, iacto ad Bedesim ponte, albente caelo, in eorum conspectum venisset, ulterius progressi, ex altera fluminis parte ordines constituere, quibus praeerant Fabricius Columna, Padulae marchio, Cardinalis Mediceus, Caravaialus, Ferdinandus Davalus, Petrus Navarrus, qui expectantes ludibrio fere Gallos habebant; tanta inerat animis virtus, et pugnandi cupiditas! At quoniam hostis vado flumen transibat, nec in eum irruere opportunum Navarrus existimabat, quod omnino Fabricius faciundum clamabat, imprudenter nimis a Cardona factum duxerunt, qui transitum infestis hostibus permittere voluerit. Cumque inter vallum, et fossam continerentur, et neuter manus conserere auderet, Ferrariae dux tormentis bellicis Gallos iuvit, quibus multum damni equitibus illatum est, quod pedites pertulissent, nisi Navarrus iussisset ut proni ad terram procumberent. Quibus effectum est, ut in Cardonam Fabricius iratus inveheretur, moneretque uti agmina in aciem produceret, nollet exercitum bombardarum ictibus absumi, non esse uni Navarro committendam regis dignitatem, Italiae salutem, tot praeclarorum militum virtutem: atque his dictis, extra vallum cum suis equitibus prodiit; omnisque equitatus aemulatione ductus, ita acriter cum Germanis, quos primos nacti fuerant, proeliati sunt, ut ea memorabilis pugna Italiam illustrarit. Tandem vero, ad Gallos victoria inclinavit. Fabricius ab Estensi captus. Capti Ferdinandus Davalus, Pontificis legatus, et Padulae marchio. Multi praeterea desiderati sunt. Cardona, Caravaialus, et Antonius de Leva fugae se commiserunt. Fuxius, qui fugientes Hispanos insequebatur, circumventus, atque ex equo dejectus, hasta percussus occubuit; qui iuvenilibus annis, trium mensium spatio, ferox animo, celerque consilio, tot insignes victorias reportaverat. Odettus quoque vulneribus confossus est, sed Ferrariae convaluit. Ad decem milia hominum in ea pugna caesa fuisse traditur, inter quos fortissimi milites Ivo Allegrius, Raphael de Pazzis, Iacob gallus, Molardus aquitanus. Cardo-

na a suis qui profugerant, Anconam perductus est, qui si in sua sententia permansisset, aliorum praecipitem audaciam frenasset. Ravennates victoribus se dediderunt; italico vero nomini infensi Germani, et Aquitani, nulla civium habita ratione, suorum cladis memores, crudeliter eos necarunt, et omni contumelia affecerunt. M. Antonius Columna arcem deseruit; oppida, quae circum erant, in potestatem legati concilii pisani venerunt.

8. Inter haec dum Cardinales Pontifici pacem suadebant, Catholicus, et Veneti Cardonam ad arma hortabantur, adiuvante Francisco Maria Urbini duce, qui ducentis equitibus, et quatuor peditum milibus suam operam navaturum pollicebatur; favere tamen fortuna visa est in eo perturbato rerum statu: nam Palissa in Nortmandiam vocatus, in Flaminia relicto praesidio, discessit. Pontifex concilium lateranense sollemni pompa coëgit; eoque fortunatior habitus est, quod cum Gallus iterum Palissam in Italiam immitteret, ut Romam praesertim aggrederetur, ideoque Pontifex malorum turbinem in sui perniciem ingruere intelligeret, subito furor ille restinctus est. Cardona Hispanos a clade superstites, quibuscum Neapolim se receperat, simul undique contrahebat, ut in Galliam cisalpinam exercitum duceret. Negabant vero Pontifex, et Veneti stipendia, quae foederis iure non esse petenda dicebant, quoniam Galli iam ex Italia discesserant; Cardona vero, iure illa deberi aiebat, cum Galli adhuc Brixiam, Cremam, aliasque arces in sua fide retinerent. Qua de re cum item quereretur Caesar, episcopum Gurgensem misit, qui non modo a Florentinis pecuniam extorqueret, sed etiam cum Cardona, ceterisque foederatorum ducibus Mantuam peteret. Pontifex, ut et dignitati et ditioni suae consuleret, per Laurentium Pavium, qui postea Cardinalis tituli ss. Quatuor electus est, Cardonam convenit, et de foederi se adiungendo, tum de solvenda pecunia egit; cum interim perductis ad Bononiam copiis Cardona, omni pecuniae auxilio destitutus, eo redactus est, ut seditiosos milites metueret, qui necem ei minitabantur; factisque rem probassent, nisi parte stipendiorum collata, furentes homines pacasset.

9. Multis consiliis cum Gurgense agitatis, contra Florentinos arma ceperunt. Vixque ad eorum agrum perveneraut, cum factus obviam rei publicae legatus, ita loquutus est: Florentinorum observantiam in regem catholicum omnibus esse perspectam; quae proximo bello gesserint, ipsi Cardonae comperta esse; omnia praeterea spĕrare posse, si eos in suam amicitiam recepisset. Diceret ipse tandem, quaenam a Florentinis exposceret, pro viribus se obtemperaturos. Cui Cardona respondit: suas se copias illuc perduxisse, non solum, ut sui regis votis satisfaceret, sed etiam ut cum foederatis salutis commodo provideret, quae in discrimen posita videbatur, dum Soderinus in eo populari magistratu vigeret, nec a gallo rege deficeret; quam ob rem in omnium invidiam atque suspicionem esset adductus. Itaque, ut suspicio absit, atque regi catholico mos geratur, abdicet Soderinus se magistratu, illudque administrationis genus in florentina civitate revocetur, quo optime constitutam rem publicam cives laudent, foederati quiescant, probet Italia, Medicei praeterea in pristinos honores restituantur. Florentini Hispanorum adventu perterriti, Pontificis minis perculsi, dissidiorum inter cives non ignari, quos novarum rerum cupiditate maxime teneri sciebant, nullis copiis instructi, ducibus destituti, ad pacem inclinabant, quam ut quibusvis artibus Pontificis animo insinuarent, ad Cardinalem volaterranum scripserunt. Mandata retulit Cardinalis, Pontifex vero respondit: bellum illud nihil ad se pertinere, cum invitus ad foedus descenderit, ne in se ipsum arma provocaret. Cardona quindecim milibus passuum Florentia cum castris aberat, civibusque per nuncium significavit, foederatos nolle ditionem atque libertatem eorum perturbare, aut rem publicam de suo statu deiicere; tantum postulare, ut expellatur Soderinus, et restituantur Medicei. Sic et alienatos animos conciliatum iri; hos vero non tyrannidem, sed communem omnium fortunam amplexuros.

10. In varias sententias itum est. Alii dixerunt, non debere unius commodum, omnium saluti et commodis anteferri, eoque magis quod foederatorum viribus obsistere non valerent, nec aliunde auxilium expectarent: alii vero nihil minus esse

credendum, quam in unum Soderinum hoc bellum intendi, et Mediceos veluti privatos cives Florentiae esse futuros: id consilii foederatos cepisse, ut eodem tempore electo Soderino, et civitas suo principe careret, et introductis Mediceis, protrita libertate, cuncta eorum arbitrio subiicerentur. In ea sentiarum opinionumque varietate, Soderinus habita concione, populum ad arma concitavit, quibus rei publicae libertatem tuerentur. Cardona ad Barberinum lustrato exercitu, Pratum venit, percussisque muris nihil profecit, firmo praesidio, quod inerat, obsistente. Quod autem res frumentaria defecerat, et omnem eius potiundae spem abiecisset (nam hostis omnem messem, quam secuerat, in munitissima loca transvexerat) de pace cum Florentinis egit, quam cum consulto Soderinus produceret, alia ex parte Pratum aggressus, omni supplicio oppidanos affecit (1), a mulieribus vero abstinendum severissime edixit. Horum exemplo, absque mora Pistorienses Cardonam frumento iuvarunt. Soderinum metu perterritum, anxium animo, Victorius, et Albizus factiosi iuvenes, qui paulo ante de eo eiiciendo coniuraverant, palatium ingressi, de omni ope desperantem nacti, minis et persuasionibus effecerunt, ut abiecto magistratu fugam capesseret, servatusque in Victorii domo, sequenti nocte per agrum senensem, et anconitanum, mari transmisso Epidauri se abdidit. Florentini cum Cardona ita convenere, ut soluta regi, et gurgensi episcopo pecunia, quam rex Romanorum poposcerat, ab ditione florentina abiret, ipsique inter foederatos reciperentur. Discessit Cardona; et belli securi a cervicibus repulsa, Florentini ad novum administrationis genus animum addixerunt; eorum tamen libertas a Iuliano Mediceo armis est occupata: et quia Pontifex animo erat abalienato ab Estensi, Catholicus Cardonae commisit, ne rem publicam florentinam in ea re perturbaret.

11. Compositis deinde rebus florentinis, Brixiam petiit, quam Veneti obsidebant, et quam Obegninus Gallorum dux,

(1) Pratensis huius calamitatis lugubrem historiam nuper florentinis typis vulgatam habemus. Razzius autem in vita Petri Soderini p. 79. sic breviter concludit: *morirono non combattendo, ma fuggendo o raccomandandosi, più di due mila uomini.*

qui praesidio ibi erat, Cardonae potius tradere statuerat; cumque sibi tradendam Gurgensis contenderet, Cardona ad foederatos illam pertinere dixit. Cumque de inferendo bello Ferrariensibus Pontifex consilium iniret, et multa de Parma, Rhegio, Placentia, Crema, Bergomo, Vicetia deliberarentur, Maximilianus Sfortia, iubente Caesare, Mediolanum ingressurus, Cardonam Cremonae expectavit. Cum eo ventum esset ad constitutam diem, coorta discordia est inter eos num claves a Cardona, an vero a Cardinali Sedunensi, qui principem locum in Helvetiis habebat, tradendae forent. Cessit tandem Cardona, eumque honorem Cardinali detulit. Quoniam vero Catholicus Pontifici morem gerere conabatur, Cardonae imperavit ut Ferrariam copias duceret; cumque ad Arcem Trecii pervenisset, oppidani sese illi dediderunt. Mortuoque Iulio pontifice, Placentiam et Parmam in Mediolanensium fidem restituit: atque interea Estensis Flaminiae civitatibus recuperatis, Rhegium nemine obsistente obtinuit, dum inter Rhegium, et Placentiam Cardona cum suis esset. Variis tunc tumultibus intercedentibus, furente Gallo, foederatis hinc inde nutantibus, Hispanus deficiente pecunia vix se poterat sustentare; licet advenienti Tramoliae occursurum se polliceretur, ut Pontifici rem gratam faceret; suisque e parmensi agro evocatis, ad Trebiae ripas ita se gerebat, ut crederent a Catholico fuisse monitum, ne gallo regi esset impedimento, nisi animadverteret ceteros foederatos enixe Mediolanum defendere. Secus, nec regem provocaret, et exercitum Neapolim transduceret. Accersitis itaque iis militibus, qui Alexandriae sub Piscarii praesidio erant, Gallo duci consilium communicavit: et itineri iam se committere parabat, quod dum lentius exsequitur, Helvetii, quorum praecipua cura defendendi Mediolani erat, magna militum manu praemissa, iter eiusdem aeque impediebant. Is simulans nolle discedere, quippe contra Gallos cum ipsis profecturus, Prosperum Columnam misit, qui eos moneret, ut suas copias ad Trebiam cum Hispanis coniungerent. Helvetii autem, qui non ex sincero animo ea proficisci intelligebant, responderunt, illud unum satis se perspectum habere, nolle ipsum cum Gallis pugnare, sed tuto

terga vertere: ceteroquin Helvetiorum virtutem bello sustinendo satis esse idoneam.

12. Procedentibus in Italiam Gallis, ad Cardonam profectionem parantem Mediolanenses legatos miserunt, excusantes se, quod ad Gallos accesserint; verebantur enim ne omnium salutem atque fortunas in discrimen revocarent. Eaque legatione libenter accepta, castra movit in neapolitanum regnum discessurus. At vix itineri se commiserat, cum acceptis a Pontifice litteris, conversis signis ex eodem loco se ad Trebiam contulit: recuperatis enim intra eos dies Parma et Placentia, Pontifex ad Mediolanum animum adiecerat. Cardonae reditu, et aliorum Helvetiorum adventu Mediolanenses commoti, lentiores in ea deliberatione fuisse maluissent; dicebantque se Sfortiae dominium subituros, cum se Hispani Helvetiis coniungerent. Quamobrem Cardona, ut ea spe illos retineret, iacto super Eridanum ponte, multa se conaturum ostendebat; nunquam vero exercitum transducere ausus est, propterea quod verebatur ne a Gallis et Venetis intercluderetur, qui nuper occupata Cremona, et vadato flumine, propius adesse nunciabantur. Et venit Bartholomaeus Albianus veneti exercitus imperator, ut Hispanis transitum impediret; cum interim a Cardona contra Fliscos et Adornos dux Genuae auxilium peteret, quod cum tempore idoneo impetrare non potuisset, de Zacharia ducis fratre victores supplicium sumpserunt, equina cauda per urbem ignominiose raptato. Postmodum expulsis Genua Iano et Octaviano Fregosiis, quorum uterque ad principatum aspirabat, Cardona Octavianum ad supremum illum magistratum evexit, dato praesidio ter milium peditum cum ductore Piscario; quos cum formidarent Adorni, qui viribus impares erant, Genua excesserunt. Amisit tamen Cardona ad Liniacum suos, qui ad arcis custodiam relicti fuerant, ab Albiano aut captos aut trucidatos.

13. Pacata Genua, veritus ne Veronenses intra urbem Venetos reciperent, ut suis qui aderant opem ferret, fluvium ponte iunxit, exercitum traiecit, Bergomum, Brixiam in deditionem accepit, Piscariam vi captam diripuit, nobilemque illam Venetorum arcem clade effecit. Albianus de eius adventu cer-

tior factus, coactis undique suis copiis, ad Arborem se recepit. Cardona cum Germanis se coniunxit, et recuperato Liniaco, ad Montagnanam se contulit; et dum muniendis Patavio et Tarvisio, et Pontifex antiquando concilio operam navarent, ipse Gurgensem expectabat, quocum de rebus agendis consilium caperet: illudque eodem tempore aegerrime tulit, quod quaestor qui Bergomi erat tributum exacturus, a Rentii de Cero militibus una cum exacta pecunia captus fuit, et Bernardinus Caravaialus Patavii proxima loca exploraturus, in Venetos incidit, et in vincula est coniectus. Multis rebus in consultatione positis de obsidendo Patavio, Gurgensis Hispanos ad eam rem vehementer hortabatur, ea enim una civitate occupata, aliarum urbium recuperandarum spes ndimebatur. Inficias ibat Cardona, quem ab eo facinore urbs ampla, plena civibus, defensoribus munita, munimentis omnibus fere inexpugnabilis deterrebat. Vicit Gurgensis, qui renuentem proregem accusabat, quasi rei militaris imperitum, et inconstantem; nam crebro ad Caesarem idem scripserat, se facillime ea urbe esse potiturum. Tandem in dies crebrescentibus querelis, nulla spe reliqua eius obtinendae, decimo octavo post obsidionem die, a patavinis moeniis ad Vicetiam castra moverunt.

14. Ad Pontem Vieum Antonius de Leva missus, Venetos qui praesidio erant, deditionem facere coëgit. Bascianum et Marosticum aliquot Hispanorum cohortes, quas ductabat Prosper Columna, ceperunt. Ad extremum deficiente commeatu, imminentibus ceteris belli molestiis, Gurgensis Veronam cum Germanis, Cardona ad Arborem infensis animis iverunt. Is vero castramentatus in agro brixiano, Cremam quae trans Mincium flumen in Venetorum potestate erat, aggredi cogitabat; nihilominus re frumentaria destitutus, Bovolentam militum praedae permisit. Tum contradicente Prospero Columna, acta praeda omnem regionem circa Venetias urendo, ad ipsam urbem properabat, quamvis Albianus celeriter vadato flumine, maximo conatu hostem impedire conaretur. Sed enim paludes montiumque angustias nactus, inter quas difficili itinere esset eundum, Veronam pedem retulit. Tunc Albianus,

suadente Loretano, quasi fugientes insequutus, nolle se certam victoriam negligere aiebat, quando Cardona non incertam belli fortunam periclitari, sed certam salutem sperare voluisset: nullaque laus Prospero tributa fuit, qui initium pugnandi fecit; nulla item Piscario, qui aemulus Columnae videri studebat: etenim adorti Venetos, mox fugae se mandarunt, relictis castris et impedimentis, fortissimis ducibus desideratis, multis aquarum vortice submersis, cum aut lubrica saxa vestigium fallerent, aut milites rapidior unda subduceret. Haec illa memorabilis clades est ad Vicetiam. Eo proelio commisso, de paciscendo actum est a Gurgensi apud Pontificem; foedusque ictum est, cuius conditiones a Cardona non servatas inde patet, quod post victoriam a praeda non abstinuit; nec Caesarem bono animo annuisse censebant; nec Venetos, nec Catholicum, qui in rerum varietate, quas petebant; non sibi satisfactum esse demonstrabant.

15. Intercedente inter gallum et anglum reges bello, Cardona militibus Vicetiam munivit, quo eius urbis possessionem retineret. Novoque facto foedere a Pontifice, Catholico, et Caesare, Veneti ratum habere illud noluerunt. Quapropter a Columna et Silvio Savello, aut proeliis aut agrorum vastationibus multas clades acceperunt, licet eos duces male accepisset Rentius de Cero, qui e Crema eruptione facta maximam virtutem in hostes ostentavit. Ad Forum Iulii, multis emergentibus dissidiis, adventu Germanorum, Cardona Alarconem misit, cui cum in itinere renunciatum esset de icto foedere, castra repetiit. Facta pace inter Gallum et Anglum, deminui videbantur Hispanorum vires, et magna ex parte Cardonae exercitum debilitari; quem ut prorsus perfringerent, ac Neapolim proficisci cogerent, Veneti maximam classem exaedificandam curarunt, cui praefectus Andreas Grittus Apuliam invasurus, omnes hispanas copias illuc pertraheret. Sed tamen in ea comparanda classe operam Veneti lusisse videntur; quandoquidem nescio quo casu altum de illo negotio silentium est consecutum. Ea ob causam Germani, qui Veronae commorabantur, Hispanos in agrum patavinum impulerunt, ut ibi frumenta succiderent; quod cum

nequicquam tentassent, Hispani ad Civitatulam obsidendam tota nocte continenter ierunt, subitoque circumsessam, prima luce vi ceperunt. Albianus acie in planiciem explicata, proeliandi Cardonae potestatem fecit; qui cum se inferiorem intelligeret, proelio abstinuit, et in Rhodiginam peninsulam se recepit; atque ansam Albiano obtulit, ut contempto hoste, multas excursiones ad Veronae usque portas faceret. Quare Cardona veritus ne quid ea urbs detrimenti pateretur, cum omnibus copiis eo accurrit; ceterique Hispani qui Bergomi erant, quos Veneti invaserant, fugam arripuerunt. Extemplo Cardona et Columna in oppidum s. Catharinae irruerunt, electoque Rentio, qui par resistendo non erat, loco potiti sunt. Dum haec fierent Cremae et Bergomi, Albianus circumsidere Rhodigium statuit, factoque super Athesim ponte, in ea parte quae ad Amnilaram vergit, occupata porta a militibus quos vestitu rusticano indutos praemiserat, urbe potitus est, Hispanosque captivos duxit; quae res effecit, ut qui in munitiora provinciae loca se receperant, Ferrariam ferint. Sed multorum mensium factis indueiis cum Venetis, Cardona et Columna Oenipontem in Germaniam ad Imperatorem profecti sunt, de belli negotio acturi.

16. Post eorum e Germania reditum, accepti sunt nuncii Gallos in Italiam adventare, et Palissa celerius opinione Columnam in portu Herculis aggressus, cum pluribus insignibus viris cepit. Tunc Laurentius Mediceus Cardonae suspectus redditus est, qui ex eius litteris interceptis multa cognovit, quae in eius mentem cadere non poterant. Interim vero expectanti quo res mediolanensis tenderet, multa se obtulerunt, quibus coactus est, ut relicto M. Antonio Columna ad Veronae praesidium, Placentiam cum expedito milite, paratoque ponte se conferret; ubi cum Laurentio in colloquium venit. Indeque discessit, Albiano petente, Cremam, ut Hispanos retardaret, Gallisque opem ferret. Sed orta inter ipsum, et Rentium discordia, anxius atque anceps, hic missionem a Venetis petiit, et ad Pontificis stipendia se contulit. Ea tempestate Cardinalis Sedunensis cum Helvetiis a Cardona petierunt, ut cum suis copiis Mediolanum properaret, ante quam Gallus eo accederet.

Qui inito consilio cum Laurentio deliberarunt, an simul Padum traiicerent, seque cum Helvetiis coniungerent; illudque demum decreverunt, ut munitis Parma et Placentia flumen transmitterent. Quod vero Laurentius arbitrabatur Cardonam nolle exercitum fortunae committere; Cardona item compertum habebat Pontificem nolle, ut Laurentius exercitum ulterius duceret; cum iam traiicere incepissent, et nox supervenisset, nuncio accepto quod Gallorum manus intra Laudem Pompeiam fuisset admissa, in castra rediere. Ab Helvetiis Mediolanum petentibus acerrime cum Gallis pugnatum est. Ludovicus Mediolanum retinuit. Helvetii pedem retulerunt. Cardona multos dies in castris fuit. Deficiente pecunia, quam mutuam a Laurentio acceperat, Neapolim rediit; quod ab eo libentius factum est, nam inter Pontificem et Gallos iam foedus intercesserat. Cumque Hispanos qui in Sicilia fuerant, continere non potuisset, quominus Pontificis ditionem molestia afficerent, fato demum supremo functus est.

17. Provide in re publica administranda se gessit, multaque statuit quae magistratibus, aut foro, aut regis aerario prodessent. Itaque sancivit, ne syndicis ab universitatibus creatis, ipsae universitates mercedem solverent; quod munus in officiales competentes reiecit. 2. Ut magistratus parerent syndicis; atque ut ex officio hi possent cognoscere. 3. Ut milites, dum militiae addicti sunt, alia officia nequeant exercere. 4. Ut magistratus, durante munere, donis accipiendis abstineant. 5. Poenam graviorum delictorum non esse commutandam. 6. Servanda regni capitula; qua re nihil utilius regno neapolitano accideret, si ea in suo robore permaneret. 7. Receptores delinquentium puniendos. 8. Praesides provinciarum triennio, auditores biennio muneribus suis fungantur 9. Officiales annuam tantum potestatem habeant. 10. Ab habentibus potestatem substituendi, idoneos esse substituendos. 11. Causarum patrocinium regiis magistratibus vetandum, iisdemque ex regio aerario mercedem solvendam. 12. Testium examen coram iudice rite faciendum. 13. Die Iovis querelas audiendas in sacro consilio; die vero Saturni quo ad proregem itur, ne iudicibus negotia careant, nunquam Vicariam aliquo saltem

iudice carituram. 14. Accusationes in libro annotandas, easque singulis diebus iudici aut procuratori rerum capitalium significandas. 15. Iubente perceptore, damnatorum nomina singillatim notanda. 16. Suo loco libros obligationum, praeterquam ab actuariis, non esse amovendos; et in eosdem scribarum culpam esse reiiciendam, si quid pravi in libris commissum apparuerit. 17. Nihil ultra debitum esse exigendum. 18. Proventuum syngrapham a perceptore quaestori illico dandam. Multa praeterea constituit, quae optimi principis administrationem hoc etiam tempore commendant.

PETRUS GIRONUS SENIOR

OSSUNENSIUM DUX.

1. Petrus Gironus nobilissimo genere, animi praestantia inter omnes hispanos proceres clarus, praefecturam neapolitanam obtinuit ab omnibus exoptatus. Illam tamen, praeter eius opinionem, administrationis felicitatem in omnibus iis quae ad rem publicam gerendam spectare videbantur, multae procellae, difficilesque et rerum et animorum aestus perturbarunt. Nondum ex Hispania discesserat, cum Algerinae urbis gubernatoris minas extimescens, qui dictitabat in mediis undis se eum invasurum, duodecim neapolitanas triremes accersivit, quae sibi praesidio forent; quibuscum ex Hispania solvens, Genuam appulit, ibique multis diebus apud Ioh. Andream Auriam commoratus est; atque inde, eo quoque cum suis triremibus comitante, Neapolim adnavigavit, capto in itinere Turcarum myoparone, qui nolens in eos incidit. Turbarum occasionem primo ingressu Neapolitanis dedit, a quibus pecuniam, quae petenda ac deprecanda fuerat, per vim exposcebat, ut regis aerario paene exhausto adiumento esset. Civitatem hoc pacto indigentem exhaurire, laborantem affligere, iacentem proruere, tum praecipue cum vim subesse animadverterent, omnes ad arma commovere videbatur. Quamobrem cuncti cives audaces in eum voces mittere: auferendae pe-

cuniae ipsi potestatem factam, se vero eandem conflare haud posse. Exangue esse rei publicae corpus; sinat ut tandem aliquando respiret; tunc regis auctoritatem stare, cum res publica staret; ne superiorum temporum exemplo ducatur, quibus ubere rerum copia cuncta licuisset suo regi suppeditare. Quare ne in seditionem verterentur, silentio indicto compescuit.

2. De vectigali vinario imponendo actum est, hortante Caesare Davalo, et rectore Salalario: omnes enim contrahendae pecuniae vias pervestigabat; habuissetque centuriarum nobilium decuriones adiutores, nisi capuana centuria, et populares enixe obstitissent; in primis vero Lopez (quem Lupum dicebant) ex Capuccinorum familia, concionator insignis, qui de suggestu quotidianis orationibus clamitabat ne rem publicam hisce oneribus everterent; neve paterentur de suis fortunis deturbari. Cui ea dicenti imperatum est, ut Neapoli discederet. Tandem vero conventus frequens pecuniam regi obtulit, quam binis quibusque annis donare consueverant. Doluit Gironus Neapolitanis suas res curae esse, nihil vero necessitatibus provinciarum permoveri. Multa accesserunt quae ad gloriam administrationis vergebant. Ipso hortante Neapolitani conspicuam aedem divo Ianuario ad Phlegram aedificarunt, eo ipso loco quo Diocletiani praefectus Eutychetem et Acutium puteolanos, Sorsium misenatem, Desiderium et Festum beneventanos, aliosque martyres obtruncaverat, qui cum Ianuario triumphaverunt; cum antea in theatro puteolano feris nequicquam fuissent obiecti. Capuccinorum familiam in coenobio collocarunt, a Puteolanis agro coëmpto. Atque admiratione dignus locus est, qui non modo in mediis Phlegrae ignibus atque sulphure amoenissimos hortos, et suavissimos fructus enutrit; sed etiam quotidianos terrae motus, quibus tota regio molestissime vexabatur, sancti martyris precibus et patrocinio, caelestis beneficii munere avertit. Neapoli amplissimas aedes Salernitanorum principis, Sanseverinorum illustre monumentum, in nobilissimum templum Iesu Christo dicatum commutarunt. Primum lapidem Gironus in fundamenta iecit, qui aeternum inter eius praeclara gesta censebitur. Eadem tempestate qua Nolae in Campania cathedralis ecclesia repente corruerat, templum Nea-

poli divo Paulo apostolo, antiquis vero Castori et Polluci dicatum, hortante Girono, Theatini sacerdotes restaurandum curarunt. Eiusque principis religioni accessio facta est, cum Francisci regis Bungi, Protasii regis Arimae, et Bartholomaei Omurae principis oratores ex insulis Iaponicis ad Gregorium XIII. missos (1), tanta cum laetitia excepit, quantam deberi arbitrabatur negotio, in quo agebatur de propaganda christianae religionis gloria, cuius in sua praefectura participem se esse ad omnium proregum invidiam intellexit.

3. Hilaritatem perturbatio rerum cum moerore miscuit. A Ferdinando Loffredo comes Montorii occisus est, in quo Pauli III. pontificis genus desiit. Stilus novae arcis, in quo regis insignia explicantur, et divae Annuntiatae turris sacra, de de caelo tacti sunt. Ad Sellariam, vicus pulvere pyrio arsit. Plerisque ex magistratibus indictum est ne officium exercerent, aliis ut magistratu se abdicarent iubente rege, audito Lopez Guzmano visitatore. Antonius Orificius consilii praeses per quatuor annos abstinuit foro; in pristinam postea dignitatem restitutus est. Daroca et Salazarius rectores officio privati. Multi vero pecunia multati sunt; quae Gironus aegerrime exequutus est. N. e Tocco Montis Miletti comitem, cui edixerat ut domi se contineret, temere praetoris edictum contemnentem, et coram ipso ambulare audentem, vinctum ferreis catenis e palatio ad Vicariae carceres misit, quae res in nobilium invidiam eum deduxit, auctam quoque simultatibus quae intercesserunt cum comite Haro, Gironis genero. Huius pater dux Frias, magnus in Hispania comes stabuli, obierat, relicto Haro et fortunarum et titulorum herede; quapropter excellentiae titulum sibi deberi aiebat. Renuebant Caesar Davalus Sulmonis princeps, itemque Lauri marchio, atque ita, ut eius rei causa, non modo ad palatium non eundum statuerint, sed uxoribus quoque mandaverint ne eo accederent, ne cum proregis uxore loquentes praesentem generum, eo titulo honestarent. Qua re cognita Harus, ut illatam sibi iniuriam vindicaret, in quodam ludicro, scamna pro sellis, nobilibus parari iussit. Davalus qui plane omnia perceperat, verbis primum eum lacessivit, deinde ad

(1) Anno ·M·D·LXXXV· ut legitur in annalibus Gregorii XIII, lateque narratur in historiis Societatis Iesu.

singulare certamen provocavit, eo pacto omnium nobilium neapolitanorum dignitatem tuendam ratus. Pace vero facta, nunquam odium extinctum est. Eandem ob causam, Romam ad Pontificem profectus, cum Petro de Toleto contendit. Is enim qui ad Ostiam cum triremibus eum expectabat, litteris utrinque absque excellentiae titulo obsignatis, discessit; ipseque pedestre iter confecit. Quae omnia, infaustum omen et calamitatem rei publicae, quae subsequuta est, portendere videbantur.

4. Rem narro, qua post hominum memoriam, nulla memorabilior, nulla infelicior Neapolitanis, nulla turbulentior proregibus contigit. Negotio adfui atque interfui, gestaque et verba ipsa huiusmodi notavi, ut nihil a vero alienum sim dicturus. Iohannes Vincentius Staracius Surrento originem ducebat, Neapoli tamen ortus inter eos populares, qui cultu atque humanitate, tum etiam divitiis pollent: quare eius vivendi ratio, haud longius a nobilium vita aberat, omnibus abundans commodis, quae familias reddunt illustriores. Quamobrem familiam Afflictam ex Nili centuria in suam cooptavit, data in matrimonium Martio filio suo Mazzai Afflicti nobilissimi viri filia. Quod vero urbanus decurionatus aliquid splendoris etiam domui afferre existimabat, tanto studio illum prosequutus est, ut in perpetuum fere illi oneri se addixerit: qua de causa cum Iohanne Vincentio Cagiano ita sibi rem publicam divisere, ut alter in alterum divae Annunciatae praefecturam, qui summus honor apud Neapolitanos est, et decurionatus magistratum conferrent: quod alii cives aegerrime ferebant; qui in duobus tantum hominibus cumulari publicos honores videbant. Sub Petro igitur Girono ductus popularis huius dignitatis ambitu, quemque ex capitaneis prensando, fuco potius quam communi omnium consensu (quod omnibus electis evenire non ignoramus) publicis comitiis inter competitores decurio renunciatus est: qua inani gloria omnia sibi turbulentissima comparavit. Laborabat in Hispania Aragoniae regnum frumenti penuria, cuius uberem copiam Neapolitani in horreis condiderant. Petrus advocatis decurionibus, quanta potuit verborum humilitate ab iis petiit, ut aliquo pacto Aragonensibus subsidio essent; paratas habere naves onerarias, quae frumentum comportarent:

a rege sibi datas esse litteras, cui nimis displicebat subditos fame necari: Neapolitanos, atque Hispanos uni regi esse subiectos: ne socios desererent, quos vicissim in ipsorum necessitatibus adiumento quoque futuros, pro comperto haberent.

5. Decuriones ea de re acturi in tribunal s. Laurentii venerunt; quae enim ad rem publicam pertinent, irrita habentur, nisi eo in loco decreta fuerint. Qui locus licet ignobilis, utpote qui in sacra turri a Carolo II. rege constitutus sit, prout eius aetatis ferebat fortuna, tamen, etiamsi nobilissimae aedes comparandae pro neapolitanae urbis dignitate viderentur, alio se transducere semper recusarunt, tum antiquitatis causa, tum regiae maiestatis reverentia. Eo ubi ventum est, facta animorum divisione, discordia exarsit. Aderant, qui ut proregi morem gererent, suis quoque fortunis spoliari passi essent. At ii qui rei publicae utilitati studentes, patricios se nominari gloriantur, mori potius quam proregum monitis obsequi, pertinaciter apud se decreverunt. Ili dicebant, nullo pacto pro aliorum commodis debere horrea exhauriri. Esse in ea civitate, in qua vel si hora intercedente, annona defuerit, omnia perditum iri: satis sibi compertum, a prorege illud expeti, non a rege, cuius mandato si id faciendum foret, ab ipso quoque litteras expectarent. Alii vero, quamvis proregis humanitati confiderent, qua nimirum princeps ille cunctis antecelluit, verebantur tamen ne ad iracundiam negando provocarent. Fuere qui dicerent, etiamsi constantia intercessionis oritura esset seditio, omnino esse denegandum, ne fame aliquando urbem urgente, ipsi improbitatis atque socordiae crimen incurrerent: facile ad Neapolitanos quoque famem esse venturam, quae haud procul aberat. Quamobrem rei publicae consulant; si enim in necessitates inciderint, nullos fore adiutores scirent. Quid si cum velint, fortasse non possint? Multa polliceri indigentes; temporis enim ratio sic postulat; raro tamem evenisse, ut hi suam operam adiutoribus praestiterint. Prorex interim exagitabatur navium expectatione, amicorum necessitate, qui crebris nuntiis eum exorabant. Cum Hieronymo etiam Cimino neapolitano mercatore egit; a quo cum tantum frumenti consequi non valeret, quantum vel-

let, ad decuriones iterum confugit, a quibus tandem impetravit ut frumento naves onerarent.

6. Haud multo post fames Neapolim invasit, principi molestiarum molem allatura. Annonae defectus ad panis pondus minuendum eum impellebat. Accivit decuriones. Huic malo, hanc esse afferendam medicinam dixit. Quisque decurio suis centuriis id renunciavit. Alter alteri frumenti extractionem obiiciebat; gestire quodammodo videbantur qui contradixerant. Sera ceteros cepit paenitentia. In re ancipiti, et in qua plurimum difficultatis esse cognoscebant, obiectum Staracium veluti clypeum ad proregem miserunt. Turbarum plenus popularis magistratus est; in eius enim praesidem veluti in publicum scopum, si adversa fortuna ingruat, omnes sagittae contorquentur. Nec in re dubia nobiles dubitant, omnem suam auctoritatem in unum popularem magistratum conferre. Adivit proregem Staracius, multisque sermonibus habitis, quod rem difficultatis et molestiae plenam proponere diceret, eo praesertim tempore, quo communi consensu clamabant, ipsum famis causam extitisse videri; quandoque etiam vi frumentum ablatum palam dicebant; proregis esse prudentiae, et cumulatae virtutis prospicere, ne audaces rei publicae eversores fierent. Cum ceteris quoque decurionibus id communicaret, ne in popularem tantum magistratum invidia concitetur. Commendavit Gironus consilium, sed praeceps in contrarium ruit. Hoc se ab eo petere aiebat, ut ipse solus eam rem pertractaret; nolle cum tot sententiarum capitibus rem habere. Unum pro omnibus magistrum popularem satis esse, qui quod regis nomine populum gubernaret, ea esset facturus, quae pro regia dignitate in servandis suis civibus utilia existimaret, cum praesertim et ipsos nobiles adiumento in re tam seria futuros sibi persuaderet.

7. Staracius se ad omnia descensurum dixit, velle tamen aliorum animos tentare, et compescere, omnique ratione allicere. At quoniam difficillimam provinciam se subiisse intellexit, omniumque animos ad ipsius necem fore proclives, si eadem proponere ausus fuisset; ad proregem reversus est; quae gesta fuerint narravit. Qui lenitate conversa in superbiam; age-

sis, ait, propera ad tuos, atque id me prorsus velle dicas. Quibus verbis perterrefactus Staracius e palatio egressus, ad aedes Bovini ducis, Hieronymum Mormilem collegam expectantem reperit. Cui interroganti, quid novi esset? respondit: quisque saluti suae consulat, mi Hieronyme; sic velle, sic iubere, prorex dixit. Quid facto opus est? Quisque effugiat, aut in latebras se abdat. Iratior est. Mormilis Aversam profectus, metu perculsus neminem ex suis alloquutus est. Iohannem Duram eadem molientem ad portus sedile reperi. Ceteri, hoc nuntio accepto, idem consilium ceperunt; iam inde enim minitabundam plebem audiebant, quod frumentum extrahi tulissent. Ne panem minui patiantur; alioqui in ferrum et flammam se ituros. At quoniam nobiles sese e civitate subduxerant, omnes minas, omnemque furorem in Staracium congresserunt, quem unum plebs ignara auctorem et actorem rerum sibi proponebat. Adire eum, sciscitari, minari. Is vero turbulentissimo eo populari motu advocatis capitaneis, qui una cum decurione ab eodem prorege ad administrationem eliguntur, haec verba fecit: vos habeo in administrando socios, collegas, consultores. In re dubia et periculosa versamur. Mandat prorex, iubetque ne fames increbrescat, ut de panis pondere deminutio fiat. Arduum sane negotium. Vereor ne res antea plebis rumoribus exagitata, ferox eorum ingenium permoveat; danda opera est, ne quid res publica detrimenti capiat. Pro virili conatus sum proregem ab ea sententia revocare. Ipse tamen renuit; nec tanti principis voluntati obsistere audeo. A nobilium decurionibus destituti sumus; nostris humeris hoc imposuerunt onus. Hoc nobis in primis faciendum arbitror, ut quisque vestrum adscitis tribus quatuorve civibus, ad proregem supplex confugiat; quisque clamet, obsecret; pectus quod obduruit, lacrimis fortasse emollire poterimus. Mane ad divae Mariae novae (Franciscanorum coenobium est) conveniamus.

8. Eo consilio Staracius infelix necem sibi paravit. An ignorabat populi furorem non esse concitandum? Aquarum divortia vires amittere, quae si in fluminis alveum undique se contulerint, eruptione facta, turres, arbores, agros labefactu-

rae sunt? Quos ablegare debuerat, ad suam perniciem in unum contraxit. Convenerunt mane. Nec tres aut quatuor cives quisque ex capitaneis habebat, sed effusam perditorum hominum multitudinem, quae furens, ebria animis, verbis insultans Staracio, bene bene, aiebat (eadem verba refero) latronum maxime, patriae proditor. Quid ad divae Mariae novae nos expectas? Sic nos illudis? Sic cum prorege deliberasti? Non hic locus nostris comitiis constitutus est. Eia eamus ad divi Augustini; eum locum conventibus peragendis sollemnem accepimus. Hinc seditiosorum querelae, sibili, sputa, conciliabula, sermones efferati, ut in urbe Babele omnium malorum et confusionum turrim exaedificare viderentur. At ille, repentina hac adversa fortuna, squalidus, exsanguis et exanimatus, tremore et metu horrendo perculsus, loqui nitebantur, haerebat vox faucibus: quid mali admisi, fratres concives mei? quae in me culpa inest? Pro vestra dignitate tuenda haec patior; proregem vestra causa mihi inimicum reddidi. Quid tantum in me contumeliarum? Siccine in vestrum patrem et fautorem immerito animadvertitis? Panis vobis dabitur ponderosior. Mea bona vestra sunt, diripite, habetote. Ergone quos amantissimos semper habui, sic impios hodie experior? Illi contra: tua bona nostra sunt? tu nobis hirudo sanguinem exsuxisti. Quid verbis opus est? occidite, obtruncate, strangulate. Factaque est flamma ardentior cum Stephanus, unus ex eius apparitoribus, afer genere, cui semper Staracius summa fide habita, plurimam auctoritatem contulerat, clamavit: quid a meo domino expetitis, perfidi gentium? Hac vestra pertinacia panem terreum comedetis. Exarsere his dictis animi, atque impetu undique facto manus in Staracium iniecturi velut ferae convolitarunt. Quem irarum furorem plerique probi viri avertere conati, cum non patuisset aditus ad coenobii claustrum, verebantur enim fratres, ne irruptione facta a plebe, cuncta everterentur, sellam qua gestabatur ob podagrae molestiam, aversa fronte sustulerunt, atque ad divi Augustini itum est. Percrebuit tota civitate rumor. Concurritur undique.

9. Factus vulgi numerus auctior, tabernae occlusae. Quisque

arma corripuerat: namque in itinere tabernam spoliarunt, in qua venalia arma erant: imperium videbatur a prorege et ab optimatibus ad plebeculam devenisse; penes quamlibet conspiratam turbam, potestatem esse faciendi quicquid voluissent, petulantissimi homines sibi persuaserant. Alter alterum hortari ad facinus, in vetitum ruere, clamitare, bacchari, ad parricidium festinare. Nobilibus timor iniectus, prorex conflictatus difficultatibus ingruentibus et ingenti seditione, multas et varias cogitationes agitabat: facti novitas insperata perterruerat. Augebatur sensim vociferantium numerus, dum ad divi Augustini Staracius perductus est. Prorex Veglium misit rerum criminalium iudicem, qui exploraret, provideret atque auctoritate compesceret. Is vero quamvis iudicium in ea re summum haberet, tamen quod portenta et prodigia nunciari, ubique locorum conventus fieri, quemque armatum insultare, et tumultus principes in ipsum quoque saevituros intelligeret, concitato equo vix effugit. Productus in coenobii claustrum est Staracius. In eum locum ubi fratres ad legendum ac disceptandum conveniunt, pugnis calcibusque impulsus est. Effusa ibi multitudo exundans se ipsam opprimebat; nulli vero deliberandi cura erat; ad caedem modo aspirabant. Molesta erat infelici seditio, quae omnium animos ab ipso abalienaverat. Molesta amicorum quoque defectio. Deseri se a clientibus videbat, eosdemque communi consensu parricidis se adiungere. Nullam apud se consilii rationem inire poterat; quare adorabundus ante plebem procubuit; sacerdotem effligitavit, cui peccata saltem confiteretur, ne paterentur innoxium hominem sic impie occumbere. Et quod aderant quibus popularі imperio multas ignominias intulerat; aut enim carceribus, aut flagris, aut pecunia plerosque multaverat; peiori barbarie quam scythica aut maledictis increpabant, aut imperia eius iniusta, crudelia, superba, accusantes, infesto omnibus homini et patriae inimico, nihil praeter violentam mortem concedendam esse clamabant.

10. Inerat aliquorum pectoribus misericordia, qui innocentis vicem dolebant, atque credebant opportunum fore, si eum in quandam fossam detruderent: et revoluto lapide, cum iam in

Illam cum immitterent, plaga una extrema accessit quae spiritum exhausit: latere nebulo frontem percussit, omnesque clamarunt iam occisum. Quum eo vulnere percussum semineeem mortuorum cadavera exceperunt: illuc omnes penetrandum dixerunt: nulla descendendi mora facta est: veluti rapacissimae ferae se in fossam immittunt: semivivum necant ; restem campanae recisam, collo involvunt, atque ex fossa cadaver eiiciunt, mucronibus, lapidibus petunt, vestibus exuunt, raptandumque per urbem decernunt; idem velle, idem nolle, maximum et pulcherrimum facinus autumant, ut rem inceptam perficiant : hanc vitae conditionem optimam arbitrabantur, ut se ipsos vindicarent in libertatem: et iam inde incompositis atque inconditis vocibus, imposito sibi pileo quasi symbolo illo libertatis, quo conIurati usi sunt in caede Caesaris dictatoris, coeperunt clamare: "vivat rex, pereant mali administratores,,! Atque extemplo inde excedentes indignis modis raptatum corpus omnibus compitis atque urbis vicis ovantes ostentarunt. Infeliciorem Staraeium dixerim Hectore, quem circum moenia raptandum Achilles iusserat; utpote a facinorosissimis sicariis, laniis, servis oppressum. Manus quisque ferro, lapide, contisque cruentavit. Functi scelere, virtutem se exercere arbitrabantur, si luce palam, in hominum conspectu, frequentissimo populo, iniustissima in causa, coram iustissimo principe, a nefariis pestibus occisus derideretur, discerperetur, et immane tantum auderent, ut ex eius busto nihil reliqui sepulturae relinquerent. Atrox hic dilapsa membra pedibus atterere ; ferus ille cerebrum exsecto cranio per aërem spargere; hinc videre erat qui praecordiis more ferarum dentes infigeret; hinc qui cruorem exsugeret, sitim suae crudelitatis sedaturus. Princeps vero cum lacrimis prospectabat invitus, quem minitabundi compulere, ut ipse quoque diceret "vivat rex!,, Et usque adeo in discrimine versatus est, quoad rescitum fuerit, eos in Staraeium tantum desaevisse.

11. Cum acerbissimi sceleris infamia in intimum eius animum penetrasset, militibus qui ad custodiam corporis in palatii arce disposita acie contra balatrones illos atque carnifices arma sumpserant, imperavit, ut se in suo vallo continerent, atque silentes transitum efferatae genti permitterent. In ea re pleriquo

principis socordiam improbarunt, qui eo tempore impunitatem sceleris permiserit, quo infimum hominum genus non tam de Staracio male mereri, quam regis dignitatem contemnere, et eius auctoritatem tam impudenter perfringere conabatur. Multi vero, quibus sollers erat ingenium, ad ea praevidenda quae turbulentissimis eiusmodi eventibus, inconsultae atque insanae plebis furore, rem publicam prorsus labefactare potuissent, optimo consilio factum a prudentissimo principe dicebant, ut unius potius necem ferret, quam totius urbis excidium provocaret; cum praesertim ipse, qui necis et vitae potestatem haberet, parricidarum scelus non esset diuturna impunitate laturus; sciebatque eorum sanguinem exquiri ad restinguendam invidiam facinoris. Nobiles ad eum omnes se contulere, operam atque auxilium praestituri; quam animorum concordiam et promptitudinem vehementer commendavit. Cum vero Iohannem Antonium Lunarium prorectorem consulerent, virum apprime doctum, et in eiusmodi rebus summo consilio versatum, an essent obviam prodituri, ut ingnavo vulgo occurrerent, et indomitam plebem frenarent; facile enim eandem perterreri posse aiebant; respondit, aquam in tam gravi negotio sibi haerere; tandem vero eorum consilium non probare; caverent, ne eorum conspectu acerbiores animi in peius ruerent. Quod cum aliqui tentassent, et bonis atque humilibus verbis furorem compescere conati essent, periculo plenam repulsam tulere. Quamobrem incertum erat, quid loqui, quid sentire, quid cogitare, quid decernere oporteret.

12. Extemplo, sine ulla publica auctoritate, concessa in omnium fortunas licentia videbatur, quae vastitatem esset effectura. Tabernae clausae; iustitium in foro sua sponte coeptum prius quam indictum, a bonis trepidabatur, malis protervia facta fuit effusior, nullus erat principis timor. Undique distracto dissipatoque cadavere, obliterato etiam in eo corpore Staracii nomine, in ipsius quoque domum impetum fecerant impune. Diripuere, corrupere, exhausere tanta cum libertate, ut humeris sublatam supellectilem auferrent, atque parietes ipsos exportarent. Iacebat in lecto infelix Hecuba uxor annis et aegritudine obsita. Prospectabat domus excidium Martius

illius; quid rerum esset ignorabat, ad instar hominis fulmine perculsi, sensum, mentemque amiserat. Sunt qui asserant, cuncta ab uxore in somnis fuisse praevisa, ipsumque monitum, atque amicis a Staracio dictum: uxor noctu me raptari per urbem vidit; an insignem aliquem latronem me existimem, qui hac poena plectar? Ego vero, ut ornatus gratia, ea dicta putem, efficiunt vulgi rumores, qui eiusmodi percrebrescere consueverunt. Prorex per exploratores cuncta notabat. Eorum qui adfuerant nomina rescivit. Frontem feriens, occasionem expectabat, qua perditos homines erudiret, quantum intersit principis iram ipsorummet malo alere, ignavos animos dare praecipites, et in bene merentem civem absque ratione exardescere. Haud multo post, cum iam omnia composita existimarentur, subito per noctis silentium, in multos manus iniecit, et omnes carceres, castrumque novo occisoribus opplevit, Hieronymo Ulcignano indicante, qui post damnatos in Belgis Hornium et Aeghemontium (1) comites, in consiliariorum numerum Neapoli adscitus fuerat, et hos quidem strangulavit, illos vero raptavit, multis sacrilegas manus abscidit, multos ad remigium damnavit; atque ut exsatiata vindicta esset insignior, deturbata domo Iohannis Leonardi pisani ad Sellariam, ubi eius facinoris patrandi inita fuisse consilia intellexerat, constitutum lapideum armarium, damnatorum capitibus ornavit, apposito epigrammate.

"Domino Petro Girono Ossunae duce, inclyto prorege Neap. ,, ita iubente, Iohanni Leonardo pisano, ob seditionem sua ,, opera conflatam, atque homicidii depraedataeque domus Vin- ,, centii Staracis populi decurionis auctori, domus disturbata, ,, area publicata, reorum pleraque hoc saxo infixa capita, ip- ,, seque in hostium patriae relatus album, anno ·M·D·LXXXV· Quam vero poenam huic reservasset, nisi in pedes se dedisset? Melitam confugit mutato habitu, ibique decessit. Eius facti innocens habitus est, licet in eius officina (erat enim aromatarius) multos cives convenisse dicebant, qui varios de

(1) Miserandum hoc principum virorum supplicium narrat breviter Gratianus in hoc volumine epist. VII. 3; latius autem et lugubrius in opere inscripto de scriptis invita Minerva lib. XIV.

ONUPHRII PANVINII VERONENSIS

FRATRIS EREMITAE AUGUSTINIANI

IN CENTUM LIBROS ANTIQUITATUM ROMANARUM

PRAEFATIO.

Multos tam nostra et avorum, quam prisca aetate fuisse constat, qui urbis Romae situm, aedificia, imaginem, populique romani res domi forisque praeclare gestas, publica, privata, sacra, profana instituta, tam in urbe, quam extra, celebrata litteris prodiderunt. Quorum scripta quum ego partim vetustate, vel consumpta vel deformata, partim non omnino perfecta, nec satis diligenter confecta, partim multis et longis voluminibus distracta animadvertissem, in eam opinionem veni, ut haec ipsa, et maiorem lucem desiderare, et certiorem, accuratiorem, perpetuumque ordinem recipere posse existimarem, ut omnia uno corpore comprehensa, huius argumenti iam in immensum excrescentem copiam clauderent et continerent. Duo haec in omnibus libris admodum necessaria, quinque hisce nostris commentariorum tomis, me afferre posse non diffidebam. Quorum antequam rationem reddam, cunctos et veteres et recentiores scriptores enumerare constitui, quos integrae urbis, vel eiusdem partium descriptionem litteris persecutos fuisse didicerim. His ego omnes nostrorum temporum doctos viros adiungam, qui res romanas perite accurateque tractarunt.

Vetustissimus igitur omnium (ut VI. libro de civitate Dei cap. III. tradit divus Augustinus) est M. Varro, qui Caesaris dictatoris aetate vixit. Is antiquitatum romanarum libros unum et quadraginta scripsit; quinque et viginti rerum humanarum, sexdecim posteriores rerum divinarum. Prius humana tractavit, et postea divina, quod prius extiterint civitates deinde ab eis haec instituta sunt sacra. Eam vero in ea partitione rationem est secutus, ut rerum humanarum libros senos quattuor daret partibus. Intendit enim loqui de iis qui agunt, hominibus scilicet; ubi agunt, idest in locis; quando agant, scilicet de tempore; quid agant, idest de rebus. Sex itaque primos de hominibus scripsit, sex secundos de locis; iis omnia urbis, et orbis terrarum loca explicasse mihi persuadeo: sex tertios de temporibus, totidem eosdemque postremos de rebus absolvit. Unum vero singularem, qui omnia in communi comprehenderet, in capite operis locavit. In divinis etiam rebus eandem divisionis formam, quantum attinet ad ea, quae Diis exhibentur, libris XV. servavit. Ab hominibus enim, in locis et temporibus, sacra Diis praestantur. Horum quinque singula libris complexus est ternis. Nam tres priores de hominibus scripsit, de pontificibus scilicet,

de auguribus, de XV.viris sacris faciundis; sequentes tres de locis sacris, scilicet de sacellis, de sacris aedibus, de locis religiosis; tertios tres de temporibus, idest de diebus festis, de feriis, de ludis circensibus et de scenicis; quartos de sacris, scilicet de consecrationibus, de sacris publicis, et de sacris privatis. Sed quia expectabatur, quibus Diis haec sacra exhiberentur, tres quoque extremos libros de Diis conscripsit, primum de Diis certis, alterum de incertis, tertium de cunctis in genere, quibus Deos praecipuos atque selectos coniunxit. Hi omnino libri XV. sunt, quorum principio librum singularem addidit, qui de omnibus in communi loqueretur, atque ita unum et XL. rerum humanarum, divinarumque libros absolvit; quibus universam fere, quam prae manibus habeo tractationem persecutus est. Quum vero hi libri interciderint, hunc laborem, et vetusta haec, quae a recentioribus praeterita sunt, renovanda suscepi.

M. Cato. F. Pictor. C. Sempronius.

Circumferuntur fragmenta quaedam de origine urbis M. Catonis, Q. Fabii Pictoris, et C. Sempronii nomine, de quibus quamquam non immerito dubitari possit (posterioribus enim saeculis ex antiquis schedulis composita ab homine non omnino imperito videntur) multa tamen in iis vero consentanea, nec ab aliis auctoribus prodita reperiuntur. M. Catonis origines, Sempronii, Pictoris, Cincii, Valerii antiatis, Macri, Quadrigarii, Pisonis et aliorum de rebus romanis vetustissima commentaria, quae subinde Dionysius halicarnasseus in historia romana, et T. Livius citant, interciderunt. Nervae imperatoris tempore de aquaeductibus romanis duos libros accuratissime edidit Sex. Iulius Frontinus V. C, et ab eodem augusto aquarum curator creatus. Extat Aristidis smyrnaei rhetoris, qui sub Hadriano augusto vixit, de Romae laudibus oratio satis ieiuna. Brevi compendio, sed magno sensu, Aristidis contemporanei Athenaeus lib I. cap. XV, et Galenus commentario primo libri Hippocratis de articulis, urbis magnitudinem et maiestatem exponunt. Hique omnes carptim potius quam in universum tantam rem tractarunt, quum urbs florens et integra aeternum eo statu mansura existimaretur. Verum quum et lapides et metalla, quae omnium durissima sunt, quaeque vix hominum vis frangere potest (his enim praecipue urbis ornamenta constabant) consumi et confici a vetustate, et quicquid ex partibus aliquando coiit et concretum est, id easdem in partes aliquando dilabi ac dissipari necesse esse veteres illi animadvertissent, Severi imperatoris principatu, ut ex marmorea inscriptione liquet, lapideis tabulis accuratam totius urbis ichnographiam inciderunt, quae postico templi urbis Romae longo tempore affixa, cum imperii et urbis interitu, ignis vi conscissa corruit. Cuius infinita paene marmorea frustula, et aliquot tabulas triennio ante in campo, qui basilicae sanctorum Cosmae et Damiani adiacet (quam urbis templum fuisse praeter scriptorum auctoritatem, eo etiam testimonio confirmari potest) ruderibus alte egestis, casu aliquot fossores terrae viscera lucri caussa perscrutantes invenere. Ea fragmenta a Torquato comite, campi possessore, Alexan-

Sex. Frontinus. Aristides. Athenaeus. Galenus.

Urbis ichnographia et eius scriptores.

dro Cardinali Farnesio dono data, in eius aedibus me custode diligenter adservantur: quibus certe in mea hac urbis topographia mirum in modum sublevatus sum. Postea sub Valentiniani maioris imperio, quo urbs, hominum eius saeculi fatali ignavia et negligentia, pristinum splendorem amittere coeperat, eadem causa adducti fuere, qui ex instituto accuratam eius descriptionem vicatim propemodum facerent, ut quod edax tempus consumebat, ipsi litteris renovarent, quales fuerunt Sex. Rufus, et P. Aurelius Victor, quorum monumenta tenebris vetustatis erutа, primo hoc volumine extremo suggeram. Qui quanam ratione hoc argumentum tractarint, infra demonstrabo

Sex Rufus.
P. Victor.

Post eos neminem longissimo temporum intervallo fuisse cognovi, qui de urbe eodem vel diverso exemplo quicquam litteris traderet, quum non solum antiquitatis studium, sed omnes artes liberales optimasque scientias, quas nusquam magis, quam in Italia honor aluerat atque auxerat, ea aetas afflixerit, qua romani principes praecipua imperii sede Byzantium translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam ac devastandam reliquerunt. Quo tempore urbs non antiquum solum decus, sed etiam imperium ipsum prorsus amisit; quod felicissimis auspiciis ortum, laetissimis rerum successibus auctum, viris clarissimis et fortissimis instructum, quorum consiliis et virtute ad amplissimum in terris fastigium evectum fuerat, legibus et institutis publicis privatisque, atque in Deum summa pietate praestantissimum, concidit tamen et omnino eversum est; et quemadmodum id de toto terrarum orbe triumphos retulerat, sic nulla fere hodie in terris gens agat, aut egerit, quae non aut avitas iniurias, aut suas illi rependerit: ut demum mortales intelligant, nihil esse inconstantius, cladibus, ruinis, mutationibusque magis obnoxium, his ipsis rebus, quas tantopere tamquam aeternas miramur. Quare etiam illud factum est, brevissimo temporis intervallo, ut urbs ipsa veterem splendorem et faciem, deformis, misera, incondita et in parietinas, barbarorum inumanitate, hominum romanensium malitia, et temporum edacitate disiecta, omni ex parte amiserit. Quare quum quadringentis annis antea, quo tempore omnia iam obscurissima facta tenebris vetustatis oppressa erant, extitissent, qui veteres illius ruinas litteris illustrare voluissent, quae tum agnitionem sui omni ex parte perdiderant, in aniles fabulas et meras nugas inciderunt. Hi fuere Benedictus quidam, et Petrus Manlius vaticanae, ac Iohannes Maniacutius lateranensis basilicarum canonici, Benedictus alius pariter romanus, Cencius romanae sedis camerarius, qui postea romanus Pontifex creatus Honorii III. nomen assumpsit, Martinus polonus archiepiscopus cusentinus, et omnium postremus Iacobus Caietanus anagninus Cardinalis, Bonifacii VIII. papae fratris filius. A quorum scriptis libellus is, qui vulgo mirabilium urbis Romae nomine circumfertur, multis erroribus scatens, manavit.

At quoniam hi boni viri multa scripserunt, quae antiquis urbis aedificiis lucem afferunt, brevissme de his disseram. Benedictus ille sa-

Benedictus canonicus

cerdos basilicae sancti Petri, circa annum salutis ·M·C·XL· ad Guidonem Castellanum Internatem, presbyterum Cardinalem tituli sancti Marci, postea Caelestinum II. papam, virum, ut ea aetas ferebat, egregium, librum scripsit ritualem, quo multa vetera aedificia et eorum loca commemorat, et in eius fine brevem descriptionem antiquorum urbis aedificiorum adiunxit, in qua etsi saepe labitur, aliqua tamen non contemnenda affert. Post annos circiter XXV. sub Hadriano III. vixit Benedictus quidam alius, pariter romanus, qui librum edidit cum eiusmodi titulo «Excerpta politici de ordinibus romanis et dignitatibus urbis et sacri palatii» quo multa antiqua aedificia commemorat, et eorum situm veluti digito monstrat. Paulo post Alexandro III. pontifici maximo Iohannes Maniacutius de lateranensi, et Petrus Manlius de vaticana basilicis, quarum sacerdotes erant, libellos nuncuparunt, multa cognitione et rebus scitu dignis refertos. Manlii opusculum multis annis post Maphaeus Vegius laudensis eiusdem basilicae canonicus purgavit, multisque rebus cognitu dignis additis, librum suo nomine edidit, de rebus antiquis memorabilibus basilicae vaticanae: quod argumentum nos septem libris accurate tractavimus, quem quidem de lateranensi libris quattuor quinquennio ante fecimus. Cencius, qui postea Honorius III. fuit, Benedicti librum ritualem ex of[illegible]o aug[illegible]s, antiquorum quoque aedificiorum memoriam in suo codice renovavit. A quo Martinus polonus episcopus cusentinus multa excipiens, circa annum Christi ·M·CC·LX· eius libelli auctor fuit, qui varabilium rerum urbis dicitur. Iacobus Caietanus opusculum de institutione anni iubilaei (is fuit ·M·CCC·) scriptum reliquit, quo nonnihil res antiquas attingit. Ceterum quinquagesimo post anno Franciscus Petrarcha paulo certe meliori fato in epistolis suis urbis ruinas deploravit, potius quam descripsit; acris enim vehementisque ingenii vir, rei difficultatem primo statim in limine haerens cognovit; quare mirari coepit, quae se ignorare intelligebat. Eius praeclarissimum carmen fuisse ferunt· Quantaque Roma fuit, ipsa ruina docet.

Benedictus presb.

Io. Manacutius.
P. Manlius.

Maph. Vegius.

Auctor.

Cencius camerarius.

Martinus polonus.

Iacobus Caietanus.

Fr. Petrarchas.

Non longo tempore post, quum latinae graecaeque linguae purior sincerior que usus, quem perpetuae multorum annorum tenebrae, quasi nox quaedam obscuraverant prorsus atque extinxerant, artesque ingenuae iacentes, barbarie pulsa, renovari et recreari coepissent, antiquitatis quoque studium paulatim excitatum est. Quare centesimo et trigesimo anno ante, primus omnium ex recentioribus Blondus Flavius forolivіensis, urbis descriptionem ex instituto facere aggressus est. Qua in re id omnino fecit, quod in tanta rerum obscuritate praestare potuit is, qui primus eam provinciam suscepisset. Ut enim nullam artem eodem tempore et inventam simul esse et absolutam constat (nam omnes humili tenuique ab initio profectae, paulatim quasi per gradus ascendentes, ad id, quod summum videtur esse, perveniunt) ita hoc et in litteris accidit, maximeque quibusdam in rebus, quae eiusmodi sunt, ut semel atque iterum descriptae et auctae, locupletari tamen atque ornari deinde possint. Quo ex genere antiquitatis studium est, quod a Blondo

Blondus.

Digitized by Google

excitatum tenue principio et obscurum, nunc multorum doctorum hominum labore, studio, atque industria longe clarissimum factum est. Post Blondum Iohannes Tortellius arretinus, Iulius Pomponius Laetus, Carolus Poggius eodem fere tempore; et iis posteriores Raphaël Maphaeus volaterranus, Fabricius Varanus camers, et Franciscus Albertinus etruscus, ad hoc idem studium animos suos contulerunt, editisque, qui extant, brevibus commentariolis, partim seorsum, partim aliis operibus inclusis, tamquam Blondi epitomas facerent, romanas antiquitates, quantum in ipsis fuit, illustrarunt. Scripsere de eadem re Manuel Chrysoloras graecus, Bernardus Oricelarius florentinus, et Hieronymus Questembergius fribergensis misenus, homo germanus, qui in urbe obiit, viri docti et diligentes antiquitatum investigatores, quorum scripta in publicum nondum exierunt. Deinde patrum memoria Andreas Fulvius praenestinus carmine et soluta oratione libris V. urbem celebravit. Post hos Bartholomaeus Marlianus mediolanensis, a superiorum vestigiis non discedens, etiam ipse nostra aetate urbis topographiam, totidem libris scripsit. Marlianum Pyrrhus Ligorius neapolitanus, antiquitatum bene peritus consecutus est; qui libello publicato, cui paradoxa nomen indidit, multos superiorum antiquariorum errores diligenter animadvertit, novas ipse opiniones optimis rationibus fundatas, auctoribus Octavio Pantagatho excellenti viro, et Benedicto Aegio, invenit publicavitque. Scripsit etiam de circo, theatro, amphitheatro, ludisque et muneribus in iis celebrari solitis libellum.

Io. Tortellius.
Pomponius Letus.
Carolus Poggius.
Raph. Volaterranus.
Fabr. Varanus.
Fr. Albertinus.
Man. Crysoloras.
Bern. Oricellarius.
Hier. Questembergius.
Andr. Fulvius.
Barth. Marlianus.
Pyrrhus Ligorius.
Oct. Pantagatus.
Ben. Aegius.
Auctor.

Post Pyrrhum intra hoc decennium quinque antiquitatum volumina, praeter id quod nos decennio ante vulgavimus, in publicum exierunt. Primum L. Fauni nomine, italica latinaque lingua, quinque libris comprehensum. Hic idem brevem antiquitatis urbanae epitomen seorsum materno sermone edidit. Alterum L. Mauri nomen prae se fert, idiomate etrusco, cui adiectus est liber de statuis antiquis, quae nunc Romae ubique extant, ab Ulixe Aldobrando bononiensi eadem lingua collectus. Tertium ab Andrea Palladio italica lingua brevissimum. Quartum omnium recentissimum libris quattuor cum iconibus veterum aedificiorum edidit Bernardus Gamucius, Raphaëlis mensoris aedificiorum filius, sangeminianensis ex agro volaterrano, etrusco patrio sermone. Hi cuncta fere a Blondo, Fulvio, et Marliano exceperunt. Publicatus est etiam incerto auctore libellus lingua italica, cui *guida romana* nomen est, adiectus libro de mirabilibus rebus urbis in nostrum idioma verso. Quintum, Hermundurus quidam, cuius nomen, quod universa eius scripta a librorum prohibitorum indicis auctoribus damnata sint, tacere necesse est, homo germanus, ludimagister Misenae, qui Romae aliquandiu ante annos viginti fuit, et omnia urbana accurate contemplatus est, urbem Romam capitibus viginti descripsit: cuius ea praecipue laus est, quod multa ex his, quae ceteri antiquarii praeterierunt, ex poëtis latinis maxime ipse supplevit. Etiam inter urbis antiquarios enumerandus videtur Gregorius Lilius Giraldus, qui in praeclaro de Diis gentium libro omnem fere ro-

L. Faunus.
L. Maurus.
Ulixes Aldobrandus.
Andr. Palladius.
Bern. Gamucius.
Guida romana.
Hermundurus.
Greg. Giraldus.

Pyrrhus Ligorius.

manam antiquitatem et praesertim sacrarum aedium commemorat. Pyrrhus etiam Ligorius (quem supra commemoravi) urbis ruinas explicandas et illustrandas post omnes italica lingua suscepit. Hic quamquam adhuc integra ingenii sui monumenta nondum publicarit, quantum tamen ex diuturna eius familiaritate commentariisque suis, quos inspexi, cognovi, eos qui adhuc hoc argumentum tractarunt longe post se reliquisse mihi visus est: accuratiore enim diligentia antiquitatem illam reconditam a ceteris antiquariis praeteritam. XXXV annorum spatio, quibus in urbe vixit, investigavit, et inventam iudicavit, multosque antiquariorum errores diligenter prudenterque animadvertit et emendavit. Omnium novissimus ego eandem tractationem explicandam latinis litteris suscepi, qua fortassis accuratius, quam alii, urbis originem, originis tempus, pomerium, vias, portas, colles, et regiones, nova quadam scribendi ratione descripsi: adiecique commentaria, quae in quatuordecim urbis regiones a me constitutas feci; quibus singillatim omnia examinavi, tabellis aeneis delineavi, expressi, atque cur singula ita constituerim, rationes, citatis veterum scriptorum testimoniis, reddidi. Hi vero sunt, qui scripto tantum argumentum tractarunt.

Auctor.

Fab. Calvus. Ichnographiae urbis auctores. Seb. Serlius.

Fuerunt alii qui pictura, aeneis typis, eandem rem aperiendam susceperunt. Quorum primus Fabius quidam Calvus Clementis VII. tempore fuit, qui totam urbem regionatim pinxit, quae pictura casu potius quam ulla certa vestigiorum ratione facta videtur, adeo cum nullo veterum scriptorum, nec quae supersunt parietinis consentit. Sebastianus Serlius bononiensis, qui de architectura libros quinque italica lingua bis publicavit, tertio libro multas romanas antiquitates expressit. Idem praestiterunt Iacobus Macciochius, et Iacobus Vignola in iis libris, quos de architectura vulgari sermone scriptos reliquerunt. Primus omnium B. Marlianus in suo antiquitatum romanarum libro urbis antiquissimae, mediae, et recentioris, tres topographias edidit. Marliani recentiorem urbem suo nomine publicavit Georgius Cassander; quam ingenue, alii iudicent. Leonardus quidam Bufalinus foroiuliensis faber lignarius incredibili labore, et pertinaci XX annorum studio, totam urbem commensuravit, et ligneis typis eius ichnographiam expressit, a qua posteriores suos labores adiutaverunt. Pyrrhus tres urbis topographias edidit, recentiorem unam, duas antiquas, alteram parvam, alteram maximam, quae vulgo circumferuntur. Pinxit etiam aeneis tabellis circos maximum et flaminium, theatrum Marcelli, et Varronis ornithonem. Antonius Salamanca homo hispanus, et Antonius Lafrerius sequanus indefessus rerum antiquarum investigator aeneis typis omnia fere antiqua urbis aedificia, quae extant, tabellis circiter centum expresserunt, statuas scilicet, templa, colossos, arcus, columnas, sepulchra, et alia id genus Urbis Romae ichnographias post Pyrrhum multi delinearunt, Franciscus Paciotus urbinas Octavio farnesio Parmensium et Placentinorum duci; Hugo Pinardus cabilonensis Georgio Cardinali Armeniaco; Ioh. Antonius Dosius florentinus Gabrieli Paleoto XII. viro sotae auditori nunc

Iac. Macciochius.
Iac. Vignola.
B. Marlianus.
Georg. Cassander.
Leon. Bufalinus.

Pyrrhus Ligorius.

Ant. Salamanca.
Ant. Lafrerius.

Fr. Paciotus.
Hugo Pinardus.
Ant. Dosius.

Cardinali dicatas; Antonius Lafrerius cum propugnaculis terreis, quae bello neapolitano fecit Paulus IIII; postremo nos eandem accurate ad vivum expressimus. *Ant. Lafrerius. Auctor.*

Vetusta nomismata, et latina praesertim, primus omnium Aeneas Vicus parmensis libris comprehendit, qui XII. imperatores, et eorum uxores duobus voluminibus, quorum prius Antonii Zantani comitis, posterius suo nomine publicatum est, edidit, cum aversa numorum parte. Post eum Sebastianus Eryx patricius venetus in opere de veterum numorum interpretatione, et Guillelmus Coul lugdunensis gallus, in libro de prisca Romanorum religione, multa antiquorum nomismata collegerunt publicaruntque. Post omnes Hubertus Goltzius Venlonianus herbipolita germanus infinitam paene veterum numorum graecorum et latinorum copiam tota Europa peragrata collegit, ex iisque singulorum consulum, dictatorum, censorum, triumphorumque; item Caesaris, eius percussorum, Lepidi, Antonii, et Augusti, nomismata accurate delineata tribus voluminibus proxime emisit. Audio eum reliquos numos consulares et Augustorum adornare, omnes eos etiam publicaturus usque ad Iustiniani imperium. Imperatorum Augustarumque icones, et ad vivum expressas effigies primus edidit Iacobus Macciochius. Post eum Iohannes Cuspinianus in suo de Caesarum vitis libro. Idem duobus voluminibus praestitit Iacobus Strada mantuanus, quorum alter effigies parvas, alter maximas continent. Quos imitati sunt Iohannes Utichius, Nicolaus Gerbelius, idem Hubertus Goltzius, germani, tribus libris cum Caesarum romanorum imaginibus evulgatis. Nos quoque Imperatorum, et Augustarum nomismata a C. Iulio Caesare usque ad Iustinianum accurate delineata, propediem publicabimus. Idem Macciochius antiquas urbis inscriptiones ex aere et saxis incerto auctore collectas, in publicum misit. Utilis in iisdem per totum terrarum orbem colligendis est liber Petri Appiani et Bartholomaei Amantii. Ante illos eumdem laborem susceperat Sebastianus Serbellius. Aldus Manutius Pauli filius, Aldi nepos, et patre et avo dignus adolescens, libro de orthographia edito, grandem epigrammatum acervum emisit. Praeclarissimi omnium sunt easdem inscriptiones comprehendentes libri Martini Smetii flandri, et Pyrrhi Ligorii, nondum (quod sciam) vulgati. Nos quoque circiter trium millium inscriptionum antiquarum librum collegimus. *Aeneas Vicus.* *Ant. Zantanus.* *Seb. Eryx.* *Guil. Coul.* *Huber. Goltzius.* *Iac. Macciochius.* *Ioh. Cuspinianus.* *Iac. Strada.* *Io. Utichius.* *Nic. Gerbelius.* *Auctor.* *Iac. Macciochius.* *Petr. Appianus.* *Bart. Amantius.* *Seb. Serbellius.* *Aldus Manutius.* *Mart. Smetius.* *Pyrrhus Ligorius.* *Auctor.*

Fastos magistratuum maiorum, praetoribus exceptis, et triumphorum primus (quod sciam) collegit Marcus Verrius Flaccus nobilis grammaticus, qui in atrio Catilinae domus in Palatio Augusti nepotes docuit. Statuam, inquit auctor vitarum illustrium grammaticorum (qui C. Plinii, et Tranquilli nomine circumfertur), M. Verrius habet pro Vestae in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos a se ordinatos, et marmoreo parieti incisos publicarat. Hi cum urbis interitu disiecti, usque ad nostra tempora ruinis obruti latuerunt. Horum parte calcis fornacibus addicta, ea quae superfuerant fragmenta ruderibus ante templum Faustinae inter forum, et sacram viam, impensa Alexandri Far- *Ver. Flaccus.*

Gentilis Delphinus.

nesii Cardinalis egestis anno M·D·XLVII. casu inventa sunt; quae Gentilis Delphinii romani civis opera et industria in unum concinnata, in area triumvirûm conservatorum capitolina, dono eiusdem Cardinalis populo romano collata sunt: fasti capitolini, et tabulae capitolinae ab antiquitatum studiosis vocantur, de quibus abunde disserui in meis in fastos hosce commentariis. Per eadem Verrii Flacci tempora, alius

Fasti colotiani.

fuit fastorum consularium auctor, qui et ipse fastos suos marmoreis tabulis incidit, quorum fragmentum lapideum extat Romae in area domus Gentilis Delphini, ex colotianis hortulis eo translatum. Alius

Fasti municipales.

fuit eiusdem saeculi fastorum municipalium sine nomine auctor, qui nominibus magistratuum coloniae vel municipii, consules ordinarios et suffectos, aediles, et quaestores magna diligentia adiunxit, quae et ipse lapideis tabulis exaravit. Huius fragmentum, triumvirorum tempore,

Petr. Appianus.

extat in libro antiquarum inscriptionum Petri Appiani, et Bartholomaei Amantii, quas ex toto terrarum orbe collegerunt.

Crator.

Sub M. Aurelio imperatore M. Aurelius Crator eiusdem augusti libertus, et Chrysorus, fastos magistratuum romanorum usque ad tempora sua perduxerunt, ut auctor est Theophilus episcopus antiochenus

Chrysorus.

tertio contra Autolycum disputationum libro. Decimus Magnus Ausonius

Ausonius.

gallus burdegalensis, vir consularis, et poeta egregius, fastos consulares usque ad Theodosium inferiorem digessit: qui, et superiores, temporum

Fastographi anonymi.

iniuria perierunt. Extant quattuor, sine nomine, fastorum consularium auctores: primus initium sumit a primo anno imperii Valeriani et Gallieni, eosque perducit usque ad Constantium imperatorem magni Constantini filium; qui consulibus nomina etiam praefectorum urbis adiunxit: alter a regibus exactis usque ad Theodosii iunioris tempora, qui Paulus

P. Orosius.

Orosius esse creditur: tertius a Iulio Cesare usque ad regem Gothorum Theodericum: quartus ab obitu Placidii Valentiniani III. imperatoris, usque ad obitum Theoderici regis Gothorum in Italia. Hos quattuor

Ioh. Cuspinianus. Cassiodorus.

posteriores Iohannes Cuspinianus invenit, et suo in Cassiodori consules commentario inclusit. Post hos M. Aurelius Cassiodorus V. C. ab urbe condita usque ad Iustinianum imperatorem, regum, consulum, imperatorum, nomina perduxit. Cuius librum Iohannes Cuspinianus illustri commentario explicavit. Duo posteriores extant apud me fastorum consularium sine nomine auctores; alter latinus, a Constantio imperatore Constantini magni filio usque ad Iustinum iuniorem; alter graecus ab exactis

Fasti latini.
Fasti graeci.
Hen. Glareanus.

regibus usque ad primum Heraclii imperatoris annum. His addendi sunt

Prosper Marcellinus comes.

Prosper aquitanicus, et Marcellinus illyricianus comes, qui cum rebus in singulos annos gestis, nomina quoque consulum enumerant: uterque a Theodosii imperio initium facit, ubi Eusebii et divi Hieronymi chronica desinunt: at prior usque ad Valentinianum III, posterior vero usque ad Iustinianum annales suos perducunt. Atque hi sunt antiqui auctores, qui magistratuum romanorum fastos digesserint.

Ex recentioribus vero primus (quod sciam) ante annos paene quingen-

Mar. scotus.

tos Marianus scotus monachus fuldensis in universali ab se edito chro-

Digitized by Google

nico, consulum nomina ex Cassiodoro, suo operi inclusit, quod paulo ante in Germania excusum est. Post eum circiter annis ·LXX· Petrus romanus, monachus casinas, sanctae romanae ecclesiae Cardinalis, consulum et dictatorum romanorum nomina digessit, ut ipse de se loquens lib. IIII. cap. LXIIX. historiae casinatis scribit. Vixit an. salutis ·M·C·XL· Patrum memoria Gregorius Haloander, et Henricus Loritus Glareanus fastos consulares ediderunt, prior ab urbe condita usque ad Iustinianum; sequens usque ad Tiberium Caesarem Tabularum capitolinarum M. Verrii Flacci inventio multos antiquitatis studiosos simul inflammavit et ad eas supplendas, cum mancae et mutilae essent, et ad fastorum consularium opus hactenus imperfectum diligentiori studio perficiendum, quum earum auxilio infinita propemodum accessisset historiae romanae cognitio. Inter quos tres eodem tempore opus aggressi sunt, Mutinae Carolus Sigonius, Romae Bartholomaeus Marlianus, et nos ipsi. Sigonius, et Marlianus libros suos usque ad Augusti obitum perductos iam publicarunt, et commentariis editis illustrarunt. Eorum praecipua sententia fuit, tabulas capitolinas tantum supplere, neque latum, ut dicitur, unguem ab his recedere. Ego vero omnium novissimus id opus in manus suscipiens, alia quadam ratione rem aggressus sum. Nam et eosdem fastos usque ad Carolum magnum, annorum decem, quibus in iis laboravi, intervallo perduxi, commentariisque exornavi, et nec tabulis Capitolinis nec alicui scriptori, ita me addicere volui, ut quoties mihi opus esse videretur, non possem etiam ab ipsis, additis rationibus, dissentire. Nam Verrii Flacci in tabulis capitolinis, et ordinem saepissime reiicio, alios auctores secutus. Cur vero id fecerim, satis in fastorum commentariis demonstravi.

Petrus rom.

Greg. Haloander.

Carol. Sigonius.
B. Martialianus.
Auctor.

Ceterum non possum non vehementer hoc loco conqueri et dolere de iis qui alienos labores, nulla germani auctoris facta mentione, suos fecerunt, me hac in re non imitati, qui nominatim cunctos a quibus vel tantillum adiutus sum, cum summis laudibus et egregia laborum suorum testificatione, quatenus id fieri licuit, ubique in meis lucubrationibus appellavi, quos et alios id genus homines humanissime rogatos velim, ne quae aliena sunt, nulla accepti beneficii commemoratione habita accipiant: nam Dei praeceptum est, non furtum facias. Ante hos annos fuerunt viri aliqui eruditi, studiosissimi, antiquitatis romanae bene periti, et de ea optime meriti, qui magistratuum romanorum fastos a Ligorio et a me incredibili multorum annorum studio et labore, usque ad Ti. Caesarem, a me vero usque ad Iustinianum imp. perductos, quinquaginta versibus quamquam perite interpositis, suos fecerunt. Nec hoc queror, sed quod a quibus eum laborem acceperint, suo nomine apposito taceant. Horum unus antiquis nomismatibus absolute quidem, et imperatorum imaginibus additis, bis fastos nostros excussit; alter in grandi tabula sub aspectum posuit. Laborem hunc oppido laudamus, sed germanos fastorum auctores ita silentio praeterire, et alienos foetus suos facere, probare non possumus.

Quaeritur dissimili admodum caussa de me Hermundurus quidam,

quod in meis de urbe Roma commentariis, queis multa ab illo hausta, me inclusisse refert, nullam a me eius mentionem fieri, quum reliquos omnes, per quos profecerim singillatim ingenue usque ad fastidium commemoraverim. Fateor id ita esse, et iuste de me conqueri potuisse, qui eos a quibus longe minora accepi nominaverim, ipsum vero neglexerim, ni me gravissimae caussae a meo instituto revocassent. Nam sacris addictus, catholicae et orthodoxae fidei Romae professor, quam supra cuncta vereor, eius quamquam de me benemeriti nomen commemorare nefas duxi, cuius omnia scripta a sacrae romanae inquisitionis patribus concilii tridentini iussu delectis, in damnatorum librorum indicem relata fuissent; alioqui id non omissurus. Verum enimvero res tanti non erat, ut scripto lamentari de me debuisset. Nam quaedam quae ipse paucissimis pagellis comprehendit, de viis, sepulcris, et montibus urbis, tantum ex eius opere excepi, quia commodius ad manum erant, Roma praesertim tum absens (Venetiis enim librorum meorum ope destitutus eram) et mea magni et operosissimi laboris commentaria iis alicubi respersi. Ea porro sunt eiusmodi, ut ego ipse vix trium dierum labore sine ulla eius libri ope constituere potuissem. An vero brevibus illis, sed certe quod inficiari non potest, accurate scriptis de antiquitatibus romanis lucubratiunculis indiguerim, facile ex hisce prope immensi laboris commentariis intelligi potest. Haec dixisse sufficiat, nihil amplius de hisce rebus etiam provocatus verba facturus: pro verbis enim res dare operae pretium existimo. Reliqua persequamur.

Blondus.

Ant. Augustinus.

Paul. Manutius.

Fr. Balduinus.

Val. Fosterus.

Fr. Othomanus.

Laz. Baifius.

Greg. Giraldus.

Rod. Agricola.

Guil. Budaeus.

Carol. Sigonius.

Io. Sarius.

Antiquitatem romanam in universum tractarunt post Blondum, qui libros *Romae triumphantis* edidit, multi oppido excellentes viri, et praesertim nostro tempore, Antonius Augustinus hispanus Caesarea Augusta, olim rotae romanae duodecimvir, nunc vero episcopus ilerdensis vir insigni doctrina, acri iudicio, multa lectione praeditus; Paulus Manutius Aldi filius praeter eruditionem, quae in eo summa est, linguae latinae aetate nostra facile princeps; Franciscus Balduinus iurisconsultus, quo neminem meo iudicio (cum omnium bona pace dixerim) nostro saeculo in sacra profanaque antiquitate, et ea praesertim quae ad iuris prudentiam spectat, versatiorem, eruditiorem, vividioris ingenii, acrioris iudicii cognovi; Valentinus Fosterus, et Franciscus Othomanus etiam insignes iurisconsulti viri hercle doctissimi. Hi leges romanas, et multa ad id argumentum spectantia eruditissimis et plane divinis lucubrationibus accuratissime tractarunt. Lazarus Baifius de re navali, vasculis, et antiquorum vestibus commentaria fecit. Lilius Gregorius Giraldus de Diis gentium, de anno et eius partibus, de poëtis latinis et graecis, numquam satis laudata volumina edidit. Rodulfus Agricola, et eo prior Guillelmus Budaeus assem, pondera, et mensuras, remque omnem numariam subtili investigatione perscrutati sunt. Carolus Sigonius praeter fastos, vetera iura civium romanorum, populorum Italiae et provinciarum, tribus voluminibus divinitus persecutus est. Quo etiam auctore, Iohannes Sarius zamoscius polonus, eius aliquando auditor, egre-

giae doctrinae vir, de senatu romano libros duos publicavit. Nicolaus Grucchius rothomagensis peritissime et diligentissime romanorum comitia tribus libris tractavit. Fabricius Streinnius nobilis germanus lucubrationes de romanarum gentium stemmatibus, auctore (ut audivi) Othomano accurate edidit. Nulla ratione spernenda sunt grandia Volfangi Lazii viennensis commentaria. Andreae Tiraquellii iurisconsulti egregie de nobilitate capitibus XXXVII, et de iure primigeniorum quaestionibus XCVIII, lucubrationes summopere placent. Hieronymus Mercurialis foroliviensis amicus meus, Alexandri Farnesii Cardinalis summi medicus, cuncta antiquorum exercitia egregie sex libris admirabili eruditione et diligentia descripsit. Delitescunt Romae Angeli Colotii, optimi doctissimique senis, in universam romanam antiquitatem praeclarissimae et diligentissimae tabulae indices, quae hominum malignitate suppressae, magnum hominis decus obscurant, eius memoriam oblitterant, publicae commoditati servire nequeunt.

Nicol. Grucchius.

Fabr. Streinius.

Volfan. Lazius.

Andr. Tiraquellius.

Hier. Mercurialis.

Angel. Colotius.

Hi vero sunt omnes qui nostro saeculo res romanas ex disciplina tractarunt. Nam ceteros, qui vel nostra vel superiore aetate de ea re commentaria scripserunt, consulto omittimus, quod eas res non ita ex earum dignitate persecutos fuisse existimaverimus. Ego vero qui iam vigesimum annum in his studiis operam consumpsi, cunctis horum praeclarorum hominum laboribus inspectis, ex eorum potissimum commentariis universam antiquitatem romanam libris centum comprehendere et explicare constitui; multa que alii adhuc omiserunt in lucem revocando, quae vero sparsis libris optime pertractarunt, in unum quasi sub aspectum quinque voluminibus seu tomis colligendo. Quorum eiusmodi sunt argumenta.

ANTIQUITATUM ROMANARUM LIBRI CENTUM

QUINQUE TOMIS DISTINCTI.

PRIMO VOLUMINE LIBRIS OCTODECIM CONTINETUR ANTIQUAE URBIS IMAGO.

SECUNDO VOLUMINE LIBRIS QUADRAGINTA, CIVITATIS ROMANAE PRIVATA, PUBLICAQUE, PROFANA, ET SACRA INSTITUTA COMPREHENDUNTUR.

TERTIO VOLUMINE LIBRIS VIGINTI, IMPERII ROMANI EXTRA URBEM DECLARATIO CONTINETUR.

QUARTO VOLUMINE LIBRIS DUODECIM, VETERES INSCRIPTIONES CLAUDUNTUR.

QUINTO VOLUMINE LIBRIS DECEM, UNIVERSA ROMANA HISTORIA EXPLICATUR AB URBE CONDITA USQUE AD PIUM V. PONTIFICEM MAXIMUM, ET IMP. CAESAREM MAXIMILIANUM II. AUSTRIUM.

ΠΡΟΚΛΟΥ ΛΥΚΙΟΥ

ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΥ ΔΙΑΔΟΧΟΥ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΕΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΤΟΥ ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΜΥΘΟΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

ΠΩΣ Η ΤΩΝ ΠΑΙΔΩΝ ΒΡΩΣΙΣ ΓΙΝΕΤΑΙ ΕΚ ΤΟΥ ΠΑΝΤΟΣ ΚΑΙ ΠΩΣ ΤΟΥΤΟ ΦΙΛΕΙΤΑΙ ΨΥΧΗ ΕΚ ΤΟΥ ΟΥΡΑΝΟΥ ΚΑΤΙΟΥΣΗ.

1. . . . (1) Δεῖ γὰρ τὰ σώματα ἐξ ἄλλων γίνεσθαι· καὶ τὰ γενόμενα ἔκ τινων, ἀναλύεσθαι εἰς ἐκεῖνα· καὶ πάντα πορεύεσθαί τινα κύκλον οὕτως· ἐν μὲν οὖν τοῖς ἁπλοῖς, φανερὸν πᾶσι τοῦτο γιγνόμενον συνεχῶς· τὸ γὰρ ἔκ του γεγονὸς, εἰς ἐκεῖνο φθείρεται πάλιν ἐξ οὗ γέγονεν, οἷον ὁ ἐκ πυρὸς ἀὴρ εἰς πῦρ· οὕτω δὲ ἔχει καὶ τὰ σύνθετα πρὸς τὰ ἁπλᾶ· γενόμενα γὰρ ἐξ ἐκείνων, ἀναλύεται αὖθις εἰς ἐκεῖνα· δανεισάμενοι γὰρ φησὶν οἱ ἐν τῷ κόσμῳ δημιουργοὶ μόρια ἐκ τοῦ παντὸς, τὰ σύνθετα πλάττουσιν, ὡς ἀποδοθησομένα πάλιν· εἰ οὖν καὶ τὰ ἁπλᾶ ἐκ τῶν ἁπλῶν, καὶ τὰ σύνθετα ἐκ τῶν ἁπλῶν οὕτως ἔχει γένεσιν, ὡς καὶ τὴν εἰς αὐτὰ ἀνάλυσιν ὑπομένειν ἐξ ὧν γέγονεν κατὰ φύσιν, ἔχει δήπου λόγον καὶ τὸ λειπόμενον, τὰ σύνθετα ὅσα ἐκ συνθέτων ἄλλων γέγονεν, ἀναλύεσθαι εἰς τὰ ἐξ ὧν γέγονεν, πάντων κατὰ κύκλον μεταβαλλόντων· ὥστε καὶ ζῴων βρώσεις ὑπὸ τῶν γεννησαμένων αὐτὰ γιγνομέναι, κατά τινα τάξιν ἀποτελοῦνται φυσικὴν καὶ σωματικὴν εἰς ἐκεῖνα μεταβολὴν ἐξ ὧν γέγονεν· καὶ ὅτ' ἂν μέν τοι τὰ γεννηθέντα τρέφηται ἐκ τῶν γεννησάντων, κατὰ τὴν πρὸς τὰ ὅλα γίνεται καὶ τοῦτο μίμησιν· πόθεν . . . ταῦτα καὶ ἐν τοῖς μέρεσιν κατὰ τὰς εἱρμένας τρεῖς μεταβολάς·

(1) Perierunt in lacuna sex versiculi. Sic fere et in aliis paginis.

καὶ τὸ πᾶν οὕτω ὁρᾷ τούτων ἕκαστον, ὡς κινοῦν εἰς ἄλληλα πάντα καὶ μεταβάλλον σώματα ἄλλα εἰς ἄλλα· τὴν δ' ἀξίαν ἀφορίζει τὴν ἐν τούτοις κατὰ τὴν ζωὴν ἡ ἐν αὐτῷ δίκη.

2. Δεῖ γὰρ ἤδη καὶ πρὸς τὴν δευτέραν ἐπίστασιν ἀποκρίνασθαι, καὶ οὐ πάσαις, ἀλλὰ φησὶν ταῦτα ἀφορίζει ψυχῶν βίοις τὸ τὴν τοιαύτην ἀνάλυσιν ὑπομεῖναι, τῶν κατὰ φύσιν μὲν ἐν τῷ παντὶ γιγνομένην, αὐτῶν δὲ παρὰ φύσιν ἐνεργουσῶν· τῆς δὲ δίκης κατὰ τὸ πρόσηκον ταύτην περί τινων τὴν ψῆφον ἐκφερούσης, κατὰ δὴ τινας ἀνάγκας τιμωρητικὰς τῶν ἀξίων τούτου ψυχῶν· καὶ γὰρ τὰ ἄλλα πάντα ποιεῖ μὲν ἡ τάξις τοῦ παντὸς ἣ ἕκαστα πέφυκεν· συναρμόζει δὲ τὰ γιγνόμενα τοῖς βίοις ἡ δίκη τοῖς ἡμετέροις, καὶ διανέμει τὰ μὲν ἄλλοις τὰ δὲ ἄλλοις· καὶ γενέσεων τρόπους καὶ θανάτων, καὶ πάντα ἁπλῶς ὅσα ὡς εἰς τὸ πᾶν τελοῦντες χρώμεθα τοῖς ἐκ τοῦ παντός· καὶ δὴ καὶ τούτῳ τῷ πρώτῳ κληρωθέντι, καὶ εἰ τῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τις ἠκόντων ἦν, οὐ διὰ φιλοσοφίαν ἐκεῖ γεγονότων, ἀλλὰ διὰ δή τινα ἀρετὴν παισὶν οὐκ ἀνδράσιν οἰκείαν τὴν ἐξ ἐθῶν βελτίστων γενομένην, πάντως ἡ τῶν παίδων βρῶσις ποινή τις οὖσα . . . εἰ τοίνυν ἡ δίκη τὸν λαίμαργον βρώσει παίδων, διὰ τῆς ἀθέσμου τροφῆς καὶ ἀνοσίας τὴν τῆς ζωῆς ἁπληστίαν τιμωρουμένη· μόνον οὐκ ἐκεῖνο βοῶσα, τοῖς κατακούειν τῶν τῆς δίκης φθεγμάτων δυναμένοις, ὡς ἄρα ἡ ζωτικὴ λαιμαργία, καὶ ἡ ἀπέραντος ὄρεξις ὧν μὴ δεῖ καὶ ἄπλητος, ἑπομένην ἔχει καὶ τὴν παρὰ φύσιν τροφήν· ὡς μὲν σωμάτων σωματικὴν κατὰ φύσιν οὖσαν, ὡς δὲ ζῴων ζῴοις παρὰ φύσιν.

3. Αἰτία δὲ ἡ ἀφροσύνη καὶ ταύτης τῆς λαιμαργίας· ἡ γὰρ τοῦ λόγου τυφλότης ἀκόρεστον ἐποίησεν ἐπιθυμίαν πλούτου καὶ δυνάμεως, καὶ ζῆν ὡς ἄλογον καὶ θηρίον παρεσκεύασεν· ἀλογώσαντι οὖν ἑαυτὸν ὡς ἀλόγῳ χρῆται τὸ πᾶν· ὁ τοίνυν ἐκτείνας τὸ λαίμαργον τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, εἰς τυραννίδος αἵρεσιν μεγάλης ὡς ἐκπλήσσων τὴν οἰκείαν ἀπέραντον ὄρεξιν, ἐν ἐκείνῃ δίδωσι δίκην περὶ ἑαυτῷ τὴν λαιμαργίαν τρέψας, καὶ ταῖς τῶν ἑαυτοῦ παίδων ἀπολαύσεσιν· μόνον οὐχὶ βοώσης τῆς δίκης, ὅτι ἡ ἀπέ-

ραντος τῆς τυραννίδος ὁρίζις, ταύτην ἔχει ποινὴν θηρίον γενέσθαι, τῶν τέκνων ἐμπιπλάμενον ὧν ἐγεννήσατο· τοῦτο μὲν οὖν εἰ ζητοίη τίς πῶς τηλικοῦτον ἵπεται κακὸν τὸ μὴ ἐκ προβεβιωμένων ὀφειλόμενον, εἰ μὴ ἄρα καὶ πρὸ τῆς τεταγμένης ζωῆς δι' ἣν ἔτυχεν τῆς οὐρανίας λήξεως, ἄν τις αὐτῷ βίος . . . . βιοτὰς ἀεὶ αἰτιᾶσθαι, ὡς ἡμεῖς γε ἀποχρῆναι νομίζομεν, τὴν ἐπὶ τῇ ἕξει τῆς ψυχῆς ἀφ' ἧς ἡ αἵρεσις ποινὴν κολάζοντος ἐκείνην τοῦ παντὸς, διὰ τῶν ἑπομένων· δηλοῖ δὲ καὶ αὐτὸς εἰπὼν· τῇ ἀφροσύνῃ καὶ λαιμαργίᾳ, τὴν τῶν παίδων βρῶσιν ἀκολουθῆσαι· ἣν ἰδόντα θρηνεῖν τὸν ἀνεπισκέπτως ἑλόμενον τοῦτον τὸν θεὸν, παρὰ πόδας τυγχάνοντα τῆς δίκης.

4. Δεῖ δὲ μὴ δὲ ἐκεῖνο λανθάνειν, ὅτι καὶ δαιμόνων ἐπεισκωμάζουσαι ταῖς ταιαύταις ψυχαῖς ὧν ἡ ἐπιθυμία τοσαύτη πονηρῶν κινήσεις, τὰς τοιαύτας ἐμβάλλουσιν ὁρμὰς, οἷς ὑπάρχει τὰ πρῶτα μιμεῖσθαι τὰς ἑαυτῶν σειρᾶς ἀνομοίως, καὶ ὡς ἔσχατα εἰκός· ὅσα γὰρ ἐκεῖνα ὁρᾷ θείως; ταῦθ' οὗτοι πράττουσιν ποιναίως, οἷον τῆς ἀρειικῆς σειρᾶς ταῖς ἀχράντοις ἑαυτῆς δυνάμεσιν καὶ διαιρετικαῖς, τεμνούσας μὲν τὴν ὕλην, τὰς δὲ ψυχὰς ἀναγούσης διὰ μέσων τῶν ἀποκοπτικῶν ἀγγέλων τῆς ὑλικῆς ζωῆς, καὶ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν τοῦ τῆς τμήσεως ἐξάρχοντος, ὡς τὸ λόγιον εἴρηκεν· εἶναι γάρ τινα τμήσεως ἀγὸν, τῶν ἐκτεμνόντων τὴν ὕλην ἀπὸ τῶν ψυχῶν ἀγγέλων· οἱ ἔσχατοι τῶν ἀρειικῶν δαιμόνων, μιμοῦνται χειρόνως τὴν οἰκείαν σειρὰν, φόνοις ἀχορίστοις χαίροντες καὶ ταῖς τομαῖς ταῖς τῶν σωμάτων, καὶ τοιούτοις . . . καὶ ἡ ψυχὴ παρ' ἐκείνοις μένουσα καὶ ἐκεῖνα μιμουμένη ζῇ νοερῶς, καὶ τὰ γεννήματα ἑαυτῆς ἐν ἑαυτῇ καταλείει· νοερᾶς δὲ ζωῆς γεννήματα δηπουθέν ἐστιν, ὅσα προχειρίζεται νοήματα συνοῦσα ἐκείνοις· ἐν δὲ τοῖς ἐσχάτοις γενομένη, καὶ δι' ἀφροσύνην τοῖς ἐσχάτοις τῆς σειρᾶς ἐκείνης ὁμιλήσασα, κινεῖται πρὸς τὰς ἀποπτώσεις ἐκείνων· καὶ τὰ γεννηθέντα ζωωδῶς ἀλλ' οὐ νοερῶς, καὶ ὄντα μεριστὰ ἀλλ' οὐχ ἁμερῆ, εἰς τὸ γεννῆσαν ἀναλύει, καὶ ἀναλύουσα ποινὴν ἐσχάτην τείνει τῆς τῶν τοιούτων συνουσίας· ἐπεὶ καὶ τὸ τῇ μεγίστῃ τῶν τυραννίδων ἐπιτρέχειν, ἀπόπτωσίς

ἐστιν τοιαύτης τινὸς ζωῆς, τῆς πάντα τὸν κόσμον διοικούσης· ἧς ἔχουσα φαντασίαν, ὑποφέρεται πρὸς τὴν τοιάνδε πολλῶν ἄρχουσαν μετὰ ἀνάγκης δύναμιν· καὶ ὅλως πάντων τῶν μεγάλων κακῶν αἱ πράξεις ψυχῶν εἰσιν, μεγάλῃ μὲν φύσει χρωμένων καὶ εὐφυοῖν, δι' ἀνοίας δὲ ἀδιαρθρώτους ἐξεργαζομένων τὰ μέγιστα τῶν κακῶν.

5. Καὶ εἴρηται ἡμῖν ὁ λόγος καὶ ἐν ἄλλοις πολλάκις· τάχα καὶ τὰς τῶν παίδων βρώσεως εἰ χρὴ τολμήσαντα εἰπεῖν, ὁμοῦ τῇ μεγίστῃ τυραννίδι πρῶτον ἐφανείσης· τοῦ γὰρ αὐτοῦ . . . καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας . . ἐμυθολογήσαντο· ὡς δίον ὃν τὸν βιασάμενον πατέρα, καὶ περὶ τοὺς παῖδας εἶναι τοιοῦτον· τοῦτο δέ ἐστιν, τὸν δι' ὑπεροχὴν δυνάμεως, ἐτέρας ἡγησάμενον βασιλείας, καὶ ὅσα γεννᾷ παρ' ἑαυτῷ κατίχει· τόδε δὲ συλλογισόμεν ἐκ πάντων, ὅτι ἡ τῶν παίδων βρῶσις γίνεται μὲν καθ' εἱμαρμένην, ὡς πάσης ἀναλύσεως σωμάτων εἰς σώματα προστάτιν, ἁπλῶν εἰς ἁπλᾶ, συνθέτων εἰς ἄλλα σύνθετα· καὶ τούτων ἡ εἰς τὰ ἐξ ὧν γίγονεν, ἡ εἰς τὰ ἐξ αὐτῶν γενόμενα, ἡ εἰς τὰ μηδέτερα μὲν ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν γεγονότα στοιχείων· καὶ γὰρ ἡ τῶν ζῴων βρῶσις τοιαύτα, καὶ ἡ τῶν ἐκ γῆς καρπῶν· γίνεται δὲ καὶ ὑπὸ δαιμόνων ἰσχάτων, ἐκείνων τῶν θεῶν ἐξημμένων, οἱ τῶν αἰτιατῶν τῆς εἰς τὰ αἴτια ἐπιστροφῆς εἰσιν αἴτιοι, μεμουμένων ἀνομοίως τοὺς ἑαυτῶν ἀγελάρχας· γίγνονται δὲ καὶ ὑπὸ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, δι' ἰσχάτην ἐμπάθειαν ἡ θυμικὴν ἢ ἐπιθυμητικήν· πολλοὶ γ' οὖν καὶ διὰ λιμὸν ἥψαντο τῶν τέκνων, ὥσπερ ἐν Θετταλίᾳ μετὰ τὴν τῶν βαρβάρων ἔφοδον ἐναγχος (1)· γίνεται δὲ πρὸ τούτων ὑπὸ τῆς ἐν τῷ παντὶ δίκης, διά δή τινας ἁμαρτάδας ἀνιάτους ἐπαγόμενον τοῖς ποιοῦσιν ἅμα καὶ πάσχουσιν, τούτοις μὲν περὶ πατέρος . . .

6. Λέγεται τοίνυν ὁ μὲν δαίμων ἑκάστου τις ἴδιος, ἡ δὲ ψυχὴ κυβερνῶσα τὸν ἑκάστου βίον· ἀλλ' ὅτι μὲν ὁ δαίμων εἷς ἐστι τῶν παρὰ τοῖς θεολόγοις ἀγγελικῶν δαιμόνων ὀνομαζομένων, εἴρηταί μοι καὶ πρότερον· διὸ καὶ ὁ προφήτης αὐτὸν ἐφίστησιν, ὃν ἀγ-

(1) Animadvertamus dictum de Thessalis in fame anthropophagis.

γελον ὄντα ἀπεδείκνυμεν· τὴν δὲ τύχην ταύτην, θεὸν μὲν εἰπεῖν οὐκ ἀληθὲς, τῷ δαίμονι σύστοιχον οὖσαν· δαιμονίαν δὲ πάντως· ἀντιδιαιρεῖσθαι δὲ πρὸς τὸν δαίμονα, καθόσον ὁ μὲν τὰς ἔνδον ἡμῶν ἐπιτροπεύει κινήσεις, ἡ δὲ τὰς εἰς τὸ ἔξω προϊούσας· μὴ δὲ σε δαίμων ἐνταῦθα τρέψειε φίλος· φῶρος μέν μοι πρῶτον ἐνέπνευσεν μέγα δαίμων, φησὶν ὁ πάνσοφος ποιητὴς· ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται, καὶ ὅλως ἄφθονα παρ' αὐτῷ τὰ τὴν δαιμονίαν ἐπίπνοιαν, εἰς τὰς ἔνδον ἡμῶν τρέποντα παντοίας ὁρμάς· ὅτι δὲ ἡ τύχη τῶν ἐκτὸς προίστηκεν, καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ὁ Πλάτων πολλαχοῦ διδάσκει καὶ ἡ κοινὴ φήμη τὰ τυχαῖα τῶν τοιούτων τιθεμένη πάντα, τῶν ἐν ταῖς ἐνεργείαις· ἡμῶν καὶ ταῖς ζωαῖς ταῖς ἐμφανίσιν ὁρωμένων· καὶ διὰ ταῦτα ἄρα, καὶ τῷ μὲν τὸ ἀῤῥενωπὸν προσήκει, τῇ δὲ τὸ θηλυπρεπὲς· εἴπερ ὁ μὲν ἀφανῶν, ἡ δὲ ἐμφανῶν προειστήκατον· καὶ ὁ μὲν ἀσωματώτερον, ἡ δὲ σωματοειδέστερον· τοῦτ' ἄρα ἐστὶν οἰκεῖον . . . δαίμονος καὶ τῆς ἀγαθῆς τύχης . . . ρειν οὐδὲν ἄξιον ἐπισημηναμένους εἰπεῖν· ὡς ἄρα οὗτοι μὲν ἀνράτως εἰσὶν ἀγαθῶν χορηγοὶ· διὸ καὶ μετὰ τῆς προσθήκης ὀνομάζονται ταύτης· καὶ εἰσὶν οὐχ ἀφωρισμένοι τοῖσδε τοῖς βίοις, ἀλλὰ κοινοὶ τῶν ἀξίων ἀπολαύειν τῆς ἐκείνων χορηγίας, καὶ ἡγοῦνται σειρᾶς ἑκάτερος ὅλης.

7. Ὁ δὲ δαίμων ὁ οὗτος ὃν ἴδιον καλοῦμεν, καὶ ἡ τύχη προστήκατον ἀνθρωπίνων βίων, εὐμοίρων ἢ καὶ ἐναντίων, καὶ εἰδῶν ζωῆς ἀμεινόνων ἢ χειρόνων, καὶ κυβερνῶσιν τούτων ὅσα αὐτοῖς προσήκει κατὰ τὴν αἵρεσιν τῆς ζωῆς, ἀλλ' ὁ μὲν δαίμων ὡς ἐπίτροπος ζωῆς ἧς ἐστιν ἔφορος, ἡγεῖται τοῦ ἑλομένου τὴν ζωὴν ἐκείνην, οἷον τυραννικὴν ἢ βασιλικήν· ἡ δὲ τύχη τῶν ἀπονεμομένων ἐκ τοῦ παντὸς οὖσα προστάτις, ὡς προσήκουσα τῇ ταῦτα ἀφοριζούσῃ ταῖς ζωαῖς, ἄλλη καὶ ἄλλη καθ' ἕκαστόν ἐστιν· καὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν καὶ ἡ διαίρεσις, οὐ τοῖς εἴδεσιν τῆς ζωῆς, ἀλλὰ ταῖς ἀναφοραῖς ὥρισται τοῦ παντός· ἁρμόζει δὲ ὡς ἐναίτιον, τὸν μὲν ὁ ἥλιος τὴν δὲ ἡ σελήνη· διὸ καὶ οἱ κλῆροι τούτων ἀπὸ τούτων εὑρίσκονται τῶν θεῶν ἐν ταῖς γενέσεσιν ἡμῶν, ὡς ἔστι δῆλον τοῖς περὶ ἀστρολογίαν γεγυμναγμένοις, ἀλλ' ἐπὶ . . .

ἀνάγειν ἔοικεν εἰς οὐρανόν· ψυχὴ γὰρ ζῶσα μετὰ σώματος ἐκεῖ λέγεται εἶναι, καὶ ἔστιν ὅπου καὶ τὸ σῶμα διὰ τὴν σχίσιν· ὥστ' εἰ ὑπὸ σελήνην αὐτῆς εἴη τὸ σῶμα, μεθ' οὗ ζῇ, καὶ αὐτὴ ὑπὸ σελήνην ἐστίν, ἀνάγκη ἄρα καὶ τὸ ὄχημα αὐτῆς συνανιέναι· καὶ γὰρ τὸ ἐν Φαίδρῳ ῥηθὲν, τὸ εἰς τοῦ οὐρανοῦ τινα τόπον ὑπὸ τῆς δίκης κουφίζεσθαι τὰς μὴ διὰ φιλοσοφίας κεκαθαρμένας, τοιόνδέ τι δηλοῦν ἔοικεν· καὶ γὰρ τὸ κουφίζεσθαι, καὶ τὸ εἰς τινα τόπον σωματοειδῆ συνεισάγει λέξεως ὑπόνοιαν· πλὴν ἐκεῖνο δῆλον, ὅτι τῶν μὲν τελέως κεκαθαρμένων ψυχῶν τὸ δεύτερον ὄχημα μένειν ὑπὸ σελήνην, διὰ τὴν ἐκείνων περιστροφὴν ἀμύδρουμένον κατὰ τὴν ζωὴν, ἀναλύεται εἰς τὰ στοιχεῖα ἐξ ὧν ἐστιν· τῶν δὲ ἐν ἕξεσι μόνον χρηστοῖς βεβιωκυῖν, διαμένει καὶ τοῦτο ἐλλαμπόμενον ὑπ' αὐτῶν (1)· οὐ γὰρ τελέως ἐχωρίσθησαν, ἅτε μήπω διὰ φιλοσοφίας κεκαθαρμένοι, καὶ πῶς καὶ τοῦτο συμπεριάγεται, τοῖς συμφυέσιν τῶν ὀχημάτων, ὡς οἱ κεμπταί τισιν ἄστροις, ὡς πολλὰ τῶν ἐνταῦθα φυτῶν τοῖς οὐρανίοις φωστῆρσιν.

8. Εἰ δὲ ἔθη χρηστὰ διὰ βίου γενόμενα, τοιαύτην προξενεῖ ταῖς ψυχαῖς μετὰ τῶν . . . μόνων τῶν ἐθῶν ἐγγεγονυῖαν τάξιν τοῖς ἤθεσιν· ὥσπερ λόγος μὲν αὐτὰς συνδεῖ ταῖς λογικαῖς αὐτῶν ψυχαῖς, νοῦς δὲ ταῖς νοεραῖς αὐτῶν οὐσίαις, ἐνθεασμὸς δὲ ταῖς θεότησιν αὐταῖς καὶ πανταχοῦ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, ὡς δὲ ἦν εἰπεῖν, οὐκ ἐλάττους εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις ἁλισκομένους τοὺς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἥκοντας· ἕως τοῦ οὐκ ἐξ ἐπιδρομῆς τὰς αἱρέσεις ποιεῖσθαι· θαυμαστὸς μὲν ὄντως ὁ λόγος, εἰ οἱ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἥκοντες, μάλιστα ταῖς αἱρέσεσιν ἐπεπήδων τῶν τυραννικῶν βίων ὅμως· εἰ δὲ κατεσκεύασεν καὶ αὐτὸς τὸν λόγον, χαυνότητα αἰτησάμενος ἐκείνων διὰ πόνων ἀγυμνασίαν, τὰς δὲ ἐκ τῶν ὑπογείων τόπων ἀσφαλεστέρας εἶναι λέγων, καὶ μὴ ἐξ ἐπιδρομῆς ποιεῖσθαι τὰς αἱρέσεις, διὰ τὴν πεῖραν τῶν ἐκεῖ πόνων καὶ τῶν κολάσεων· ἐοίκασι δὲ καὶ τὴν φαντασίαν ταύτην ἔχειν τὴν τυραννικὴν αἱ ἐξ οὐρανοῦ, θεασάμεναι τὰς τῶν οὐρανίων ἀρχὰς καὶ

(1) In marg. ἐν τῷ ὑπὸ σελήνην· οὐ γὰρ οἷόν τε αὐτὸ φθαρτὸν ὄν, ἐν οὐρανῷ γενέσθαι.

δυνάμεις κυβερνώσας πᾶσαν τὴν γένεσιν, καὶ ἄλλας ἄλλων μείζους καὶ δυνατωτέρας· ὅθεν καὶ αὗται δυνάμεως ἐφίενται· δέοντος γιγνώσκειν, ὅτι παρ' ἐκείνοις μὲν τὰ τρία σύνεστιν, ἀγαθότης, δύναμις, νοῦς· παρ' ἡμῖν δὲ ἡ . . . .

9. Ὅτι καὶ τὰ δοκοῦντα αἰσιώτερα εἶναι τῶν ἀπονεμομένων, βλάπτει πολλάκις διὰ τὸ μετέχον οὐκ ὀρθῶς αὐτοῖς χρώμενον, καὶ τἀναντία τούτων ὀνίνησιν, ἐπιστρέφοντα τὰς ψυχὰς εἰς τὴν προσοχὴν καὶ τὴν ἀμείνω ζωήν· καὶ ὅτι πολλοῖς ἡ ἱστορία τῶν κακῶν, εἰς ἀγαθὸν τελευτᾶν οἶδεν, οἷς ἄνευ ταύτης οὐκ ἦν ὠφεληθῆναι δυνατόν· οὕτω γὰρ καὶ αἱ ὑπὸ γῆν ἐν πόνοις γενόμεναι, καὶ ἄλλους ἰδοῦσαι τλητὰ θοῦντας, ὠφέληνται πρὸς τὰς τῶν ἑξῆς βίων αἱρέσεις· διὸ δὴ καὶ μεταβολὴν τῶν κακῶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ταῖς πολλαῖς τῶν ψυχῶν γίνεσθαι, καὶ διὰ τὴν τοῦ κλήρου τύχην ἴως τοῦ, ἀλλὰ λείαν τε καὶ οὐρανίαν, ἀπὸ πάντων τῶν περὶ τοὺς κλήρους καὶ τὰς αἱρέσεις τῶν βίων ἱστορημένων, οἷον συμπέρασμα ἓν ἐπιστημονικὸν συνάγει διὰ τούτων· ὅτι τούτοιν χρεία δυοῖν, ἑνὸς μὲν τῆς ὀρθῆς κρίσεως περὶ τὸ ἄμεινον καὶ χεῖρον τῶν προτεινομένων βίων, ἑτέρου δὲ τοῦ τὸν κλῆρον μὴ ἐν τοῖς ἐσχάτοις πίπτειν· τί γὰρ εἰ καὶ ὁ αἱρούμενος εἴη περὶ κρίσιν ἀσφαλής; ἀλλ' οἱ προτεινόμενοι βίοι διὰ δή τινας αἰτίας οἱ τυχόντες εἶεν· τί δὲ εἰ εὐμοιρία μὲν τις εἴη περὶ τοὺς βίους, ὁ δὲ αἱρούμενος εἰς ἐκλογὴν τῶν ἀμεινόνων ἄτοπος; δεῖ οὖν ἀμφοτέρων, καὶ τῆς τοῦ κλήρου μοίρας ἀγαθῆς, καὶ τῆς ἰδίας κρίσεως εἰς ἕτερον βίον οὐ τραχεῖα καὶ χθονία . . ἀλλὰ λεία τε καὶ οὐρανία· τί δὴ . . λέγωμεν; τὸ μὲν δὴ τραχὺ καὶ χθόνιον σημαίνει τὴν ἐπίπονον καὶ κολάσεσιν ἔνοχον οὖσαν ζωήν· τὸ δὲ λεῖον καὶ οὐράνιον τὴν εὐπαθείας μέτοχον καὶ εὐμοιρίας· πᾶσα γὰρ τραχύτης ἐμποδῶν ἐστι ταῖς κινήσεσιν, οὐκ ἐῶσα ῥαστώνης μετέχειν· πᾶσα δὲ λειότης, ἀπαραπόδιστον παρέχει τοῖς πορευομένοις τὴν διέξοδον· ζωῆς οὖν ἡ μὲν εὐκολίαν, ἡ δὲ τλητάθειαν ταῖν ὁδοῖν περιποιεῖν· καὶ ἔοικεν ταῦτα μὲν παραγίνεσθαι τὰ ἀγαθὰ ταῖς ψυχαῖς, ἀπό τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ παντός, τὴν ἀξίαν μὲν τοῦ παντὸς ἀποδιδόντος· τῶν δὲ ψυχῶν ἑαυτὰς ποιουσῶν

ἀξίας διὰ τῆς ἔμφρονος ζωῆς· ἐκεῖνα δὲ τἀναντία τούτων ἀπ' ἀμφοτέρων πάλιν· τῶν μὲν διὰ τὴν ἀφροσύνην, ἑαυταῖς ἐπικλωσασῶν μοχθηροτέραν ζωήν· τοῦ δὲ παντὸς, τὴν ὀφειλομένην αὐταῖς μοῖραν ἐπαρτήσαντος.

10. Ἐκ δὴ τῶνδε τῶν ῥήσεων καὶ ἐκεῖνο συλλογιστέον, ὡς ἄρα κατὰ Πλάτωνα, καὶ εἰ μὴ συντελεῖ πρὸς εὐδαιμονίαν τὰ ἐκ τοῦ παντὸς ἀπονεμόμενα ταῖς ψυχαῖς, ἀλλὰ συντελεῖ πρός γε τὸ εὐδαίμονας γενέσθαι, καὶ διὰ τὰ ἐκεῖθεν ἐμποδίσοιεν ἂν πρὸς τὴν εἰς εὐδαιμονίαν ὁδόν· καὶ γὰρ σώματος τοιοῦδε πρὸς τὴν κατ' ἀρετὴν ἄσκησιν δεῖ, καὶ περιουσίας τινὸς, εἰς τὸ μὴ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεεῖς ὄντας, ἀφέλκεσθαι τῆς προηγουμένης ἑαυτῶν ἐπιμελείας, καὶ τῆς ἔξωθεν ἀταραξίας ἀπερισπάστους . . . εἰ γὰρ . . ῥίπτει τοὺς κλήρους ταῖς ψυχαῖς . . τοὺς κλήρους πίπτειν εἰς τὰς (μὴ δ)ἐχομένας αὐτοὺς ψυχὰς, ἄμφω δὴ . . ἔπεσθαι, ὡς ἄρα κατὰ τὴν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν περιόδων ποίησιν, εἰς ἡμᾶς οἱ κλῆροι κα . . οὖσιν ἀπὸ ὑψηλοτέρων εἰς χαμαζυλοτέρα φερόμενοι καὶ ἀπὸ ὀλιγωτέρων εἰς μειζότερα· καὶ τί δεῖ περὶ κλήρων λέγειν, ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ Πλάτων ἐν Φιλήβῳ ῥῖψιν ἐκάλεσεν τὴν εἰς ἡμᾶς μετάδοσιν ἀπὸ τῶν θεῶν τῆς διαλεκτικῆς ἅμα φανοτάτῳ πυρὶ, διὰ Προμηθέως ῥιφείσης; οὕτως οἰκεῖον αὐτῷ τὸ ὄνομα τῆς εἰς τὸ κάτω ποιήσεως τῶν ἀνωτέρων σύμβολον, καὶ τῶν θεολόγων, ῥίψεις καὶ πτώσεις θεῶν τὰς καθ' βούλησιν τῶν κινούντων αὐτοὺς, ἄνωθεν ἕως τῶν ἐσχάτων ἀποκαλούντων· τὸ δὲ ὑγιῶς ἄρα φιλοσοφεῖν ἐστιν, τὸ μήτε δι' ἄγνοιαν τῶν ἀμεινόνων καὶ χειρόνων βίων, αἱρεῖσθαι τοὺς χείρονας ἀντὶ τῶν ἀμεινόνων· μήτε δι' ὄρεξιν ἄμετρον ἐφισχάντας τοῖς ἀμείνοσιν, εἶτα ἐπιπηδᾶν τοῖς χείροσιν· τὸ γὰρ ὑγιὲς δηλοῖ τὸ μηδενὶ ἐλλεῖπον εἰς τὴν ὀρθότητα τὴν προσήκουσαν τοῖς εἰς τὰς αἱρέσεις ἅπασιν· ἐλλείπει δὲ πᾶν τὸ κατὰ θάτερα τούτων ἀτελὲς, ὡς τό γε κατ' ἀμφότερα χωλεῦον κρίσιν καὶ ὄρεξιν· τελέως . . . καὶ πῶς ἀξίαν ἰδεῖν προσέθηκεν, τριχῇ μὲν διελὼν αὐτὴν, εἰς τὸ γελοῖον, εἰς τὸ ἐλεεινὸν, εἰς τὸ θαυμαστόν· κοινὸν δὲ ἐπαγαγὼν πάσαις ταύταις ταῖς αἱρέσεσιν· τὸν κατὰ συνήθειαν· ὡς τὰ πολλὰ τῶν προβεβιωμένων

γίνεσθαι τῶν βίων τὰς αἱρέσεις, καὶ τοῦτο εἰπὼν αἴτιον εἶναι τῆς παντοίας αὐτῶν ἐξαλλαγῆς.

11. Τοῦτο μὲν οὖν ἀνάλογόν ἐστιν τῷ ἐν Φαίδρῳ ῥηθέντι περὶ τῶν νεοτελῶν ψυχῶν· ὡς γὰρ ἐκείνας ἔφη κατὰ τὰ θεάματα πλείονα ἢ ἐλάσσονα ὄντα, βίους ἄλλους καὶ ἄλλους προστάσασθαι, τοὺς μὲν ἀμείνους τοὺς δὲ χείρους, οὕτω καὶ ταύτας κατὰ συνήθειαν τῶν προβεβιωμένων, ἐπιτρέχειν ἄλλοις καὶ ἄλλοις βίοις· πλὴν ὅτι προσέθηκεν ἀλλ' ἐν τούτοις, ἐνδεχομένην τὴν πρότασιν ποιῶν, τὸ ὡς τὰ πολλά· διότι θαυμαστὸν οὐδὲν καὶ ἀποστέρξαι τινὰ ψυχὴν τὸ σύνηθες διά τινας πόνους, μεμνημένην ὧν ἔπαθεν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις· οἵαν παραδώσει τὴν Ὀδυσσέως ψυχὴν, πόνων καὶ φιλοτιμίας λελωφηκυῖαν, καὶ αἱ . . . ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ πρὸς ἀλλήλους συνάπτειν ἢ διϊστάνειν, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις· παρὰ τούτοις μὲν οὖν οὐδὲν θαυμαστὸν, ἃ τε λόγον οὐκ ἔχουσιν, μόνοις δουλεύειν τοῖς ἔθεσιν· ἀλλὰ καὶ ἐπ' αὐτῶν τῶν θείων ἀκούων τῶν λογικῶν λέγόντων, ὅτι ἐθίσαντα τὰ στοιχεῖα τοιῶσδε ζῆν, οὐ παραλλάττει τὸ ἔθος· καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ ἡλίου, ὅτι περὶ τὸ κέντρον ἐθὰς ἔρχεται τὸν ἑαυτοῦ δρόμον ἐξανύων, καὶ ἡμᾶς δὲ τοὺς ἀνθρώπους, οὐκ ἄλλό τι ποιεῖν, τοῖσδε τοῖς πατρίοις ἑπομένους, μὴ δύνασθαι ῥᾳδίως αὐτῶν ἀφίστασθαι, δίκην δὲ ὑπέχειν μεθισταμένους, ἢ τὰ ἔθη θὰ τὸν χρόνον κυρωθέντα· διὸ καὶ οὐκ ἀσφαλὲς αὐτὰ κινεῖν· τούτων δὲ ἀποῤῥηθέντων ἐλέγομεν τὴν πρώτην, τάξιν τινὰ δαιμονίαν ἐπίσκοπον εἶναι τῶν ἐθῶν τούτων, ὑπὸ τὸν αἰῶνα τεταγμένην· καὶ γὰρ τὸ ἔθος οὐδὲν ἄλλο εἶναι, ἢ τὸ ποτὲ οὐκ ἄλλως, ἀλλ' ὡς οὕτως ἐπιτήδευθὲν· οὔσης οὖν σειρᾶς ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, τῆς πάσης μὲν ζωῆς ἀεὶ ἑστώσης, πάσης δὲ ἀεὶ κινουμένης μετρητικῆς, εἶναί τινα τελευταίαν ἀπ' ἐκείνης τάξιν τῶν ποτὲ μὲν κρατούντων, ἀμεταβόλων δὲ ἐν τισιν χρόνων περιόδοις μείζουσιν . . . πᾶσιν τοῖς ἀμείνοσι καὶ τοῖς χείροσιν τὸ κράτος αὐτὴν ἐνδιδοῦσαν καθ' ὅσον κοινοῦ τινος καὶ ταῦτα μεταλαχόντα, τὴν πρὸς τὰ ἄλλα πάντα τὰ περιόδοις μετρούμενά τισιν ἔλαχεν ἐξαλλαγήν· ὡς οὖν αἱ ὧραι τῆς σειρᾶς οὔσαι ταύτης, ἀνακυκλοῦσι τὰ ἔργα τῆς

φύσεως, οὕτως εἶναί τινα καὶ τῶν ἐθῶν μετρητικὴν αἰτίαν, τὴν ὁρίζουσαν πάντα κατὰ περιόδους οἰκείας.

12. Τούτων δὲ εὖ εἰρημένων, τοῦ μὲν ἄλλα τῶν ἐθῶν ἐν ἄλλοις χρόνοις λύεσθαι, καὶ γίνεσιν ἴσχειν αὖθις, εἰκότως τὴν ἀρχὴν ὁ λόγος ἀνευρηκέναι, πόθεν δὲ ὅλως τοῖς ἔθεσιν ἡ ἰσχὺς, δι' ἣν τοσαύτην ἔχει πανταχοῦ τὴν ἐπικράτειαν, οὔπω διορίζειν· ἴν' οὖν καὶ τοῦτο πιῆσωμεν, εἰκὸς χρῆναι πρότερον ἰδεῖν, τίνα δύναμιν ἔχει τὰ ἔθη παρ' ἡμῖν· εἶτ' ἐνθεῦθεν ἐξαναστάντας, τὴν ἐν τοῖς ὅλοις αὐτῶν αἰτίαν καταδήσασθαι· δῆλον τοίνυν ὅτι τὰ ἔθη, νόμιμα ἅττα βούλεται εἶναι, εἰ καὶ ἄγραφα φασὶν, νόμιμα δὲ ὅμως· ἐπεὶ καὶ οἱ ἀληθεῖς νόμοι, δέονται γραμμάτων φυδὲν, ἀλλ' ἐν αὐταῖς κεῖνται ταῖς τῶν κατ' αὐτοὺς ζώντων ψυχαῖς ἀκίνητοι μένοντες· καὶ τὰ ἔθη οὖν θὰ παρ' ἑκάστοις ἴδια τε καὶ κοινὰ, νόμοι δή τινές εἰσιν ἔμψυχοι· καὶ ἔπεται νόμοις ἄλλα ἄλλοις, ἢ φυσικοῖς ὡς ἐπὶ τῶν ἀλόγων, ἢ πολιτικοῖς ὡς ἐπ' ἀνθρώπων· εἰ οὖν θαῦτα ἀληθῆ, δῆλον δὴπουθέν ἐστιν τὸ ἐκ τούτων συμβαῖνον ὡς ἄρα . . . ἔν τισι τακτοῖς δυναστεύοντα χρόνοις, ἄν τε ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις συμπληροῦντα τὴν κατὰ φύσιν ἑκάστων διεξαγωγὴν· τὸν δὲ δὴ νόμον τοῦτον ὅτι θεὸν ἡγεῖσθαι συνοχία τῶν τε εἱμαρμένων νόμων, οὓς ὁ ἐν Τιμαίῳ δημιουργὸς ἐγγράφει θαῖς ψυχαῖς· καὶ τῶν εἰς πᾶσαν τὴν τοῦ κόσμου πολιτείαν διατεινόντων, ἠκούσαμεν πολλάκις τῶν τε θεολόγων αὐτὸν ἐξυμνούντων, καὶ τοῦ Πλάτωνος ἔν τε Γοργίᾳ καὶ ἐν νόμοις· διὰ τοῦτον δὴ οὖν τὸν θεὸν ἤδη θαῤῥοῦντες λέγωμεν, καὶ τὴν τῶν ἐθῶν τῶν πανταχοῦ δύναμιν ὑποστῆναι, μεγάλην μοῖραν ἐν τῷ κόσμῳ λαχοῦσαν· καὶ πολλὰ γίνεσθαι κατὰ ταύτην καὶ ἐν θαῖς ἡμετέραις ψυχαῖς· καὶ ὥσπερ οἱ μὲν ἀληθεῖς νόμοι τῶν κοσμικῶν εἰσι νόμων εἰκόνες, οἱ δὲ ἡμαρτημένοι νόμοι μὲν ἀλλ' ἐσκιαγραφημένοι τινὲς ὄντες, ἀποπτώσεις ἐκείνων ὑπάρχουσιν, οὕτω καὶ ἔθη τὰ μέν ἐστιν ἐν ταῖς ἡμετέραις ζωαῖς ἐοικότα τοῖς τῶν ὅλων, τὰ δὲ εἴδωλα ἐκείνων ὄντα τυγχάνει· κράτος δὲ ὅμως ἔχει καὶ ταῦτα μεταλλάττειν τάς τε λήξεις ἡμῶν, καὶ τὰς ἐν τῷ παντὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας· ἀλλὰ θούτων μὲν ἄδην.

13. Ἐπανελθόντες δὲ εἰς τὰ προκείμενα λέγωμεν, ὅτι τριῶν διαφόρων εἰδῶν πρὸς ἄλληλα ῥηθέντων, τὸ μὲν ἐλεεινόν ἐστιν, ἐν οἷς εἰς ἄλογα μὲν ζῷα ψυχὰς εἰσδυομένας παραδίδωσιν ἀλλὰ ἀστειότερα τῶν ἄλλων, καὶ ταῦτα δοκούσας ἡρωϊκὰς εἶναι, τοιαύτην ἀπόπτωσιν ἔχειν διὰ πάθος τηλικαύτας ψυχὰς· τὸ γελοῖον ἐν οἷς αἰσχρὰς εἰς ὅμοια ζῷα πιπτούσας ἱστορεῖ· τί γὰρ ἄλλο τὸ γελοῖον ἐστιν, ἢ τὸ αἰσχρὸν μετὰ ἀσθενείας; δι' ἀδυναμίαν οὖν ζωῆς καὶ εὐτέλειαν εἰς ἄλλα ζῷα τοιαῦτα φερομένας, εἰκότως ἀποκαλεῖ γελοίας· τὸ δὲ θαυμάσιον, ἐν οἷς ἱρεῖ τινὰς ψυχὰς ἐπιστατικῶς αἱρεῖσθαι τοὺς βίους, οὐκ ἐπιπηδώσας ἀλόγως τοῖς ὑπ' ὀφθαλμοῖς· διὸ καὶ μεταβάλλειν τὰς τοιαύτας ἀπὸ χειρόνων τινῶν βίων εἰς ἀμείνονας, ἢ ἐξ ἀνθρωπίνων εἰς ἀνθρωπίνους, ἢ καὶ ἐξ ἀλόγων εἰς λογικὰ ζῷα μεθισταμένας, εἰ δὲ βούλει καὶ ἄλλον τρόπον· τὸ μὲν θαυμάσιον, τῆς ἀρίστης ἐστὶ ζωῆς, καὶ εἰς εὐδαιμονίαν ἀγομένης· τὸ δὲ ἐλεεινὸν, τῆς ἐναντίας πρὸς ταύτην, καὶ τοῦ οἰκείου τέλους ἐκπεσεῖν κινδυνευούσης· τὸ δὲ γελοῖον τῆς μήτε ἀγαθὸν μέγα μήτε κακὸν ἐχούσης, αἰσχρᾶς μὲν οὔσης καὶ διὰ τοῦτο οὐδαμῶς εὐδαιμονικῆς, ἀσθενείᾳ δὲ συνούσης, καὶ διὰ τοῦτο οὐ παντελῶς κακοδαιμονίαν ἀπειλούσης· καὶ γὰρ τῷ ὄντι πᾶς μὲν θαύματος ἄξιος βίος, εἰς εὐδαιμονίαν φέρων· πᾶς δὲ ἐλεεινὸς, εἰς κακοδαιμονίαν ὠθῶν· ὁ δὲ ἐν μέσῳ τούτων εὐτελὴς τε ὢν καὶ αἰσχρὸς, γελοῖος ἂν εἰκότως ἐπονομάζοιτο διὰ τὴν ἀμφοτέρων τούτων συμπλοκήν.

14. Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ εἰς ἄλογα ζῷα μεθίστησιν τὰς ψυχὰς ὁ μῦθος, τῶν δὲ παλαιῶν οἱ μὲν κατὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς πρὸς τὴν ἄλογον ἀπεῦξαντο τὴν μεταβολὴν, οὐ σωμάτων λέγοντες ἔνδυσιν ἀλόγοις ζῴοις προσηκόντων, ἀλλὰ ζωῆς προχείρισιν ἐκείνοις οἰκείαν· εἶναι γὰρ καὶ ἐν ἡμῖν πάντα ὅσα καὶ ἐν ἐκείνοις, καὶ ζῆν ἡμᾶς ποτὲ μὲν καθ' ὃ κοινωνοῦμεν τοῖς ἀλόγοις ἀλογωθέντας· οἱ δὲ γὰρ οὐκ ἀπέχουσι κυνῶν ἀλόγων πολὺ μέτρον, οἱ ζῶντες πονηρὰν ζωὴν, φησὶ τὸ λόγιον· ποτὲ δὲ καθ' ὃ διεστήκαμεν ἐκείνων· ὃ γὰρ ἂν ζῶμεν, τοῦτό ἐσμεν· εἰ μὲν κατὰ λόγον, ἄνθρωπος· εἰ δὲ κατ' ἀλογίαν, θηρίον· οἱ δὲ καὶ

σφόδρα ταῖς εἰς τὰ ἄλλα πάντα ζῷα τῶν ἡμετέρων ψυχῶν μεταστάσεσιν ἐπίδραμον, οἱ πνεύματι τὴν ψυχὴν ἐοικέναι φάσκοντες συναλλοιουμένῳ τοῖς περιέχουσιν καὶ συσχηματιζομένῳ· καὶ γὰρ ἐν ἡμῖν οὖσαν, τοῦτ' ἔστι τοῖς ἡμετέροις σώμασιν, εἶναι λογικὴν· καὶ ἐν τοῖς τῶν ἀλόγων, ἄλογον· ἐπεὶ δ' οὖν ταῦτα πολλοῖς δὴ τισιν ῥήσεσιν, τὰς μὲν ἀκριβεστάτας τούτων ἐξεστάσεις ἐν τοῖς εἰς τὴν παλινῳδίαν ἡμῖν τοῦ Φαίδρου γεγραμμένοις (1) πεποιημένοις, περιττὸν ἡγούμεθα καὶ ἐν τούτοις, αὖθις ἀριζήλως εἰρημένα ἐν ἐκείνοις μυθολογεύειν· συντόμως δὲ τὰ συμπεράσματα τῶν ἐκεῖ πεπεισμένων ἐνταῦθα παραθώμεθα, διὰ τὸ μὴ δὲ τὸν τόπον τοῦτον ἀνενόχλητον ὑπὸ τῶν ἐξηγητῶν ἀπολειφθῆναι, τῶν διὰ τὸ δόγμα τοῦτο πρὸς ἀλλήλους ἀντιῤῥήσεων.

15. Λέγωμεν δ' οὖν ὅτι πάντως μὲν κατὰ τὴν Πλάτωνος ψῆφον, μετιέναι τὴν ψυχὴν εἰς ἄλογα ζῷα διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς ζωῆς, καὶ ἡμεῖς φαμὲν, ἀλλ' οὐκ ἐνοικίζεσθαι τοῖς σώμασιν αὐτῶν· αἱ γὰρ φυσικαὶ διοργανώσεις μάχονται πρὸς τὴν τοιαύτην κατάταξιν (2)· ἐν σχίσει δὲ μόνῃ τῆς ζωῆς συνδεῖσθαι πρὸς τὴν ἐκείνων ψυχὴν, τὸ οἰκεῖον σῶμα ψυχώσασαν, οὐδὲν τῆς ἀνθρωπίνης προσδεομένην· τοῦτο γὰρ καὶ ὁ ἀσιναῖος Θεόδωρος αὐτὸς πρῶτος ἐπιβάλλων καὶ ἡμᾶς ἀνέπεισε φρονεῖν τε καὶ γράφειν· συνάπτειν δὲ ἑκάστην τὸ πρόχειρον πάθος, συνειλκυσάμενον τὸ τῆς ψυχῆς κύτος εἰς τὴν ἑαυτοῦ ζωὴν καὶ ὁρμήν· τοῦτο γὰρ καὶ ὁ μέγας ἱκανῶς κατεδήσατο Πλωτῖνος· ὥστ' ἔχειν ἡμᾶς παρ' ἀμφοτέρων, καὶ τί τὸ συνδετικὸν ἡμῶν πρὸς τὰ ἄλογα, καὶ ὅτι πάθος μὲν, συγγενὲς δὲ ἐκείνοις οἷς ἂν συνδεώμεθα· κρατεῖ γὰρ καὶ ἐκείνων ἄλλο ἐν ἄλλοις, καὶ ἐν ἡμῖν ἄλλο ἐν ἄλλοις· τὸ οὖν

(1) In margine: *ζητητέον σοι τὰ εἰς τὸν Φαίδρον τοῦ Πλάτωνος Πρόκλου σχόλια.*

(2) Absurdissimam metempsychoseos ab homine in alium hominem, vel etiam in bruta, sententiam quis iam refutare laboret? quae et impia est, nullo prorsus fundamento nixa, quaeque vel hoc uno, ut ait heic Proclus, argumento subvertitur, quod nempe rationalis anima corpori copulari nequit organis carente rationali operi idoneis. Ipse mox Proclus rem hanc totam appellabit figmentorum pelagus.

κρατοῦν, καὶ μέν τοι καὶ ὅπως ἡ συναφὴ τούτων γίνεται, καὶ ὅτι κατὰ τὴν ἐν σχέσει ζωήν, ἐν ἡμῖν μὲν γὰρ πάρεστιν ἡ ἡμετέρα ψυχὴ, θάλον ὡς ἐν κατατάξει, καὶ ἐν τοῖς ἀλόγοις ἡ ἐν αὐτοῖς· ἡ δὲ ἐν ἡμῖν πρὸς τὴν ἐν ἐκείνοις ἐν σχέσει γενομένη ψυχὴ, τὸ ἄλογον ἔξωθεν ἐφεσταῦσα σχετικῶς· ἐπεὶ καὶ ἐν δαίμοσιν γίνεται καὶ ἐν θεοῖς, καὶ δαίμων κατὰ σχέσιν καὶ θεὸς, ἀλλ' οὐκ αὐτοδαίμων καὶ αὐτοθεὸς, ὧν ἡ ὕπαρξις ἐστὶν δαίμοσι πρίπουσαν καὶ θεοῖς· ἔοικεν γὰρ καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω διαβάλλουσα καὶ ἐπὶ τὸ κάτω, γίνεσθαι πάντα ἐν σχέσει καὶ τὰ πρὸ αὐτῆς καὶ τὰ μετ' αὐτὴν, καὶ συμφύεσθαι πᾶσι· ψυχῆς γὰρ ὄντως ἀληθοῦς ἐν τοῖς βίοις τάξιν οὐκ ἐνεῖναι· φέρεσθαι δὲ αὐτὴν ἐφ' ἑκάτερα, καὶ μέχρι τἀγαθοῦ, καὶ μέχρι τοῦ ταρτάρου, καὶ γίνεσθαι διὰ μὲν νοῦν καὶ τὸ ὑπὲρ νοῦν δαιμονίαν καὶ θείαν, διὰ δὲ ὄρεξιν ἄλογον καὶ γνῶσιν, ἄλλο καὶ ἄλλό τι τῶν ἀλόγων.

16. Ὅτι δὲ καὶ ὁ Πλάτων οὐ τοῖς σώμασιν ἐνοικίζει τοῖς τῶν ἀλόγων τὴν ἡμετέραν ψυχὴν . . . τὴν δὲ εἰς κύκνον . . . τὴν δὲ εἰς ἀετὸν, τὴν δὲ . . . τὴν δὲ ἐνδύεσθαι πίθηκον μάλα γελοίως· ἀλλ' οὐχὶ σώματα τούτων ἀμπίσχεσθαι τῶν ζῴων· οὐ γάρ που τὸν κύκνον καὶ τὸν λέοντα, καὶ τὸν πίθηκον σώματι δηλοῦν, ἀλλ' οὐχὶ τα ἐκ ψυχῶν καὶ σωμάτων ῥητέον· δηλοῖ δὲ ἐπὶ τοῦ ἐξ ἀνδρὸς εἰς γυναικὸς μεθισταμένου βίον, οὐκέτ' εἰπὼν εἰς γυναῖκα εἶναι, ἵνα ἂν ἐποίησεν κατὰ σχέσιν, καὶ ταύτην ὥσπερ ἐκείνας τὴν ψύχωσιν, ἀλλ' εἰς γυναικὸς φύσιν τεχνικῆς· ἡ δὲ φύσις ὅτι σώματός ἐστιν ἰσχάτη ζωὴ δῆλον· εἰς ταύτην συνέρχεται γενομένην ἐκ τοῦ παντὸς, καὶ ἐνδύεται οὐ ζῷον, αὕτη γὰρ ποιεῖ τοῦτο ζῷον, ἀλλὰ σῶμα φυσικόν· συλλήβδην οὖν εἴπωμεν δυνατὸν εἶναι τὴν ψυχὴν εἰς ἄλογα ζῷα χωρεῖν, καὶ ἐξ ἀλόγων εἰς ἄνθρωπον· οὐ πάσης τῆς ἐν τῷ ἀλόγῳ ζωῆς μετιούσης, ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπίνης· οὕτω γὰρ καὶ ὁ ἐν Φαίδρῳ Σωκράτης σαφέστατα διώρισεν, ὅτι δὴ καὶ ἐκ θηρίου μέτεισιν ὅς ποτε ἦν ἄνθρωπος εἰς ἄνθρωπον· διττῆς οὖν οὔσης τοῦ ἀλόγου ψυχώσεως, τῆς μὲν ἐν κατατάξει, τῆς δὲ ἐν σχέσει, τὴν ἐν σχέσει μόνον εἶναι τὴν αὖθις εἰς ἄνθρωπον μετιοῦσαν, καὶ γινομένην

πάλιν ἄνθρωπον· καὶ ὡς αὗται αἱ παραφοραὶ τῶν ψυχῶν, οὐκ εἰσὶ τῶν νεοτελῶν· οὐ γὰρ νόμος φυτεῦσαι τὴν ψυχὴν εἰς θήρειον φύσιν ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει· σφαλεῖσαν γὰρ αὐτὴν ὁ τοιόσδε διαθίχεσθαι τρόπος τῆς ψυχώσεως· καὶ γὰρ οὐκ ἦν θεμιτὸν, ἀμέσως τῇ θηριώδει ζωῇ συνάψαι τὴν νοερὰν· ἀλλὰ διὰ μέ . . . καὶ πάθος τοσαῦτα προειλημ . . . ὅπερ εἴπομεν ἐξητασμένου μοι τούτου τοῦ . . . ἱκανῶς ἐν τοῖς τῆς παλινῳδίας· ὁπ . . . ἐνταῦθα δὲ προκειμένων ἄλλων εἰς ἐξ . . . δὲν τούτου λειπομένων εἰς τὸ δυστόπαστον . . . μὲν γὰρ ἔφη ψυχὴν τὴν τοῦ ποτε Ὀρφέως γεγενημένην κύκνου βίον αἱρουμένην μίσει τοῦ γυναικείου γένους ἕως τοῦ καὶ πάσας μίξεις μίγνυσθαι· (1) ὅτι μὲν παντελῶς ταῦτα ἀτοπίας μετὰ τοῖς ἀπερισκέπτως αὐτὰ μετιοῦσιν ἐστὶν, οὐδ' αὐτὸς ἄλλως ἂν εἴποιμι.

17. Τὸ γὰρ τὰς τῶν θείων ἀνδρῶν ψυχὰς, εἰσοικίζειν εἰς ἄλογα ζῷα, καὶ τὰς ἡρωϊκὰς ὑπερβολὴν οὐ καταλιμπάνειν τῆς περὶ ἐκείνης πλημμελείας, καί τοι γε μαρτυρομένων ἀκούω παμπόλλων, ὡς Πλάτων φρονεῖν περὶ ἐκείνων, οὐχὶ τοιαῦτα οἷα μῦθος οὗτος κατηγορεῖ· δηλοῖ δὲ τὰ ἐν ἀπολογίᾳ ῥηθέντα παρὰ τοῦ Σωκράτους, ὡς ἄρα πολλοῦ ἂν τιμῆσαι, τὸ ἐν ᾅδου συγγενέσθαι τοῖς Ὀρφεῦσιν, τοῖς Μουσαίοις, τοῖς Αἴασιν· ἤκουεν γάρ που καὶ τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων ἐξυμνούντων τὸν τὰς ἁγιωτάτας ἐκφήναντα τελετὰς· πῶς οὖν εἰκὸς τοιαύτας ἔχοντα περὶ ἐκείνων ἐννοίας, τοσαύτην αὐτῶν κατασκεδαννύναι τραγῳδίαν, ἢ τῷ Ἠρὶ πιστεύοντα τοιαῦτα περὶ τῆς λήξεως αὐτῶν παρὰ τὴν τελευτὴν φρονεῖν; πῶς δ' ἂν τις διανήξαιτο τοσοῦτον πέλαγος πλασμάτων, οὐ ῥᾴδιον ἔμοιγε καταφαίνεται· κύκνοι καὶ ἀηδόντες, ἀπὸ τῶν ταῖς μούσαις γεγόνασιν κατόχων· ἀετοὶ καὶ λέοντες ἀπὸ τῶν ἡρωϊκῶν· καὶ ταῦτα ἐν αὐτῇ τῇ πραγματείᾳ καταβοήσαντος αὐτοῦ τῶν ποιητῶν οἳ ἐποίησαν τοὺς ἥρωας ἀνθρώπων οὐδὲν περιττοὺς, ἀλλὰ τοῖς ὁμοίοις ἐνόχους πάθεσιν· εἶθ' ὁ τὰ

(1) In margine: πόθεν διεγιγνώσκομεν τοὺς βίους οὓς ἐτύγχανον αἱ ψυχαὶ πρότερον ἐζηκυῖαι, λέγεται ἐν τῇ ἐξηγήσει τῆς ἑξῆς ῥήσεως.

πάθη τῶν ἡρωϊκῶν ψυχῶν ἐν σώμασιστρεφομένων ἐξελῶν, μετὰ τὸ σῶμα διὰ πάθη τοῖς ἀλόγοις αὐτὰς ἐνεικονίζει ζῴοις.

18. Μήποτε οὖν ἄρα καὶ τῷ μύθῳ χαρισώμεθα, καὶ συγχωρήσωμεν ἃ βούλεται πλάττειν, καὶ τὸν Πλάτωνα τῆς εἰς τοὺς ἥρωας δυσφημίας ἐξέλωμεν, ἐκεῖνο ῥητέον, ὡς ἄρα διὰ τῶν τοιούτων πλασμάτων οὐκ αὐτὰς λέγει τὰς ψυχὰς ἐκείνας ὧν διαμνημονεύει νῦν ἡρώων, εἰς τὰ ἄλογα κατασπᾷν, ἀλλὰ ζῴων εἴδη αἰνίσσεσθαι διὰ τῶνδε τῶν ὀνομάτων, οἷα προσήκοντα μὲν ἦν τοῖς ὀνομαζομένοις, διὰ δέ τινας παθῶν προσθήκας, ἀνομοίως ἐκείνους μιμούμενα, κατέπεσεν εἰς ἀλογίαν ἀφομοιουμένην ἀλόγως τοῖς εἴδεσιν ἐκείνων· οἷον ἀπὸ τῆς Ὀρφέως ζωῆς καὶ τῆς Θαμύρου, ζωὴν ἐνδεικνύμενον μουσικὴν μέν τινα πάντως· διὰ δὲ πάθος ἄλογον, οἷον μῖσος ἢ ζῆλον ἤ τι ἄλλο τοιοῦτον, εἰς μουσικὸν πίπτουσάν τι ζῷον, ὃ δὴ τῷ μὲν εἶναι μουσικὸν ἔχει συγγενῶς πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην μουσικὴν· τῷ δὲ αὖ ἄλογον εἶναι, τὴν ἀλογωθεῖσαν ὑποδέχεται ψυχὴν διά τι πάθος· ἡ γὰρ τούτου πρόσθεσις, ἀλογίας αὐτὴν ἀπέφηνεν οἰκείαν.

19. Τεκμαίρομαι δὲ ταῦτα εἶναι ἀληθῆ, διότι καὶ ἐν Γοργίᾳ λέγοντος ἤκουσα τοῦ Σωκράτους, τοὺς Μίνωας καὶ τοὺς Αἰακοὺς καὶ τοὺς Ῥαδαμάνθυας δικαστὰς ἐν ᾅδου τῶν ψυχῶν καθῆσθαι, καὶ διὰ τούτων εἴδη ζωῆς δικαστικὰ σημαίνοντος· ἢ πῶς ἐκείνων διαζώντων τὸν τῇδε βίον, αἱ ἐν ᾅδου ψυχαὶ δίκης ἐτύγχανον; ἐκ γὰρ τούτων οἶμαι καὶ τῶν τοιούτων ἔθαργὲς εἶναι πᾶσιν ὅτι τοῖς ὀνόμασι τῶν ἡρώων εἰς ἔνδειξιν ἐν τοῖς μύθοις χρῆται τῶν εἰδῶν ὅλων τῆς ζωῆς, ἐν οἷς ἐκείναι διαφερόντως τὸν βίον διεξήγαγον· καὶ διὰ τοῦτο ἐκεῖ μὲν τὰς δικαστικὰς ψυχὰς ἀντὶ τῶν παντοίων, παρειλῆφεν δικαστικῶν τάξεων θείων τε καὶ δαιμονίων, ἀφ' ὧν ὡς ἔοικεν ἐγίγνωσκον οἱ κοινωνοὶ τῶν λόγων, καὶ ὑπὲρ ὧν οὐκ ἤδεισαν· διδάσκων ἀπὸ τῶν μερικῶν καὶ κατὰ σχέσιν, ἀντὶ τῶν ὁλικῶν καὶ καθ' ὕπαρξιν δικαστῶν· ἐνταῦθα δὲ τὰς μουσικὰς, ἀντὶ τῶν ὁμοίων ἐν τῷ παντὶ μουσικῶν ψυχῶν, τὰς ἐγνωσμένας ἀντὶ τῶν ἀγνώστων, τὰς ἀπαθεῖς ἀντὶ τῶν ἐμπαθῶν· ὡς εἰ σαφῶς ἔλεγεν ὅσα αἰνίσσεται διὰ τούτων, ἰδεῖν

ἂν εἶπεν οἵαν τὴν Ὀρφέως, οἵαν τὴν Θαμύρου ψυχὴν· διὰ δή τι πάθος εἰς κύκνους καὶ ἀηδόνας εἰσπηδῶσαν· καὶ τί τὸ πάθος ἀπὸ τῆς ἑτέρας τούτων ἐνδεικνύμενος, μίσει φησὶν τοῦ γυναικείου γένους, ἵνα μὴ ἐκ γυναικὸς γένηται βίον ἀνθρώπινον ἑλομένη· διὰ δή τι μῖσος εἰς κύκνον ᾤχετο, καὶ μουσικῆς ἔχουσα δυσαπαλλάκτως, καὶ τὸ ἀνθρώπειον ἐκκλίνουσα γένος· καὶ ὁ Θαμύρας δὲ μουσικός, ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὰς μούσας φιλοτιμίαν, πηρὸς γενόμενος· ἄλλως οὖν ἡ διὰ τούτου δηλουμένη ψυχὴ, μουσικὴ μὲν, πέρα δὲ τοῦ μέτρου φιλότιμος, ἐπέδραμεν ταῖς ἀηδόσιν· αἵ τε θαμὰ τρωπῶσιν ἠὴν πολυηχέα φωνὴν, καὶ ᾄδουσαι νυχίαι διατελοῦσι καλλωπιζόμεναι ταῖς ἑαυτῶν ποικίλαις καὶ ἐναρμονίοις φωναῖς.

20. Ἀποχρῆσθαι μὲν τοίνυν ἔοικεν τῷ κατὰ τὸν Ὀρφέα δηλοῦντι τὴν . . . μεμερισμένως αὐτῆς μετέσχεν διὰ τῶν σπαραγμῶν οἱ μύθοι δηλοῦσιν, καὶ τὸ κεφάλαιον αὐτὸς ἡ Λέσβος ἐδέξατο· τοῦτο δὴ κεφαλὴν Ὀρφέως προσειρήκασιν, ὅθεν καὶ ὄνομα ἔσχεν ἡ Λεσβία μοῦσα, καὶ τὸ μετὰ λέσβιον ᾠδὸν εἰς παροιμίαν ἐξενίκησεν· ἀποχρώμενος δὲ ἀντὶ τῆς ὑπεροψίας τῶν ἐκτεθηλυσμένων μελῶν, ἀπέχθειαν πρὸς τὸ θῆλυ πᾶν λαβὼν, ἐμπαθῆ ποιήσας μουσικὴν ψυχὴν πρὸς ἀνθρωπίνην φύσιν, καὶ ζωὴν μεθιστάνειν πᾶσαν τοιάνδε, κἂν ἡ μουσικὴ, ζωὴν εἰς ἀλογίαν, οὔτε ἔξω μουσικῆς ἣν ἐπετήδευεν, οὔτε ἀνθρωπίνην ἣν ἐξέκλινεν· οὐκ ἄρα οὐδὲ ὁ μουσικὸς βίος σῴζει τὴν ψυχὴν, ἄνευ ἀπαθείας· ἀλλὰ καθάπερ ὁ ἐρωτικὸς, καὶ οὗτος ἀνάγει μετὰ φιλοσοφίας· πάθος δὲ ὑποσυμμιγὲς αὐτῷ γενόμενον, ἀλόγοις συνάπτει ζῴοις μουσικοῖς, ταῦτα μὲν οὖν περὶ ψυχῶν ἀνθρωπίνων, μουσικῶν μὲν, οὐκ ἄνευ δὲ πάθους, πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀπεχθανομένων φύσιν· δεῖ γὰρ ὡς ἔοικεν ἀσχέτου ζωῆς ταῖς μὴ πεσουμέναις εἰς ἀλογίαν· εἰ δὲ καὶ κύκνος, εἰς ἀνθρώπινον βίον μεθίστατο ἢ καὶ ζῷα ἄλλα μουσικὰ, πολλὰ δὲ τὰ τοιαῦτα, παντὶ δήπου δῆλον ὅτι ψυχαὶ μὲν ἦσαν ἐν τούτοις ἀνθρώπιναι, πάλιν δὲ ἐπανῆσαν εἰς τὴν ἑαυτῶν τάξιν ἀπὸ τῶν χειρόνων οἰκήσεων· οὐ γὰρ ἥ γε μή ποτ' εἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν, εἰς τόδε ἥξει τὸ σχῆμα, φησὶν

ὁ ἐν τῷ Φαίδρῳ Σωκράτης, οὐ πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς ἀλόγοις ζωὴν μετοικίζων εἰς ἀνθρώπους, ἀλλὰ τὴν . . . καὶ λεγέσθω πᾶσα μὲν ψυχὴ μουσικὴ, Ὀρφέως ἢ Θαμύρου τινὸς ἂν τῶν μάλιστα μουσικῶν λαβοῦσα τὴν ἐπωνυμίαν· πάθος δὲ αἴτιον ἄμουσον καὶ φιλόσοφον τῆς εἰς ἄλογα ζῷα πορείας.

21. Διττῆς δὲ οὔσης μουσικῆς, τῆς μὲν ἐν Ὀρφεῖ τεθεωρημένης, τῆς δὲ ἐν Θαμύρᾳ, Καλλιόπης μὲν γὰρ ἐκεῖνος υἱὸς διὰ τὴν ἔνθεον μοῦσαν, πηρὸν δὲ τοῦτον ἔθεσαν αἱ μοῦσαι διὰ τὴν ἄμιλλαν τῆς ἀνθρωπίνης μουσικῆς, παρὰ τὴν θείαν ἑκατέραν πάθει χραινομένην εἰς ἀλογίαν ἄγειν, καὶ τὰς ἐνθέῳ μουσικῇ καὶ τὰς ἀνθρωπίνῃ χρησαμένας, ὡς ἄνευ φιλοσοφίας μὴ δὶ τὰ δοκοῦντα εἶναι δαιμόνια σώζειν τὰς ψυχάς, μόνη γὰρ αὕτη προξενεῖ τὴν ἀπαθῆ ζωήν· καὶ μουσικὴ δὲ καὶ ἐρωτικὴ καὶ πᾶς ἄλλος βίος, πάθους μέτοχος ὤν, ἀλογίᾳ συνάπτειν πέφυκεν· φιλοσοφεῖν μὲν γὰρ οὐδὲν δύναται τῶν ἀλόγων· μουσικὴν δὲ φυσικὴν ἴδοις ἂν καὶ ἐν ἐκείνοις, καὶ ἐναβρύνεταί γε ταῖς ᾠδαῖς ἐκείνων πολλὰ μᾶλλον ἢ ἄνθρωποι· μέτεστι γὰρ αἰσθήσεως ἐκείνοις· μουσικὴ δὲ καὶ ἐρωτικὴ, προσχρῶνται ταῖς ἀκροτάταις τῶν αἰσθήσεων· φιλοσοφία δὲ πάλαι καταψηφίζεται πάσης αἰσθήσεως· ὡς οὔτε ἀκούομεν ἀκριβὲς οὐδὲν, οὔτε ὁρῶμεν ἀπελέγχουσα καὶ διαμαρτυρομένη· λόγον δὲ πείθουσα μόνον ἡγεμόνα προίστασθαι καὶ νοῦν· ὥστ' εἰκότως αὕτη . . . ται τῶν εἰς τὴν ἀλογίαν φερουσῶν ὁδῶν· τίνα μὲν οὖν τρόπον ἄλλον, εἰ μὴ χρὴ καὶ τῶν ὀνομάτων τούτων καὶ τῶν πλασμάτων ἱκανῶς ὑπεμνήσαμεν, τοῦ Ὀρφέως, τοῦ Θαμύρου, τοῦ Αἴαντος, τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὅλως τῶν ἡρωϊκῶν ψυχῶν· τοσοῦτον δὲ τοῖς ἔμπροσθεν προσθετέον οἷς περί τε Ὀρφέως εἴπομεν καὶ Θαμύρου περὶ τῶν λοιπῶν, ὡς ἡ μὲν Αἴαντος ψυχὴ, πᾶσαν δηλοῖ ζωὴν ἀνδρικὴν μὲν, πλεονάζουσαν δὲ κατὰ τὸν θυμόν.

22. Ἴσως δὲ ἄν τις ἀπορήσειεν, πῶς τῆς ἀπὸ γενέσεως ἐπὶ γένεσιν προαποκαταστάσεως τῶν ψυχῶν τελίας, χιλιοστῆς οὔσης πορείας, ὁ τῶν θεαμάτων τούτων ἄγγελος, ἰδεῖν φησὶν τὴν Ὀρφέως ψυχὴν καὶ τὴν Αἴαντος καὶ τὰς ἄλλας εἰς γένεσιν ἐρχο-

μένας, αἷς οὐκ ἴσος ἦν χρόνος τοῦ τε παρόντος βίου καὶ τοῦ προτέρου, καὶ ὅλως οὐδεμιᾶς χιλίων ἐτῶν ἀριθμὸν· καὶ ψυχὰς τὰς μὴ ἅμα βεβιωκυίας, εἰς δευτέραν γένεσιν ἄγειν ὁμόχρονον, καὶ συγκλήρους ποιεῖν· ἡμεῖς μὲν οὖν καὶ τὸν τῆς χιλιάδος ἀριθμὸν ὅπως ἀκούειν δεῖ συμβολικῶς, καὶ τὰ ὀνόματα τῶν ἡρωϊκῶν ψυχῶν προείπομεν, καὶ κατὰ ταύτας τὰς ἐπιβολὰς, οὐδέν ἐστιν ἐναντίον· εἴπερ ὁ μὲν εἶδός τι ζωῆς δηλοῖ περιοδικῆς, τὰ δὲ βίων διαφορὰς ὁμοίων ἐκείναις ταῖς ψυχαῖς, ἀλλ' οὐκ αὐτὰς ἐκείνας· οὐδὲ μαθηματικὸν ἀριθμὸν τὸν χίλια· δεῖ δὲ μήτε τὴν τῶν πρὸ ἡμῶν τινος ἐπιβολὴν ἀποκρύψασθαι, Ναυμάχιον λέγω τὸν ἠπειρώτην, οὗ καὶ προτέρου ἐμνήσθην· τὰς ἱστορίας παρατιθέμενος τῶν ἀναβίωσιν ἐχόντων ἃς ἐκεῖνος ἤθροισεν· περὶ γὰρ . . ἀναβιώσεως . . εἰρημένην ἀπορίαν ἀξιοῖ . . τὸν ἄγγελον τῶν θεαμάτων τούτων θ . . ραν ἀλλαξάμενον ζωὴν τὴς μετὰ τοῦ σώματων οὕτως ὁρᾶν τὰς ψυχὰς τὰς αἱρουμένας τοὺς βίους ὡς κρείττους ἡμῶν τὸ δαιμόνιον . . ὥσπερ οὖν οἱ θεοὶ καὶ τὰ μήπω παρόντα καὶ ὁρῶσιν ὡς ἤδη παρόντα, καὶ τὰ μὴ ἅμα ὄντα ὡς ἅμα, πάντα γὰρ ἐκείνοις ἅμα, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸν Ἤρα κατὰ τὸ ἐν ἑαυτῷ θεῖον, καὶ τὰς οὐχ ἅμα κατιούσας ψυχὰς ὡς ἅμα κατιούσας θεᾶσθαι· τοιαύτην γὰρ εἶναι πᾶσαν τὴν θείαν νόησιν, καὶ τὴν ἐν ἡμῖν· ταύτας δὲ θεᾶσθαι, καὶ οὐκ ἄλλας ὡς ἔχοντά τινας περὶ αὐτῶν ἐννοίας· καὶ τοῦτο μὲν ὡς ψυχὴν πάσχειν, τὸ ἀφ' ὧν ἔχει τὴν περὶ ψυχῶν ἁπλῶς θεωρίαν ποιεῖσθαι, τὸ δὲ ὡς παρόντα ὁρᾶν τὰ μὴ παρόντα, καὶ ἅμα τὰ μὴ ἅμα, ὡς θείως ἐνεργοῦσαν.

23. Τοσαῦτα μὲν ὁ Ναυμάχιος ἐξυπόρησεν, εἰς λῦσιν τῆς προτεθείσης ἀπορίας· διὰ δὴ τινα φειλόνεικον ψυχῆς ἕξιν, καὶ διὰ ταύτην ἐνδυομένην εἰς ἀνδρικὸν μὲν ζῷον, ἄλογον δὲ, τὸ γὰρ φιλόνεικον προσκείμενον τῷ ἀνδρικῷ, συνάπτειν πρὸς ἀλογίαν· ἡ δὲ τοῦ Ἀγαμέμνονος βασιλικὸν μὲν ἐπιδιώκουσαν αἰνίσσεται βίον ἐξηρημένον τῶν πολλῶν· τοιοῦτος γὰρ ὁ βασιλεύς· διὰ δὲ πάθος ἕτερον μῖσος πρὸς ἀνθρώπους, εἰς ἀετὸν μετοικιζομένην· δίιος γὰρ καὶ ὁ ἀετὸς, καὶ ἐν ὕψει πετόμενος, καὶ βασιλεύων τῶν

πτηνῶν, λόγου δὲ ἄμοιρος· διὸ πρὸς τὸ ὅμοιον ἡ τοιάδε ψυχὴ χωροῦσα, τὸν ἀεὶ οὖ βίον ἀλλάττεται, καὶ . . . ἀπὸ γυναικὸς εἰς ἀθλητικὸν . . ἀνδρός· καὶ γὰρ ἐν γυναιξὶν οὖσα τὴν ἀνδρικὴν ἐπεδίωκεν ζωήν· ὁ δὲ ἀπὸ ἀνδρὸς εἰς γυναικεῖον, τεχνικὸν· καὶ γὰρ εἰς ἄνδρα τελῶν τεχνικὸς μὲν ἦν, ὅς γε καὶ τὸν ἵππον ἐτεχνήσατο, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ· ζωῆς δὲ ἀνδρικῆς ἄμοιρος, ὅς γε καὶ φησὶν ἡ οὐχ ἅλις ὅττι μάχης ἐπιδεύομαι· μίτεισι τοίνυν εἰς τὸ προσῆκον ἡ μὲν εἰς τὴν ἀνδρωνῖτιν, ὁ δὲ εἰς τὴν γυναικωνῖτιν· καὶ ἔστιν ταῦτα ζωῆς εἴδη κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ζωήν, ἄνω τε καὶ κάτω διαβάλλοντα· διὸ καὶ φησὶν ἐν μέσοις λαχεῖν αὐτὰ τὴν τάξιν, ὡς τῆς μεσότητος οὐκ ἐξιστάμενα τῆς ἀνθρωπίνης· εἰ δὲ δὴ τὴν Αἴαντος εἰκοστὴν εἶπεν λαχεῖν, δηλούτω μὲν εἰ βούλει διὰ τῆς εἰκοσάδος, τὴν κατὰ θυμὸν ζωὴν προσεχῶς ἐκβᾶσαν ἀπὸ τῆς κατὰ λόγον· τῷ μὲν λόγῳ τῆς δεκάδος πρεπούσης, ὥσπερ τῷ νῷ τῆς μονάδος· τῷ δὲ θυμῷ τῆς εἰκοσάδος ὡς μετὰ λόγον τεταγμένῳ· τοιαῦτα γὰρ ὁ ἡμέτερος φιλοσοφεῖ περὶ τούτων πατήρ· δηλούτω δὲ καὶ ὅσα φησὶν ὁ Πορφύριος παρ' Αἰγυπτίων μαθόντα τὸν Πλάτωνα περὶ τῶν ἀναφορικῶν χρόνων, ἐνδείκνυσθαι διὰ τούτων, ὡς ἄρα κατὰ τὰς ἀναφορὰς τῶν τοὺς βίους ὁριζόντων χρόνων, εἰκοστὴν εἶχεν τάξιν ἡ τοῦ Αἴαντος αὕτη ψυχή· καὶ τοῦτο ἀποβλέπων εἰς τὸ πᾶν, ὁ τῶνδε τῶν λόγων ἄγγελος, ἠρίθμει τὴν τάξιν, λέγω τῶν ψυχῶν τῶν πρώτων ἢ δευτέρων ἢ εἰκοστῶν ἢ ἄλλως ὅπως οὖν αἱρουμένων.

24. Καὶ γὰρ ἡμεῖς ἐντυγχάνομεν σφαίραις βαρβαρικαῖς Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων καὶ τὰς μοίρας τοῦ ζωδιακοῦ . . βίων . . εἰ τύχοι βασιλικὴν . . παράδοξον ἀκούσαις, ἐμπορικὴν . . χείρονα τῆς ζωῆς, καὶ ἄλλην ἱερέως, καὶ τὴν μετ' αὐτὴν δούλου· καὶ τὸ τοῦδε χεῖρον ἠρυθριακότος πρὸς τὴν ἄῤῥενα φύσιν· ὡς οὐδὲν θαυμαστὸν καὶ τὰς συγκλήρους ψυχὰς τὸ πρωτεῖον ἔχειν καὶ μέσον καὶ ἔσχατον τὰ τὰς ἀναφορὰς τῶν μοιρῶν, εἴπερ καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν βίων κατ' αὐτὰς ὡς αἱ εἰρημέναι σφαῖραι διασημαίνουσιν· ὧν μίαν τινὰ κράτος ἐπιγραφομένην εὕρομεν, καὶ ἄλλην εἰς ἄλλον ἀναφερομένην πατέρα τῶν λόγων· πάσας δὲ, ὅπερ

ἔφην, τὸν βίον ταῖς τῶν μοιρῶν ἀφοριζούσας ἰδιότησιν, ὡς τοῦ ποιοῦ τοῦ κατὰ τοὺς βίους ἀποτελουμένου, διὰ τοὺς ἀστέρων πρὸς τὴν μοῖραν σχηματισμούς· τούτοις τοίνυν ἑπομένως ἡ τοῦ γελωτοποιοῦ Θερσίτου ψυχὴ, πίθηκον ἐνεδύσατο, φησίν· γελωτοποιὸς μὲν οὖν ἦν Θερσίτης· ὅτι οἱ εἴσαιτο γελοῖον ἀργείοισιν, λέγων· τὸν δὲ πίθηκον ἐνδύεται, διὰ τὴν τοῦδε τοῦ ζῴου φύσιν καταγέλαστον ὄντως οὖσαν, τῷ μιμεῖσθαι τὴν ἀνθρώπου ζωὴν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αἴσχιον· ἅπας οὖν μετὰ τοῦ αἰσχροῦ καὶ ἀσθενοῦς γελοῖος ὢν, πιθηκόμορφός ἐστιν, ὥσπερ λεοντόμορφος ὁ ἀνδρικὸς, μετὰ φιλονείκου καὶ θυμικοῦ πάθους, καὶ ἀετόμορφος βασιλικὸς μετὰ τῆς πρὸς τὸ ἀνθρώπινον γένος ἀμαθείας· καὶ ἐφ' ἑκάστων τρόπος ὁ αὐτὸς, τὰ μὲν εἴδη τῆς ζωῆς λαμβάνων ἀπὸ τῶν ἡρωϊκῶν ψυχῶν· τὰ δὲ ἀπὸ τῆς ἱστο . . . οἱ δὲ ὅμοιον μὲν . . ως ἔχοντες τὸ τῆς ζωῆς εἶδος, τοῖς δὲ πάθεσιν ἐνισχόμενοι, τοιούτοις ζῴοις ἀλόγοις ἐνῳκίσθησαν, μονονουχὶ βοᾷν οἰητέον τὸν παρόντα μῦθον, μὴ τὰ δοκοῦντα εἶναι ἀγαθὰ μετὰ παθῶν· ὦ ψυχαὶ μετέρχεσθε· τοῦτο γὰρ ὑμᾶς εἰς ἀλογίαν κατάξει, παρ' ἣν φυσικῶς ἐστιν ταῦτα καὶ ἀπαθῶς, οἷον τὸν μουσικὸν εἰς ἄλογον ἀνδρίαν, τὸν βασιλικὸν εἰς ἄλογον βασιλείαν, καὶ ποιήσει κύκνους, λέοντας, ἀετούς· ἔστι γὰρ ταῦτα καὶ ἀλόγως ἔχειν καὶ λογικῶς· ποιεῖ δὲ ἀλογίαν ἐμπαθὴς ζωὴ, καὶ ἀνθρωπίνην ἀπαθής.

25. Ὅτι δὲ οἱ εἱρημένοι βίοι πάντες συνᾴδουσι τοῖς ἐν Φαίδρῳ βίοις, εὔδηλον· καὶ γὰρ ὁ μουσικὸς ἦν ἐν ἐκείνοις, καὶ ὁ βασιλικὸς, καὶ ὁ πολεμικὸς, καὶ ὁ τεχνικὸς, καὶ ὁ γυμναστικὸς, καὶ ὁ μιμητικὸς, οἷον ἐπεδίωκεν ὁ τὸν πίθηκον ἐνδυόμενος ἐπὶ τὸ αἴσχιον, ὡς Ἐπειὸς τὸν τεχνικὸν· ὡς ἡ Ἀταλάντη τὸν γυμναστικὸν, καὶ οἱ λοιποὶ τῶν εἱρημένων τοὺς λοιποὺς· ἐπεσχάτως τοίνυν ἡ Ὀδυσσέως ψυχὴ· λεπτὸν δὲ καὶ ταύτην εἶδος εἶναί τι ζωῆς ἐνδεικνυμένην, ὥσπερ τὰς ἄλλας ἐκείνας, τὸ ἔμφρον ἐν ταῖς τῶν βίων αἱρέσεσιν· αὕτη τοίνυν ἰδοῦσα βίον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἠμελημένον, ἐσχάτη δὲ λαχοῦσα φησὶν αὐτὸς διὰ τύχην, ἧς ἔργον τὸ συνλάττειν ἡμᾶς πρὸς τὸ πᾶν· ταύτην οὖν ἔχουσα τοῦ

κλήρου τὴν τάξιν, ὅμως διὰ φρόνησιν εἵλετο βίον ἄριστον, πόνων λελωφηκυῖα φησὶν καὶ φιλοτιμίας . . . ὁ Πλάτων, ὡς ἀπὸ τῆς . . ἐπὶ τὸ ἄνω πορευομένοις . . λελειμμένης· ἑλέσθαι δ' οὖν τὴν τοιαύτην τύχην τὸ ἄριστον ἐκ τῶν ἐνόντων, οὐκ ἀπ[ερισκέ]πτως ἑλομένην, ἀλλὰ ζητοῦσαν ἐκ τῶν λοιπῶν· τοῦτο δὲ ὡς ἂν πλειόνων ἔτι ὄντων ἀμείνω, καὶ περιοῦσαν· ὁ δὴ σημαίνει τὴν μεταβατικὴν τοῦ λογισμοῦ τῆς διανοίας ἐνέργειαν· κρίνασαν δ' οὖν τὸν ἰδιώτου καὶ ἀπράγμονος βίον ἄριστον, ἑλέσθαι τότε τὸν τοιοῦτον· ἀντιδιῄρηται δὲ ὁ μὲν ἰδιώτης, πρὸς τὸν τυραννικὸν καὶ ὅλως ἀρχικὸν καὶ φιλότιμον· ὁ δὲ ἀπράγμων, πρὸς τὸν ἐπίπονον· εἴρηται γὰρ ὅτι πόνων ἐλελωφήκει καὶ φιλοτιμίας· ἑλομένην δὲ τὸν τούτων ἀπηλλαγμένον, εἰπεῖν ὅτι τοῦτο ἂν εἵλε τὸν βίον, καὶ πρὸ τοῦ τῶν ἄλλων τυχοῦσα κλήρου.

26. Καὶ πάλιν ὑπομνηστέον ὅτι τοῦτο δείκνυσιν, ὡς ἄρα οἱ κλῆροι περιέχουσιν οἱ πρότεροι τοὺς δευτέρους· καὶ ὅσοι μὲν τοῖς δευτέροις βίοι προτίθενται, καὶ τοῖς προτέροις, οὐ μήν τοι καὶ ἀνάπαλιν, ὡς ἐξ ἀφθονωτέρων καὶ πλειόνων τοῖς ἀεὶ προτέροις κληρουμένοις, τῆς αἱρέσεως ὑπαρχούσης· οὐ γὰρ ἂν ἡ Ὀδυσσέως ψυχὴ τοῦτον εἶπεν ἑλέσθαι, ἂν βίον εἵλετο ἐσχάτη κληρωθεῖσα τῶν ἄλλων, εἰ μὴ καὶ οὗτος ὁ βίος ἐν τοῖς τῶν προτέρων περιείχετο κλήροις· ἀπὸ ταύτης δ' οὖν τῆς αἱρέσεως οὕτω γενομένης, πιστὸν ἐποίησεν τὸν τοῦ προφήτου λόγον εἰπόντος, καὶ τελευταίῳ ἐπιόντι σὺν νῷ ἑλομένῳ, κεῖται βίος ἀγαπητὸς οὐ κακός· καὶ δῆλον ὅτι γίνεται μὲν ἐν τῷ παντὶ . . . διεσκεύασται τοιῶσδε τῶν . . φρόνησιν δυκνύντα φαινομένης εὐπορίας αἱρετωτέραν, ὅτ' ἂν ταῦτα μερίζηται· ἀπ' ἀλλήλων μὲν γὰρ εἰς εὐδαιμονίαν οἶδεν ἐλθεῖν· ἡ δὲ οὐκ ἐξ ἀνάγκης, εἰ μὴ καὶ φρόνησις εἴη περὶ τὰς αἱρέσεις· τούτοις τοίνυν ἐπάγαγεν, ὃ δὴ λοιπόν ἐστι τὴς διαιρέσεως, ὅτι καὶ εἰς ἄλληλα τὰ ἄλλα ζῷα μεταβάλλει, τὰ ἥμερα ἄθικα εἰς τὰ ἄγρια τὰ δὲ δίκαια εἰς τὰ ἥμερα.

27. Λείπεται τοῦτο μετὰ τὰς μεταβολὰς τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς τὰ ἄλογα, καὶ ἐκ τῶν ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους, οἷος ὁ κύκνος ἔμπροσθεν, οἷα τὰ πρὸ τούτων ἐν οἷς ἔλεγεν, ὅτι καὶ ἐκ τῶν

ἄλλων θηρίων εἰς ἀνθρώπους γίνονται μετατάξεις, καὶ δὴ καὶ τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀνθρώπους, ὡς τοῦ Ἐπειοῦ καὶ τῆς Ἀταλάντης· ἃς διὰ τοῦτο εἶπεν ἐν μέσοις λαχεῖν, ὡς ἐν τῇ μεσότητι τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς στρεφομένας, καὶ τῶν ἐξ ἄρρενος εἰς θῆλυ, ἢ τῶν ἐκ θήλεος εἰς ἄρρεν ἰέναι διενεγκούσας· τούτων γὰρ ῥηθέντων, ἐλείπετο καὶ τὴν ἐσχάτην εἰπεῖν μεταβολὴν τὴν ἐκ θηρίων εἰς θηρία γενομένην ἣν τελευταίαν καὶ αὐτὸς προσέθηκεν, διορίζων καὶ ἐπὶ τούτων, ὅτι τὰ μὲν ἄθικα τῆς ζωῆς εἴδη μετέβαλλεν εἰς τὰ ἀγριώτερα, τὰ δὲ δίκαια εἰς τὰ ἡμερώτερα· καὶ ἐπὶ πᾶσιν ἐπήνηγκε τοῖς εἴδεσιν τῶν μεταβολῶν, καὶ πάσας μίξεις μίγνυσθαι τὰς ζωὰς, πέρας ἐπιτιθεὶς τῇ ὅλῃ διαιρέσει τῶν βίων κοινόν· πᾶσα δὲ μίξις ἡ ἐκ τῶν ὁμοίων εἰς τὰ ὅμοια· καὶ τοῦτο διχῶς ἐκ λογικῶν . . . ψυχῶν ἡ ἐκ λογικῶν εἰς ἄλογα . . . θῆλα διὰ τῶν ἔμπροσθεν ἡμῖν γέγονεν· ἃ δὲ τελευταῖα προσέθηκεν, σκεπτέον· ὅταν λέγῃ τὰ ἄθικα εἰς τὰ ἄγρια, καὶ τὰ δίκαια μεταβάλλειν εἰς τὰ ἥμερα, πότερον ἀλόγων εἶναι λῷ ὄντι μετοικίσεις ψυχῶν εἰς ἄλλα ζῷα ἄλογα, οἷον κυνείας ψυχῆς εἰς ἵππειον ζῷον μετιούσης, ἢ καὶ ταύτας ψυχῶν μὲν ἀνθρωπίνων, μετενδυομένων δὲ ἀπὸ ἀλόγων εἰς ἄλογα· καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ἀδικωτέρων ζῴων, οἷον ἰκτίνων καὶ λύκων καὶ ὅσα ἁρπακτικά, εἰς τὰ ἄγρια μεθισταμένων, οἷον ὅσα ἰοβόλα, ἃ δὴ παντελῶς ἐστιν ἀνήμερα· ἀπὸ δὲ τῶν δικαιοτέρων, οἷον πελαργῶν καὶ τοιούτων ἄλλων, εἰς τὰ ἥμερα, οἷον μελίσσας καὶ μύρμηκας, ἃ δὴ πολιτικὰ γένη καὶ ἥμερα προσεῖπεν αὐτὸς ἐν τῷ Φαίδωνι, τὰ μὲν βασιλικῆς τὰ δὲ οἰκονομικῆς ἔχοντα ζωῆς ἴχνος.

28. Τούτων δὴ προκειμένων εἰς ζήτησιν, λέγωμεν ὅτι καὶ ταύτας τὰς μεταβολὰς οὐκ ἀλόγων ψυχῶν, ἀλλὰ ἀνθρωπίνων οἴεσθαι δεῖ λέγεσθαι παρὰ τοῦ Πλάτωνος, καὶ περὶ τούτων εἶναι μόνων ἁπλῶς σύμπαντα τὸν περὶ τῶν μετενσωματώσεων αὐτῷ λόγον· τοῦτο δὲ ἡμεῖς ἐκ πολλῶν ἀποδείξομεν· πρῶτον μὲν γὰρ ὁ τοῦ προφήτου λόγος οὐ πρὸς ἀλόγους, ἀλλὰ πρὸς λογικὰς ἦν ψυχάς· γελοῖον γὰρ ἀλόγοις λέγειν, ἀνάγκης θυγατρὸς κόρης Λαχέσεως ὁ δε λόγος· καὶ οὐχ ὑμᾶς λήξεται δαίμων, ἀλλ' ὑμεῖς

δαίμονας αἱρήσεσθε· καὶ αἰτία ἑλομένου θεὸς ἀναίτιος, καὶ τελευταίῳ . . . οὐχ ὅτι τῶν ἀπὸ νοῦ προϊόντων λόγων· ἀλλ' οὐδὲ ὅλως λογικὰς ψυχὰς, οὐδὲ σὺν νῷ τε δυναμένας αἱρεῖσθαι καὶ πράττειν· ἔπειτα ὅτε διώριζεν αὐτὸς πῶς δεῖ ποιεῖσθαι τὰς αἱρέσεις καὶ ἔλεγεν ψυχῆς τάξιν μὴ ἐνεῖναι, σαφῶς ὡς περὶ λογικῶν διελέγετο ψυχῶν· ταύτας γὰρ ἠξίου μὴ ἐκπλήττεσθαι ὑπὸ δυνάμεων καὶ ὑπὸ πλούτων καὶ εὐγενειῶν, ἀλλὰ κρίσιν ἐφίστανεν τοῖς βίοις, καὶ σκοπεῖν τὸν εἰς εὐδαιμονίαν ἄγειν μᾶλλον δυνάμενον ἐκ τῶν προτεινομένων· ἐν τούτοις δὴ πᾶσιν καὶ τοῖς τοιούτοις, δῆλος οὖν οὐ περὶ ἀλόγων ἀλλὰ περὶ λογικῶν μόνον διαταττόμενος ψυχῶν· ποία γὰρ ἔκπληξις ἡ κρίσις πλούτου καὶ πενίας καὶ δυνάμεως καὶ ἀδυναμίας καὶ τῆς ἐν τούτοις μεσότητος ἐν ἀλόγοις; τρίτον τοίνυν μετὰ τὸ συμπληρῶσαι τοὺς περὶ τῶν μεταβολῶν λόγους πάντας, κατάγων λοιπὸν εἰς τὴν γένεσιν πάσας, ἀκούσομεν ὅσα φησίν· ἐπειδὴ δ' οὖν πάσας τὰς ψυχὰς τοὺς βίους ἠρῆσθαι, πάσας εἶναι πρὸς τὴν Λάχεσιν, καὶ τὸν δαίμονα δίχεσθαι παρ' αὐτῆς φύλακα καὶ ἀποπληρωτὴν φησίν· εἰ οὖν πᾶσαι μὲν ἦρηνται, ψυχαῖς δὲ ἀλόγοις αἵρεσις οὐκ ἔστιν, οὐδὲ γὰρ προαίρεσις, δῆλον ὡς οὐκ ἦσαν ἐν ταῖς εἰρημέναις μεταβολαῖς ἀλόγων μετοικίσεις, ἀλλὰ ἀνθρωπίνων εἰσὶν πᾶσαι ψυχῶν, τὰς μετενδύσεις ἐκείνας ποιουμένων· καὶ ἀπ' ἀρχῆς εἰς τέλος περὶ ἐκείνων ἐστὶν ὁ λόγος· μὴ οὖν ζητῶμεν καὶ ἄλογα ζῷα πῶς εἰς ἄλογα ἄλλα μίτεισιν, ἀλλὰ μένωμεν ἐπὶ τῶν λογικῶν ψυχῶν· τὸ γὰρ αὐτεξούσιον . . . ἡμετέραις ψυχαῖς τὸν θεὸν τοῦ πο . . δοῦναι τὴν ἐξουσίαν· ταύτας δὲ κυρίας οὔσας τοῦ μεταβάλλειν ἑαυτὰς κατὰ τὸ χεῖρον ἢ βέλτιον, ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης εἰς ἄλλην καὶ ἄλλην τάττεσθαι μοῖραν· ἐν ᾗ ταχθεῖσαι πᾶσαι, νικῶσαν μὲν ἀρετὴν ἐν τῷ κόσμῳ παρέξονται, κακίαν δὲ ἡττημένην.

29. Ὅτι δὲ καὶ ἀνθρώπιναι ψυχαὶ μετίασιν ἀπ' ἄλλων ἀλόγων ζῴων εἰς ἄλλα, δεδήλωκεν καὶ ἡ καθ' ἡμᾶς ἱστορία, καὶ μικρὸν πρὸ ἡμῶν Νεστόριος (1)· ἦν οὖν ὁ μέγας ἀνὴρ ἱερατικὸς

(1) Nestorius pater Plutarchi platonici, qui Syrianum docuit, Syrianus autem Proclum nostrum.

εἰς τὴν Ῥώμην ἀφικόμενος, γυναικὸς μιᾶς τῶν εὐπαρύφων (1) μόλις ἐξειπεῖν ἐθελησάσης, θρηνούσης δὲ ἐπὶ τῇ μνήμῃ τῶν ἔμπροσθεν βίων, αὐτὸς ἀκοῦσαι λέγεται περὶ ἑαυτῆς ἱστορούσης, ὡς ἄρα ἐν περιόδοις προτέραις ἐν Ἀδασμάστῃ τῆς Ἀττικῆς ἐγεγόνει παιδισκάριον, καπήλοις τισὶν ὑπηρετοῦν· λήθῃ δὲ ὑπερβαλλούσῃ κατείχετο τῶν ἀεὶ προσταττομένων ὑπὸ τῶν χρωμένων· καὶ ἀπεκλάετο τὴν λήθην, ὥσπερ ὅτε ταῦτα ἔλεγεν τὴν μνήμην· συμμιξαι οὖν αὐτὴν τινι φάσματι, καὶ αἰτῆσαι μνήμην, καὶ αἰτήσασαν λαβεῖν, καὶ λαβοῦσαν πάντων ἐξῆς τῶν ἐκεῖθεν διαμνημονεύειν· γενέσθαι οὖν αὐτὴν ὡς ἐμέμνητο μετ' ἐκεῖνον τὸν βίον, κυνὸς ψυχὴν (2), καὶ ἀχθεσθεῖσαν μετὰ τὴν σύνερξιν, ὅσαι τὸν κύνα ἐκ τέγους τινός, ἀπαλλαγῆναι βουλομένην τοῦ δεσμοῦ· καὶ τῆς ἀδίκου πράξεως εἰς τὸν κύνα δίκην τεινούσαν, εἰς ὄφιν ἐλθεῖν· καὶ ἐκεῖνον κλεῖναι δυσχεράνασαν τὴν ψύχωσιν, ἐκτείνασαν αὐτὸν ἀμάξῃ κινουμένῃ, ἔμπροσθεν τῆς ἀμάξης, κἀκεῖνον μὲν κατατμηθέντα . . . ἐκείνην μὲν οὖν καὶ τῆς μνήμης, καὶ τῶν ἐπὶ τῇ μνήμῃ θρήνων ὁ Νεστόριος ἰάσατο θεοῖς χρησάμενος συνεργοῖς, καὶ περὶ τοῦ μέλλοντος ἔχειν ἀμείνους ἐλπίδας ἐποίησεν· ἐκ δὲ τούτων χρὴ λαβεῖν ὅτι καὶ ἀπ' ἄλλων ζῴων εἰς ἄλλα, κατὰ δίκην γίνονται μεταστάσεις, καὶ δι' ἀδικίαν εἰς ἀγριώτερα, καὶ ὡς ἔστιν καὶ ἐν ἀλόγοις ἀδικία καὶ δικαιοσύνη, καὶ πάντων δίκη καὶ νόμος ἔφορος.

30. Ὅτι μὲν οὖν πάσας τὰς ἐν ταῖς αἱρέσεσι ταύταις μεταβολὰς, ψυχῶν εἶναι δεῖ νομίζειν λογικῶν, ἢ εἰς τὰ ὅμοια μεθισταμένων ἢ εἰς τὰ ἀνόμοια, καὶ ἢ ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον τὰν μεταβολὰν ποιουμένων, εἴρηται πρότερον, καὶ εἴληπται πάντα ἐκ διαιρέσεως ἡμῖν τὰ εἴδη τῆς ζωῆς· συλλογισώμεθα δὲ ὅσα ἕπεται τούτοις διωδευγμένοις, ὧν ἐστι πρῶτον τὸ τὰς εἰς τὰ ἄλογα ζῷα καθόδους, μὴ εἶναι τῶν ἐξ οὐρανοῦ ψυχῶν εἰς γένεσιν ἰουσῶν· οὐδὲ γὰρ ἄνοδος ἡ εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον, ἐκ τῶν ἀλόγων γένοιτο ἄν, ἀλλ' ὡς εἴρηκεν αὐτὸς, καὶ ἄνευ φι-

(1) In margine: εὐπάρυφος, ἀγαθοῦ πατρὸς θυγάτηρ. Mirum!
(2) In margine: διήγημα ψευδίστατον, *narratio mendacissima*.

λοσοφίας ἢ καὶ νοῦ τόγε ἐν τεταγμένῃ πολιτείᾳ βεβιωκέναι, πάντως ἐχουσῶν· οὕτως γὰρ καὶ ἕξαι πάλιν εἰς τὸ ὅμοιον ἡ μετοίκισις, ἀπὸ τεταγμένης παρ' ἀνθρώποις πολιτείας, εἰς ἐν τῷ κόσμῳ τεταγμένην πολιτείαν· τοιαύτη δὲ ἡ τῶν κατ' οὐρανὸν περιϊόντων ὅπου μήτε ἀδικεῖται, πάντα δὲ ἐν κόσμῳ φέρεται καὶ τάξει, καὶ ζῇ μετ' ἀλλήλων τὴν καινὴν ζωὴν, καὶ ἕκαστον τὴν ἑαυτοῦ παρέχεται συμπλήρωσιν εἰς τὸ ὅλον, τὰ ἑαυτοῦ πράττον καὶ ἐν ἐπιτηδευμα ἔχει . . . ταύτης ἐν οὐρανῷ . . ὁ Σωκράτης ἔλεγεν τετάχθαι τοῖς ἀρεταῖς· χωροῦσιν οὖν εἰς οὐρανὸν, οὐκ ἀπὸ τῶν ἀλόγων αἱ ψυχαὶ ζῴων, πορρωτάτω γὰρ τῶν οὐρανίων ζῴων τῶν νοῦν μεμιμένων, τὰ εἰς γῆν κύπτοντα τῶν ἀεὶ τεταγμένων, τὰ ἀεὶ τῇ αὐτῶν φύσει ἄτακτα, τῆς μεταβολῆς πανταχοῦ δι' ὁμοιότητα γινομένης.

31. Εἰ δὲ ἡ εἰς οὐρανὸν ἄφιξις, οὐκ ἀπὸ ἀλόγου γίνεται οἰκήσεως ἀλλ' ἀπὸ τεταγμένης πολιτείας, ὡς αὐτὸς φησὶν, οὐδὲ τὸ ἀνάπαλιν τῶν ἐξ οὐρανοῦ κατιουσῶν εἰς ἄλογα ζῷα γένοιτο ἂν μετάστασις ἐκεῖθεν· καὶ γὰρ τοῦτο διώρισεν αὐτὸς, ὅτι κατὰ συνήθειαν τῶν ἔμπροσθεν βίων γίγνονται ταῖς ψυχαῖς αἱ αἱρέσεις· ποία δὲ συνήθεια συγγενὴς πρὸς ἀλογίαν ἐστὶν, πολιτείας ἀνθρωπίνης τεταγμένης; ἐπεὶ καὶ τὸ τυραννίσιν ἐπιτρέχειν, διὰ τὰ κράτη τῶν οὐρανίων ἐγγέγονεν ταῖς ἐξ οὐρανοῦ κατιούσαις, καὶ τοῦτο ἐκ συνηθείας τῆς περὶ τὰ οὐράνια· τὸ δὲ ὅλως εἰς ἄνθρωπον χωρεῖν, τῆς ἀπ' ἀνθρώπων εἰς τὸν οὐρανὸν ἀφίξεως· μίξασαι οὖν ἀνθρωπίνην πολιτείαν, καὶ δύναμιν κρατητικὴν, εἰς ὄρεξιν τῆς τυραννικῆς κατέστησαν ζωῆς, ἀφελοῦσαι μὲν τῆς ἀνθρωπίνης πολιτείας τὸ τεταγμένον, ὅπερ ἐποίησεν αὐτὰς τῆς ἐν οὐρανῷ λήξεως τυχεῖν· τῆς δὲ ἐν οὐρανῷ δυνάμεως αἱ νοήσασαι τὰ κατὰ νοῦν, διότι καὶ ἄνευ νοῦ πεποίηντο τὴν ἄνοδον· τῷ γὰρ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γνωστόν· ὅτι μὲν οὖν τὰς οὐρανόθεν κατιούσας εἰς γένεσιν, εἰς ἄλογα ζῷα . . . ὑπογείων τόπων τοῦτο τὸ πάθος μένειν, διὰ μὲν τὰ ἐν ᾅδου δράματα, καὶ μάλιστα τὰ περὶ τὸν Ἀιδαῖον, ἐκτρεπομένας τοὺς τυραννικοὺς βίους, φερομένας δὲ ὅμως ὡς αὐχμοῦ καὶ κόνεως μεστὰς εἰς τὰς χθονίας ζωὰς καὶ τὴν ἀλογίαν, δῆλον.

32. Πῶς δὲ ἄρα διεγίγνωσκεν ὁ θαυμαστὸς τούτων ἄγγελος, ὅτι βεβιωκυῖαι πρότερον ἦσαν αἵδε αἱ ψυχαί, λογικῶν ζῴων βίον ἢ ἀλόγων; τὰς μὲν γὰρ παρούσας αὐτῶν αἱρέσεις ἑώρα, καὶ εἰς αὐτὰς βλέπων καὶ εἰς τὸ πᾶν, τοιῶνδέ τινων βίων οἰστικὸν ὑπάρχον, τὰς δὲ πρὸ τῆς χιλιέτους περιόδου ζωὰς αὐτῶν, ἀφ' ὧν εἰς τὰς τότε παρούσας ἦεσαν πῶς ἑώρα; καὶ πόθεν εἶχεν φράζειν ὡς αἱ μὲν ἐξ ἀνθρώπων εἰς κύκνους ἦεσαν καὶ ἀηδόνας, αἱ δὲ ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους, ὡς αἱ ἀπὸ κύκνων εἰς ἀνθρώπους, αἱ δὲ καὶ ἐξ ἀλόγων εἰς ἄλογα, καθάπερ αἱ ἐκ θηρίων εἰς θηρία μετενδυόμεναι; μήποτε οὖν ἀληθὲς μὲν καὶ τὸ σὸν δὴ τοῦτο, ὦ φίλε ἑταιρε, καὶ διηγουμένων ἀκοῦσαι ταῦτα τὸν Ἤρα τῶν ψυχῶν· καὶ γὰρ εἴρηται τοῦτο πρότερον, ὅτι καὶ ἠσπάζοντο ἀλλήλαις ὅσαι γνώριμαι (1) καὶ διηγοῦντο τὰ σφῶν αὐτῶν, αἱ μὲν ὅσα ἴδοιεν ὑπὸ γῆς, αἱ δὲ τὰς ἐν οὐρανῷ πάσας εὐπαθείας· οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν τὰς ἐκ τῆς ὑπὸ γῆς δικαιωτηρίων καὶ τοὺς διηγεῖσθαι τοὺς ἔμπροσθεν ἀφ' ὧν ὁρμηθεῖσαι, τὴν περίοδον ἐκείνην ἀνέτλησαν· ἀληθὲς δὲ καὶ τὸ τοῖς πνευματικοῖς αὐτῶν περιβλήμασιν, ἐκφαίνεσθαι τοὺς τύπους καὶ τὰς μορφὰς ἔτι τῶν πρότερων βίων· εἰ μὲν ἀνθρώπου εἴδει ἐβεβιώκεσαν, ἀνθρωποειδεῖς· εἰ δὲ ἐν ἀλόγων, ἐκείνοις παρα . . . τῶν ψυχῶν τὰ σώματα καὶ τυπουμένων ὑπ' αὐτῶν εἰς τὴν ἑκάστου μορφήν· ἀλλ' ὡς διὰ τὴν τοῦ λόγου προβολήν, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἑαυτῶν τυπουσῶν εἰς τὴν ὁμοίαν τοῖς ζῴοις σκιαγραφίαν· καὶ γὰρ αἱ φαντασίαι ποικίλας περὶ τὸ πνεῦμα παρέχονται τοῦτο μορφὰς, συνεξαλλαττόμενον αὐταῖς καὶ συνδιατιθέμενον· ἢ πῶς οἰόμεθα καὶ ἐν τοῖς φάσμασιν πολλάκις ἐν ὀλίγῳ χρόνου διασλήματι, τὸ αὐτὸ φαίνεσθαι πολύμορφον, καὶ φωνὰς ἐκπέμπειν οἰκείας τοῖς σχήμασιν τοῖς φανταζομένοις; ἢ ὑπὸ τῆς φαντασίας μετασχηματιζόμενον ἕκαστον, καὶ τοῖς μορφώμασιν οἰκείως συμφθεγγόμενον; οὐδὲν οὖν ἀπεικὸς δήπουθέν ἐστιν, καὶ τῶν ψυχῶν τὰ ὑλικὰ περιβλήματα σώζειν τὸν τύπον τοῦ ἔμπροσθεν βίου, καὶ καθ' τοῦτον οἷον

(1) Quem locum citat heic Proclus, eum nos edidimus cl. AA. T. I. p. 366-368.

ἐσχειρωμένον ἐν αὐτοῖς, τῷ θεωμένῳ δηλοῦν ἀφ' οἵων ἥκουσι ζῴων· μέχρις ἂν ἄλλου προβολὴ λόγου τοῦτον μὲν ἀφανίσῃ, τὸν δὲ προσήκοντα τῇ τοῦ παρόντος δυνάμει καὶ προκεχειρισμένου συμμεταμορφώσῃ, μετὰ τοῦ καὶ τὸ πᾶν εἰς τὴν ἐκείνου διάθεσιν συνεργεῖν, καὶ φυλάττειν τὸν πρότερον, καὶ τυποῦν τὸν δεύτερον, κατὰ τὴν οἰκείαν ἑκάτερον περιοδον· τοῦτο μὲν τοίνυν οὕτωσί φήσομεν, καὶ τῷ ἀγγέλῳ τοῦδε τοῦ μύθου γενέσθαι γνώριμον, ἐξ οἵων ἥκουσι ζῴων αἱ ψυχαὶ λογικῶν ἀλόγων εἰς τὴν ἑπομένην γένεσιν.

33. Τριῶν δὲ ἡμῖν δεδειγμένων ἐν τούτοις, ἑνὸς μὲν ὅτι ψυχῶν εἰσι λογικῶν αἱ μεταβολαί, πᾶσαι μόνων ἢ ἀπ' ἀνθρώπων εἰς ἄλογα μετιουσῶν, ἢ ἀνάπαλιν ἢ ἀπ' ἀρρένων εἰς θήλεα . . . αὐτῶν ἀπό γῆς . . ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προελθουσῶν· τρίτου δὲ ὅπως ἐγνώριζεν ὁ τούτων ἄγγελος τῶν θεαμάτων τὰς ἐξ ἀνθρωπίνων βίων ἢ ἐξ ἀλόγων ὡρμημένας, καὶ δεδειγμένων πάντων οὐκ ἀπιθάνως, ἕπεται τρία μετὰ ταῦτα συγγενῆ τούτοις διασκέψασθαι προβλήματα, καὶ τὰ δοκοῦντα περὶ αὐτῶν εἰπεῖν· ὧν ἓν μέν ἐστιν, εἰ πᾶσαν ψυχὴν εἰς γένεσιν κατιοῦσαν εἰς ἄλογα ζῷα κατιέναι δυνατόν, ἢ ἔστιν γένος ψυχῶν τῆς τοιαύτης ἄδεκτον ἀποπτώσεως· ἕτερον δὲ εἰ πᾶν ἄλογον ζῷον ἔχει ψυχὴν ἐφεστῶσαν λογικὴν ἔξωθεν, καὶ οὐκ ἄλλως ψυχοῦσθαι καὶ ταῦτα δυνατόν, ἢ διὰ ψυχῆς λογικῆς δυναμούσης τὴν ἐν αὐτοῖς ψυχὴν ἐνοῦσαν· τρίτον δὲ εἰ διὰ πάντων ἀλόγων ζῴων ἡ κάθοδός ἐστι τῶν λογικῶν ψυχῶν κατὰ τὴν Πλάτωνος ψῆφον, καὶ εἰ μέχρι τούτων μόνων· τούτων δὲ τῶν τριῶν, τὸ μὲν πρῶτον ζητοῦντες, οὐδαμοῦ τὸν Πλάτωνα σαφῶς διορίζοντα τὰς πιπτούσας εἰς ἀλογίαν ψυχὰς καὶ ἀπτώτους εὕρομεν ἀπ' ἀλλήλων· πᾶν δὲ τοὐναντίον ἐνδεικνύμενον, ὡς ἄρα πάσας οἴεται τοῦτο πάσχειν τὸ πάθος· καὶ γὰρ ἐν Τιμαίῳ πρὸς πάσας ὁ δημιουργὸς τὰς ψυχὰς λέγων τοὺς εἱμαρμένους νόμους, τὴν ἁμαρτοῦσαν εἶπεν ἥξειν καὶ εἰς θήριον φύσιν, μὴ διελόμενος ὅτι τισίν ἐστι τοῦτο προσῆκον ψυχαῖς, καὶ οὐ πάσαις· καὶ ἐν Φαίδρῳ τὴν μὲν φιλοσοφήσασαν, εἰς τὸ αὐτὸ φησὶν ἀφικνεῖσθαι, τρὶς ἑλομένην τὸν βίον τοῦτον·

τὰς δὲ ἄλλας μετὰ τὸν πρῶτον βίον, χωρεῖν καὶ εἰς ἄλογα ζῷα πίπτουσαν· οὐχὶ γίνει ψυχῶν, ἀλλ' εἶδει . . . τῷδε τῷ μύθῳ ψυχῆς τάξιν οὐκ . . προείρηκεν, διὰ τὸ ἄλλον αἱρεῖσθαι βίον . . δ' ἐνταῦθα τινὸς ψυχῆς ἔφη μὴ ἐνεῖναι τάξιν, ἀλλὰ ψυχῆς ἁπλῶς· ὥστ' ἐξ ἁπάντων τούτων εἶναι συλλαβεῖν πᾶσαν αὐτὸν ψυχὴν ὑπομένειν τὴν μεταβολὴν ταύτην μὴ ἀπογιγνώσκειν· εἰ δὲ ὅλον τὰς ἡρωϊκὰς ψυχὰς ἐξηλλάχθαι τῶν καλουμένων ἀνθρωπίνων κατ' οὐσίαν ὑπείληφεν, εἰκάζειν ἔξεστιν, ὅτι ταύτας τὰς μέχρις ἀνθρώπων κατάγει, καθάπερ τὰς ἀνθρωπίνας μέχρι θηρίων.

34. Ὅτι δὲ ἐκεῖνο πλατωνικόν ἐστιν, λάβοις ἂν ἔκ τε τῶν ἐν τῇ πραγματείᾳ ταύτῃ ῥηθέντων πρὸς τοὺς μυθοπλάστας, καὶ ἐπιτιμηθέντων ὡς ἀνθρώπων τοὺς ἥρωας οὐδὲν βελτίους ποιοῦντας, καὶ ἐπ' ἐκείνους πάθη προσήκοντα ἀνθρώποις ἀναπέμποντας, καὶ ἐξ ὧν ἐν Κρατύλῳ τῶν δαιμόνων καὶ τῶν ἀνθρώπων ἐν μέσῳ τὸ τῶν ἡρώων ἔταξεν φῦλον· καὶ ὡς οἱ δαίμονες τῶν ἡρώων ὑπέρτεροι καὶ τὰ τὴν οὐσίαν, οὕτω τοὺς ἥρωας τῶν ἀνθρώπων ὑψηλοτέρους θέμενος, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀπὸ τῶν ἐν νόμοις διωρισμένων, ἐν οἷς ὡς θεῶν ἱερὰ καὶ θυσίας, καὶ δαιμόνων, οὕτως καὶ τῶν θεῶν παίδων ἐδοκίμασεν σίβειν, τοῖς ἑαυτοῦ τροφίμοις ἐφεξῆς τάττων θεούς, δαίμονας, ἥρωας, ἀνθρώπους, ὁσίας ἐξηλλαγμένας· καὶ ψυχῶν γένη τέτταρα ποιῶν, θεῖον, δαιμόνιον, ἡρωϊκόν, ἀνθρώπινον· καθάπερ καὶ ἐν Κρατύλῳ τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπισκοπῶν διώρισεν· εἰς γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα συγχνὰ ὄντα ἀποβλέψας τις εἰκάσειεν ἄν, ὅτι τὰς ἡρωϊκὰς ψυχάς, ἃς ἀποκαλεῖ παῖδας θεῶν, οὐ κατάγει καὶ εἰς θήριον φύσιν ὡς τὰς ἀνθρώπων; οὐδὲ γὰρ ἂν ἔτι τῇ οὐσίᾳ διαφέροιεν, ὁμοπαθεῖς θῦσαι τῶν ἀνθρωπίνων ὀνομαζομένων ψυχῶν· ἀλλ' εἰς ἀνθρώπων βίους, ὥσπερ τὰς δαιμονίας οὐδ' εἰς ἀνθρώπων βίους ἀπτώτους οὔσας εἰς γένεσιν.

35. Ἔοικεν δὲ καὶ τὰ πράγματα, τοῖς λόγοις τούτοις συμβαίνειν· δεῖ γ' οὖν πανταχοῦ ταῖς μεσότησι συμπληροῦσθαι πᾶσαν τῶν ὄντων σειράν· ὡς οὖν ἐπὶ τῶν σωμάτων οὐκ ἀπὸ τῶν ἀϊδίων εὐθὺς τὰ πάμφθορα τὴν γένεσιν ἔσχεν, ἀλλὰ τὰ μεταξὺ

τούτων ἀίδιά τε ὄντα καὶ οὐκ ἀίδια, καθάπερ τὰ στοιχεῖα τὰ ὑπὸ σελήνην, οὕτως ἄρα καὶ τῶν ψυχῶν, οὐκ ἀπὸ τῶν ἀεὶ ἄνω μενουσῶν αἱ πᾶσαν ὑπομένουσαι πτῶσιν ὑπέστησαν, ἀλλὰ μίσαι τούτων, πίπτουσαι μὲν, ἐπιστρέφουσαι δὲ εἰς τὰς ἀρχὰς, πρὶν εἰς βάθος πεσεῖν· εἰ δὲ ταῦτα κρατοίη, καὶ ὅσα ἐν Τιμαίῳ λέγει ὁ δημιουργὸς, καὶ ὅσα ἐν Φαίδρῳ γέγραπται περὶ τῶν πρώτας καθόδους ποιησαμένων ψυχῶν, καὶ τὸ ψυχῆς μὴ ἐνεῖναι τάξιν, ἀνοίσομεν εἰς τὸν κοινὸν περὶ ἁπασῶν λόγον, κατιουσῶν εἰς γένεσιν· ἐν γὰρ ταύταις εἶναι καὶ τὰς πιπτούσας ἐπ' ἔσχατον, καὶ διὰ ταῦτα συνείρειν αὐτὸν τὰ ἑπόμενα ταῖς ποικίλαις αἱρέσεσιν· καὶ τοὺς περὶ τῶν δευτέρων καὶ τρίτων βίων τύπους εἰς ταύτας ἱρᾶν, ἀλλ' οὐκ εἰς πάσας τὰς κατιούσας· ὅπως οὖν ἐκεῖθεν δεῦρο ψυχάς; καὶ γὰρ ἐξ ὑποθέσεως λέγει τὰ ἑπακολουθοῦντα ταῖς ἁμαρτούσαις· εἰ δέ τινες εἶεν διὰ τὴν ἄχραντον ζωὴν ἀνα . . . ἤτοι ταύτας τῶν ἄλλων ἐξῃρῆσθαι ψυχῶν, εἵτινες ποικίλων αἱρέσεων καθαρεύουσαι, τούτων εἶναι καὶ τοὺς βίους μονοειδεῖς· τούτου μὲν δὴ καὶ προβλήματος πέρι, τοσαῦτα γράφομεν ἱστάντες.

36. Ὅτι δὲ εἰς πᾶν ζῷον κατάγει τὴν λογικὴν καὶ ἀνθρωπίνην ψυχὴν, δῆλον μέν ἐστι καὶ ἐξ ὧν ἐν τῷ μύθῳ τούτῳ προείρηκεν, ὅτι βίοι πάντων ἦσαν ζῴων προκείμενοι ταῖς ψυχαῖς (1)· εἰ γὰρ πάντων, ἔοικεν ἡ ψυχὴ πᾶσιν ἐγκαταβεῖσθαι ζῴοις, πτηνοῖς, ἐνύδροις, χερσαίοις· δῆλον δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἐν Τιμαίῳ ῥηθέντων, ἐν οἷς διὰ πάντων ἄγει τῶν ἀλόγων γενῶν τὰς ἐν ἀνθρώποις ἁρμοσύνῃ συμβεβιωκυίας ψυχὰς, ἡμέρων τε καὶ ἀγρίων· καὶ ἔοικεν τῆς εἰς φυτὰ μόνα πτώσεως αὐτὰς ἐξαίρειν· καὶ ταύτῃ τοῦ Ἐμπεδοκλέους διαφέρειν, ὃς φησὶν καὶ θάμνος γενέσθαί ποτε, καθάπερ οἰωνὸς καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπορος ἰχθῦς, προσέχειν ἡγούμενος αὐτὸς τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν μὴ εἰς τὰ πορρωτάτω τῆς ἀνθρωπίνης ἐξολισθάνειν ζωῆς, ἀλλ' εἰς τὰ καὶ αἴσθησιν ἔχοντα τραυστέραν διὰ τὴν λογικὴν ζωὴν, ἧς εἰκὼν ἡ αἴσθησις· καὶ τὴν

(1) In margine: κατ' εἶδος πάντων, οὐ κατ' ἀριθμὸν· ἐλάττους γὰρ εἶναι χρὴ τὰς λογικὰς ψυχὰς τῶν ἀλόγων ζῴων, ὥσπερ τῇ οὐσίᾳ κρείττους.

κατὰ τόπον κίνησιν διὰ τὴν αὐτοκινησίαν, ἧς εἰκὼν ἡ τῶν ζῴων κατὰ τόπον μάλιστα κίνησις· καὶ ὁρᾷς πάλιν τὴν συμφωνίαν τῶν δογμάτων· ὡς γὰρ τὰς ἡρωϊκὰς ἄγει μέχρις ἀνθρώπων ἀλλ' οὐ μέχρις ἀλόγων, οὕτω τὰς ἀνθρωπίνας μέχρις ἀλόγων ἀλλ' οὐ μέχρι φυτῶν· ὅτι γὰρ οὐ κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα καὶ αὐτὸς ἐνδεῖ καὶ φυτοῖς τὴν ψυχὴν τὴν ἀνθρωπίνην, δηλοῖ μὲν καὶ ὁ Τίμαιος, τὰς τῶν ζῴων γενέσεις ἀπὸ ταύτης πάσας διατιθείς· τὰ δὲ φυτὰ λίγων ἄλλαις αἰσθήσεσιν κεραννῦντας, τροφῆς ἕνεκα τῶν ζῴων δημιουρ . . . ἐπιθυμίας δήπου λίγων δὴ . . ἐν Φαίδωνι Σωκράτης εἰς τὰ τῶν ζώων γένη μεθιστὰς τὴν ἡμετέραν ψυχὴν ἄλλην εἰγ' ἄλλα καθ' ἄλλο ζωῆς εἶδος, ἀλλ' οὐκ εἰς φυτὰ καθάπερ ἐκεῖνος.

37. Τούτων δὴ οὖν διηρθρωμένων ἡμῖν, ἐπὶ τὸ τρίτον ἰλθόντες τῶν προκειμένων εἰς ζήτησιν, εἴπομεν ὅτι τῶν μὲν Τίμαιον οὐκ ἄν τις ἀμφιβάλοι λέγειν, ὅτι πᾶσι τοῖς ἀλόγοις ἀπὸ ψυχῶν ἐστὶν εἰς αὐτὰ μετοικησασῶν ἐξ ἀνθρώπων ἡ ψύχωσις· δόξειεν δ' ἂν ὁ ἐν Φαίδρῳ Σωκράτης καὶ ἕτερον αὐτῶν εἰδέναι τρόπον ψυχώσεως, καὶ οὐκ ἀπὸ λογικῶν ψυχῶν μόνων, ὁπότ' ἂν λίγῃ καὶ ἐκ θηρίου ψυχὴν ἀφικνεῖσθαι πάλιν εἰς ἄνθρωπον, ὅς ποτε ἄνθρωπος ἦν· οὐ γὰρ ἥ γε μήποτε ἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν, φησίν, εἰς τόδε ἥξει τὸ σχῆμα· σαφῶς καὶ αὐτὸς, ὥσπερ καὶ Ἀριστοτέλης ἀξιοῖ, διορίζων μὴ τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν, εἰς τὰ τυχόντα σώματα εἰσδύεσθαι καὶ κατατάττεσθαι ἐν αὐτοῖς, καὶ συμπληροῦν ζῷον ἕν· τὴν μὲν γὰρ ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἐν ἀλόγῳ γενέσθαι δυνατὸν, ἔξωθεν σχετικῶς συνοῦσαν· ὅπου γε καὶ ἐν ἡμῖν δαίμονος σχέσιν πρὸς τὸ ζῷον ὁ Τίμαιος τῇ λογικῇ ψυχῇ δέδωκεν· πολλῷ δὴ οὖν τῷ ἀλόγῳ μᾶλλον ὡς δαίμων ἐφίστηκεν, διὰ τὰς ἀλογίας δῆλον αὐτῷ συναφθείς· τὴν δὲ ἄλογον ἐν κατατάξει μὲν γενέσθαι ἐν ἀνθρώπου σώματι, πάντως ἀδύνατον, διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν, τῇ ἀλόγῳ ζωῇ τοῦ ἀνθρωπείου σχήματος μὴ συμβαίνοντος· τοῦτο μὲν γὰρ, φησὶν ὁ Τίμαιος, εἰς οὐρανὸν ἀνακρεμάννυσιν τὴν κεφαλὴν . . . οὐκ ἔγγειον ἀλλ' οὐράνιον τὸν ἐκεῖνον . . καὶ οὐδὲν ἔχει πρὸς οὐρανὸν ἀνανεῦον· ἔξωθεν δὲ ἐφεσάναι

τῇ ἀνθρωπίνῃ ψυχῇ κατὰ σχέσιν ὡς ταύτῃ τῶν ἀλόγων, φαμὲν ἀδυνατώτερον· ποῦ γὰρ λόγῳ τὸ ἄλογον ἔχειν φύσιν ἐφεστάναι;

38. Τὸ τοίνυν τοῦ Σωκράτους λέγοντες, ὃς ποτε ἄνθρωπος ἦν εἰς ἄνθρωπον μετιέναι, δόξειεν ἂν τις καὶ ἄλλος εἶναι ψυχώσεως τρόπος τῶν ἀλόγων ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐκείνων ψυχῆς, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης μόνης, ὥσπερ δοκεῖ λέγειν ὁ Τίμαιος· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν τοῦ Σωκράτους δόξαν, ἐπαναγαγεῖν δυνατὸν εἰς τὴν τοῦ Τιμαίου παράδοσιν· ἔστω γὰρ ἐν ἅπασι τοῖς ἀλόγοις ἀνθρωπίνη ψυχὴ, μετὰ δὲ ταύτης ἡ ἰδία τοῦ ἀλόγου ζῴου καὶ πρὸ ταύτης· αὕτη οὖν ἐπάνεισιν εἰς ἄνθρωπον, ἡ ἐν σχέσει ψυχοῦσα τὸ ἄλογον, ἀλλ' οὐχ ἡ ἐν κατατάξει· καὶ τοῦτο ἂν λέγοι καὶ ὁ Σωκράτης λέγων, οὐ γὰρ ἥ γε μήποτε ἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν, εἰς τόδε ἥξει τὸ σχῆμα· τὴν μηδέποτε ἰδοῦσαν τὴν ἀλήθειαν ἐκείνην λέγων, τὴν πρὸ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχώσασαν τὸ ἄλογον, καὶ ποιήσασαν ἐξ ἑαυτῆς καὶ ἐκείνης ζῷον ἓν ὅλον· καὶ τὴν τοῦ Τιμαίου μέντοι κρίσιν, εἰς τὴν πᾶσιν πρόκειμενον τοῦ Σωκράτους δόξαν, περὶ τῆς θειοτέρας ψυχώσεως· καὶ γὰρ εἰ εἰς πάντα ἄλογα ζῷα δυνατὸν χωρεῖν ψυχὴν ἀνθρώπου, καὶ πάντα δι' ἑαυτῆς ψυχοῦν· ἀλλ' οὔπω λέγεται ὅτι καὶ μόνη ψύχωσις αὕτη τῶν ἀλόγων ἐστὶν ὑπὸ τοῦ Τιμαίου· κωλύει τοίνυν οὐδὲν δύο τρόπων ὄντων τῆς ψυχώσεως, τὸν ἕτερον μὲν μόνον ἐκλέξασθαι τὸν Τίμαιον, δι' αἰτίας εὐλογίστους ἃς εἴπομεν ἐν τοῖς εἰς τὸν Τίμαιον ἐκδεδομένοις· μηκέτι δὲ προσθέντα, καὶ ὅτι μόνον οἴεται τοῦτον εἶναι ψυχώσεως τῶν ἀλόγων τρόπον, χώραν διδόναι καὶ ταῖς τοῦ Σωκράτους περὶ ἀμφοτέρων ἐνδείξεσιν.

39. Ταύτῃ δὲ συμφωνεῖν δυναμένων αὐτῶν ἀλλήλοις, αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ δόγμα λοιπὸν θεωρίας ἐστὶν ἄξιον, εἴτε καὶ πᾶν ζῷον ἄλογον, μόνως ψυχοῦται ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, εἴτε καὶ ἔστιν ἄνευ ταύτης ἰδία τις τῶν ἀλόγων ψύχωσις, τὸ μὲν οὖν ἑκάστῳ τῶν ἀλόγων ζῴων παρεῖναι δόξειεν, ἵν' ἔχοι τὴν προσεχῶς ἐμπνέουσαν αὐτὸ ζωὴν, τῆς ἐν κατατάξει διὰ τὴν ἐν αὐτῷ σώματι τῷ σκιδναμένῳ κατάταξιν, αὐτῆς ἑαυτὴν συνέχειν ἀσθενούσης, καὶ δεομένης ἄλλης ἔξωθεν τῆς ζωογονεῖν αὐτὴν

δυναμένης ἀποσβέννυμένην, ὥσπερ καὶ τὸ σῶμα ἐν ᾧ ἐστιν· τὸ δὲ αὖ εἶναί τινα ζῷα ἄλογα, καὶ μὴ ὑπὸ ψυχῆς ἀνθρωπίνης ζωογονούμενα, πιστὸν διὰ τὸν τῆς μεσότητος λόγον· εἰ γὰρ τὰ μὲν φυτὰ τοῦ τρίτου μετέχει τῆς ψυχῆς εἴδους, ἄθικτα ὄντα ψυχῆς ἀνθρωπίνης, τινὰ δὲ τῶν ἀλόγων ζῴων ὑπ' ἀνθρωπίνης ψυχοῦσθαι ψυχῆς, εἶναι δήπου καὶ τὰ μέσα τούτων, μετέχοντα μὲν πάσης τῆς ἀλόγου ζωῆς, καὶ ταύτῃ κρείττονα τῶν φυτῶν ὄντα· χωρὶς δὲ ἀνθρωπίνης εἰς αὐτὰ παρούσης ψυχῆς ζῶντα, καὶ ταύτῃ τῶν καὶ ἐκείνης μετεχόντων χείρονα· καὶ ταῦτα ἄλλο τε ἄλλα γίνεσθαι· καθάπερ καὶ τῶν ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλοι δαιμονίας ἐπιπνοίας μετέχουσιν· τοῦτο μὲν οὖν ἐπιστάσεως ἄξιον, καὶ παραβλητέον τῷ τῆς μεσότητος λόγῳ, τὸν ἀπὸ τοῦ δεῖσθαι τὰς τῶν ἀλόγων ψυχὰς τῆς ἀνθρωπίνης ψυχῆς, εἰς ὃ συνέχεσθαι παρ' αὐτῆς· μή ποτε γὰρ τοῦτο μὲν καὶ ἀπὸ τῶν ἐφεστώτων αὐταῖς, δυνατὸν ὑπάρχειν· ἄνευ δὲ μεσότητος, ἢ οὐσίας ἢ ζωὰς ἢ γνώσεις ἀδύνατον παραγενέσθαι· καὶ δεῖ τινα καὶ ἀλόγων εἶναι ζῴων φύσιν ἰδίαν ἔχουσαν ψύχωσιν, ὥσπερ καὶ τῶν φυτῶν· καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἁμαρτοῦσαν, ἐνδύεσθαι τὴν ἐκείνων ζωὴν καὶ παρὰ φύσιν· οὐκ ἂν παρὰ φύσιν οὖσης τῆς μεταστάσεως, εἰ μὴ δυνατὸν ἦν ἄλλως ψυχοῦσθαι τὰ ἄλογα, καθ' ἓνα δὲ μόνον τρόπον διὰ ψυχῆς ἀνθρωπίνης· οὐδὲν γὰρ ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν μόνον, ἀεὶ γίνεται κατὰ φύσιν· τὸ οὖν πάντα γεννᾶσθαι παρὰ φύσιν πλὴν ἀνθρώπου, παντελῶς ἄτοπον.

40. Ὅτι δὲ παρὰ φύσιν ταῖς ἀνθρωπίναις ψυχαῖς, ἡ εἰς τὰ ἄλογα μετάβασις, οὐ τὰ λόγια μόνον διδάσκει λέγοντα, θεσμὸν ἁπαὶ μακάρων εἶναι τοῦτον ἄλυτον τὴν ἀνθρώπου ψυχήν,

Λύτις ἐπ' ἀνθρώπων περάαν βίον οὐκ ἐπὶ θηρῶν·

ὡς τις εἰς τὰ θηρία μετοικήσεως· ἀθέσμου ζωῆς ἐγγόνου οὔσης· ἀλλὰ καὶ Πλάτων, ἁμαρτουσῶν ψυχῶν εἶναι τὴν τοιαύτην ψύχωσιν τιθέμενος· ἄτοπον δὴ τὸ μόνην καὶ πᾶσαν τὴν τῶν ἀλόγων σύστασιν κατὰ φύσιν μὴ εἶναι, καὶ φυτῶν καὶ ἀνθρώπων κατὰ φύσιν γενομένων· τίνι γὰρ ἔσται κατὰ φύσιν ταῖς ψυχαῖς; ἀλλὰ πᾶσαι παρὰ φύσιν ζῴοις, ἐν τοιούτοις οὖσαι σώμασιν, ἀλλὰ τοῖς

σώμασιν· ἀλλ' οὐδὲ τούτοις κατὰ φύσιν ψυχῶν οὖσιν ὀργάνοις, παρὰ φύσιν αὐτοῖς χρωμένων· πᾶν γὰρ ὄργανον καλὰ φύσιν ἔστιν τοῦ χρωμένου καλὰ φύσιν· εἰ δὲ δὴ καὶ δαιμόνων ἐστὶν φῦλον ἄλογον, καὶ οὐ πᾶν τὸ δαιμόνιον λογικόν· ἐπεὶ πῶς . . . ἱερατικὴν . . διὰ τοῦ δαιμονίου γένους, εἰ μὴ πρὸς τῷ λογικῷ, τὶ δαιμόνιον καὶ ἄλογον . . καὶ τὰ λόγια τισὶν ἀπεικάζειν εἰωθεν καὶ κλῆρον ἀποκαλεῖν, ὡς νοῦ καὶ διανοίας ἄμοιρον, πῶς οὐχὶ καὶ θνητόν ἐστίν τι μόνως ἄλογον γένος, ψυχῆς ἀνθρωπίνης ἀμέτοχον; οὐ γάρ που κἀκεῖνο φήσομεν ὑπὸ τοιαύτης γεγονέναι ψυχῆς, ἀίδιον ὂν οὐδὲ ἀϊδίου γένους ἀλόγου, καὶ ἄνευ ἀνθρωπίνης ὄντος ψυχῆς, θνητὸν ἀδύνατον εἶναι τοιοῦτον φήσομεν· ἔτι δὲ ἑκάστην τῶν ἰδεῶν μὴ καλὰ τὴν ἑαυτῆς ἰδιότητα τῶν ζῴων εἴδη γεννᾷν, ἀλλὰ πάσας θεῖσθαι μιᾶς πρὸς ἣν ἀντιδιήρηται, παντελῶς ἄτοπον· θεήσονται γὰρ αἱ τῶν ἀλόγων ζῴων ἰδέαι μιᾶς πάσαι τῆς ἀνθρώπου, διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ψυχὴν ἄνευ ταύτης, ἵππον ἢ κύνα ἢ λέοντα γεννήσασθαι μὴ δυνάμεναι, μὴ δ' ἄλλό τι ζῷον· ἢ δι' ἐκείνης πᾶσαι ψυχοῦσιν τὰ τῇδε ζῷα, τρόπον δὲ ἄλλον ἀδυνατοῦσι ποιεῖν κύνας καὶ ἵππους καὶ λέοντας, καὶ ἕκαστα τῶν ἄλλων ζῴων.

41. Τί οὖν ἐστιν ὁ δὴ γεννῶσιν; τὸ μὲν γὰρ εἶδος ἐξ ἄλλης παραγίνεται τοῖς ζῴοις ἰδέας τῆς ἀνθρωπίνης· εἰ δὲ τὴν ὕλην ὑφιστᾶσι μόνην οἷον τὸ σῶμα τῶν ζῴων, οὐκέτι ζῴων ὡς οἵονται ἰδέαι, ἀλλὰ ὕλης τῶν ζῴων· καὶ ταύτης ἀλλοτρίας τῶν εἰδῶν· οὐκ ἄρα μόνος οὗτός ἐστι τῆς τῶν ἀλόγων ψυχώσεως ὁ τρόπος, ἀλλὰ πρὸ τούτου· πάντως τῶν ἰδίων ψυχῶν ἑκάστοις ἐστὶ γένεσις· πρὸ τοῦ παρὰ φύσιν, τῆς κατὰ φύσιν ψυχώσεως οὔσης, καὶ πρὸ τῆς μερικῆς τῆς κοινῆς πάντων τῶν ὁμοειδῶν· ταῦτα καὶ τῆς ὀρφικῆς ἡμᾶς ἐκδιδασκούσης . . . θνητῶν τούτων ζῴων λέγει . . ὅτι τοὺς βίους ἀμείβουσιν αἱ ψυχαὶ κατὰ μέν τινὰς περιόδους, καὶ εἰσδύονται ἄλλαι εἰς ἄλλα σώματα

Πολλάκις ἀνθρώπων καὶ υἱέες ἐν μεγάροισιν,
Εὔκοσμοι τ' ἄλοχοι καὶ μητέρες ἠδὲ θύγατρες,
Γίνονται ἀλλήλων μεταμειβομένῃσι γενέθλαις.

ἐν γὰρ τούτοις τὴν ἀπ᾽ ἀνθρωπίνων σωμάτων εἰς ἀνθρώπινα μετοίκισιν αὐτῶν παραδίδωσιν· τοῦτο δὲ οὐδ᾽ ἂν Ἀριστοτέλης ἀπαγορεύσειεν, εἴπερ ἀθανάτους τε εἶναι δίδωσιν τὰς ψυχὰς, καὶ τῷ πλήθει πεπερασμένας, καὶ τὸν κόσμον ἀίδιον· ὧν τὸ μὲν καὶ λέγει καὶ δείκνυσιν, ἀίδιον εἶναι τὸν κόσμον· τὸ δὲ ὁμολογεῖ σαφῶς, ὅταν λέγῃ περὶ τοῦ δυνάμει νοῦ· καὶ τοῦτο μόνον τῶν ἐν ἡμῖν ἀθάνατον· Τὸ δὲ ἀναγκάζεται συγχωρεῖν, τὸ πᾶν ἀίδιον πλῆθος εἶναι πεπερασμένον· ἔπειθ᾽ ὅτι καὶ εἰς τὰ ἄλλα ζῷα μετάβασίς ἐστι τῶν ψυχῶν τῶν ἀνθρώπων, καὶ Τοῦτο διαῤῥήδην Ὀρφεὺς ἀναδιδάσκων, ὁπηνίκα ἂν διορίζηται.

Οὔνεκ᾽ ἀμειβομένη ψυχὴ κατὰ κύκλα χρόνοισι
Ἀνθρώπων ζώοισι μετέρχεται ἄλλοθεν ἄλλοις·
Ἄλλοτε μέν θ᾽ ἵππος ὕδε γίνεται . . .
Ἄλλοτε δὲ πρόβατον, τότε δ᾽ ὄρνεον αἰνὸν ἰδέσθαι,
Ἄλλοτε δ᾽ αὖ κυνέον Τε δέμας, φωνή τε βαρεῖα,
Καὶ ψυχρῶν ὀφίων ἕρπει γένος ἐν χθονὶ δίῃ·

τούτοις μέντοι τὸν Ἀριστοτέλη συγχωρῆσαι, παντελῶς ἀμήχανον· δεῖ γὰρ φησὶν τὴν μὲν ψυχὴν τῷ σώματι χρῆσθαι, τὴν δὲ τέχνην τοῖς ὀργάνοις· Τὰ δὲ ὄργανα τὰ ἀλλότρια ταῖς τέχναις εἶναι ἄχρηστα πάσαις· ταῦτα μὲν οὖν μυριόλεκτα· καὶ εἴρηται καὶ ἡμῖν περὶ αὐτῶν ἐν Τοῖς τῆς παλιγῳδίας ὑπομνήμασιν, ὅπως ἐστὶν ἐλεγκτέα διὰ πλειόνων.

42. Ὅτι δὲ καὶ ἰδία τῶν ἀλόγων τίς ἐστιν ψύχωσις, ἀλλ᾽ οὐκ ἀπὸ μόνων τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, δηλοῖ λέγων ὁ Ὀρφεύς·

Αἱ μὲν δὴ θηρῶν τε καὶ οἰωνῶν πτεροέντων
Ψυχαί, ὅτ᾽ αἰίζωσι λίπῃ δέ μιν ἱερὸς αἰών·
Τῶν οὔ τις ψυχὴν παράγει δόμον εἰς αἴδαο,
Ἀλλ᾽ αὐτοῦ πεπότηνται ἐτώσιον εἰς ὅ κεν αὐτὴν
Ἄλλο ἁφαρπάζῃ μίγδην ἀνέμοιο πνοῇσιν·
Ὁππότε δ᾽ ἄνθρωπος προλίπῃ φάος ἠελίοιο,
ψυχὰς ἀθανάτας κατάγει κυλλήνιος Ἑρμῆς·
Γαίης ἐς κευθμῶνα πελώριον·

δι᾽ ὧν τὰς μὲν ἀνθρωπίνας ψυχὰς βούλεται χωρεῖν εἰς τὸν ὑποχ-

θόνιον τόπον καθάρσεως ἕνεκα καὶ κολάσεως, καὶ εἰς τὰ δεσμωτήρια τῆς τίσεως· τὰς δὲ τῶν ἀλόγων, αὐτοῦ περὶ τὸν ἀέρα πωτᾶσθαι, μέχρις ἂν εἰς ἄλλα σώματα πάλιν ἐνδεθῶσιν· εἰ δ' ἦσαν καὶ αἱ τῶν ἀλόγων ψυχώσεις ἀπὸ ψυχῶν ἀνθρωπίνων μόνων, πάσας ἔδει φάναι τὸν Ἑρμῆν εἰς ᾅδου κατάγειν ἢ καθαρθησομένας ἢ κολασθησομένας, ὥσπερ καὶ Πλάτων ποιεῖ, καὶ τὰς ἐκ τῶν ἀλόγων ἀνθρωπίνας δὲ οὔσας ψυχὰς εἰς τὸν ὑπὸ γῆς τόπον ἀπάγων, καὶ πάλιν ἐκεῖθεν στίλλων εἰς ἄλλας βίων αἱρέσεις, ἃ δὴ πρόσθεν ἐπεδείξαμεν· ἐπεὶ καὶ τὰ ἄλλα παρ' Ὀρφέως ἐμυθολόγησεν λαβών, οἷον ὅτι ἐν τῷ Ἀχέροντι καθαίρονται καὶ τυγχάνουσιν εὐμοιρίας τινός.

Οἱ μὲν κ' εὐαγίωσιν ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
Λύτις ἀποφθίμενοι, μαλακώτερον οἶτον ἔχουσιν
Ἐν καλῷ λειμῶνι βαθυῤῥόου ἀμφ' Ἀχέροντα.

Καὶ ὅτι κολάζονται ἐν τῷ ταρτάρῳ.

Τὰ δ'' ἄδικα ῥίξαντες ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
Ὕβριν θ' αἳ καταγόνται ὑποπτωκάτω κυτοίο
Τάρταρον ἐς κρυόεντα.

διὰ γὰρ τούτων σαφῶς τὰ πλατωνικὰς διατάξεις περὶ τῶν ὑπὸ γῆς λήξεων φαίνεται προλαβών, ὥσπερ καὶ τὰς περὶ τῶν μεσμψυχώσεων· εἰ δὲ ταῦτα ἑπόμενος Ὀρφεῖ διατάττει Πλάτων, ἆρ' οὐ γελοῖον ἐστιν; ἀφίημι γὰρ θεμιτὸν λέγειν τὸν τῶν τοιούτων ἡγεμόνα δογμάτων, οἷς ἡ Πλάτωνος φιλοσοφία διαφέρει τῶν ἄλλων ἁπασῶν, εἰς ἄλογα ζῷα κατάγειν, καὶ κύκνου ψυχὴν ποιεῖν· οὗ καὶ τὴν περὶ τῶν θείων ὑφήγησιν αὐτὸς ἐν Τιμαίῳ πιστὴν εἶναι φησίν, καίπερ ἄνευ τε εἰκότων λόγων καὶ ἀποδείξεων λεγομένην, ὡς δι' ἐνθεασμὸν εἰδότος μάλιστα τὰ τῶν θεῶν πατέρων ὄντων, ἢ τις ἐστὶν τῆς θεογονίας τοῖς ἕλλησιν πατὴρ, ἂν αὐτὸς παραδοῦναι προθέμενος; ἐπὶ τοὺς παραδόντας πρώτους ἀνάγει τὴν περὶ αὐτῆς ἀλήθειαν, ἀλλὰ τοῦτο μὲν καὶ ἐν ἀρχῇ τῶν ἐξηγήσεων τῆς ῥήσεως ταύτης διὰ πλειόνων ἐξητάσαμεν.

43. Τέλος δὲ ἀρχῇ συνάψαντες, τῶν ἑπομένων λοιπὸν ἀντιλαβόμεθα τοῦ μύθου ῥημάτων· "ἐπειδὴ δ' οὖν πάσας τὰς ψυχὰς

τοὺς βίους ἡρῆσθαι, ὥσπερ ἔλαχον ἐν τάξει προσιέναι πρὸς τὴν Λάχεσιν, ἕως τοῦ ἀμεταστρεπτὶ ὑπὸ τὸν τῆς ἀνάγκης θρόνον „· μετὰ τὰς αἱρέσεις τῶν βίων αἱ πρὸς τὰ ὕλα τῶν ψυχῶν εἰσι συντάξεις, καὶ αἱ ἀπὸ τῶν ὅλων εἰς τὰς ψυχὰς μεταδόσεις· δεῖ γὰρ εἶναι τὸ μὴ ἀπηρτῆσθαι τὰ μέρη ποτὲ τῶν ὅλων, μὴ δὲ τὸ αὐτεξούσιον ἀφανίζειν τὴν τάξιν· ὥσπερ μὴ δὲ τὴν τάξειν ἀνατρέπειν τὸ αὐτεξούσιον, ὃ δὴ κατ' οὐσίαν ἡμῶν ὑπάρχει . . . ἀφορίσασαν εἰκότως· ὅλον γὰρ αὕτη . . τὸν οὐρανὸν ἐν τοῖς γόνασι κείμενον τῆς μητρὸς· ἡ δὲ Λάχεσις φησὶν, ὥσπερ ἔλαχον οὕτω καὶ κατὰ τὴν τάξιν προελθούσαις, τῶν μὲν πρώτων τῶν δὲ δευτέρων τῶν δὲ ταύταις ἑπομένων, ἀπονέμει τὸν δαίμονα φύλακα τοῦ βίου ὃν ἑκάστη προείλετο, καὶ τῶν αἱρεθέντων ἀποπληρωτὴν· καὶ ὁ δαίμων οὗν ἡμῖν ἀπὸ τῆς αὐτῆς δίδοται μοίρας, ἀφ' ἧς ὁ κλῆρος, καὶ τὰ παραδείγματα τῶν βίων· καὶ γὰρ οὗτος ἐπίτροπος ἡμῶν ἐστιν τοῦ βίου, τρίτος ὢν ἀπὸ τῆς Λαχέσεως· ἡ μὲν αὐτόθεν ὡς θεὸς ἡμῖν ἐφίστησιν τὸν δαίμονα τοῦτον, ὁ δὲ προφήτης ὡς ἄγγελος τῆς Λαχέσεως· διὸ καὶ ὁ μὲν λέγων αὐτὸν ἐπέστησεν, ἡ δὲ δρῶσα τοῦτο χωρὶς λόγων τὸν προσήκοντα θεοῖς τρόπον· τὸ μὲν οὗν προσελθεῖν ἐστιν τῇ Λαχέσει, τὸ συνταχθῆναι πρὸς τὰς ποιήσεις αὐτῆς εἰς τὸ πᾶν προϊούσας, καὶ ὑποδέξασθαι τὴν δόσιν τὴν εἰς ἡμᾶς καθήκουσαν, ὡς μέρη τοῦ παντὸς γενομένους· ὁ δὲ δὴ δαίμων παρὰ τῆς Λαχέσεως ἡμῖν ἐπιστάτης, δόσεις ἄγει πρὸς τὰς ἑξῆς μοίρας, ἤδη τῶν ἀπὸ τῆς Λαχέσεως μετασχόντα ἡμᾶς· καὶ πρῶτον ὑπὸ τὴν Κλωθὼ καὶ ὑπὸ τὴν ἐκείνης χεῖρα· τῇ γὰρ δεξιᾷ μόνῃ τὸν ἄτρακτον κινεῖν, καὶ ὑπὸ τὴν ἐπισφροφὴν ταύτην τῆς τοῦ ἀτράκτου δύνης.

44. Καὶ προσεκτέον ὅπως εἶπεν ὑπὸ τὴν Κλωθὼ τὸν δαίμονα ἄγειν, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τὴν Κλωθώ· καὶ τό γε εἰ ἄνωθεν ἠγόμεθα· τοῦτον ἂν τρόπον ὀρθότερον εἰπεῖν ἀπὸ . . . δαίμονος, ὡς ὑποκατακλινομένην ταῖς περιόδοις αὐτῶν, καὶ ὑποδεχομένην τὰς εἰς ἡμᾶς κινήσεις διαβαινούσας ἐκεῖθεν· τί οὖν ἀπὸ τῆς Κλωθοῦς παραγίνεται; κυρωθῆναι φησὶ ἣν εἱλόμεθα μοῖραν· οὐχὶ τὸ τῆς ζωῆς εἶδος μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἀπονεμόμενα ἡμῖν ἀπὸ τοῦ παν-

τός· ἐκ γὰρ τῆς Λαχέσεως πυρ' ἧς καὶ βίος, τὰ συναμφότερα ἔχομεν· ἡ δὲ Κλωθὼ, κυρεῖ ταῦτα τοῖς ἑαυτῆς νήμασι καὶ κλώσμασιν, ἐπιῤῥέουσα ἡμῖν τὰς ἐκ τῆς ἀπλανοῦς δόσεις· αὕτη γὰρ ἡ κύρωσις· ἐπειδὴ δὲ ἀπὸ τοῦ ὑψηλοτάτου κύκλου πρόεισιν εἰς ἡμᾶς ὄντας ὑπὸ σελήνην, κλώσει τινὶ ἀπείκασται, καὶ τὸ ὄνομα ἔσχεν ἐντεῦθεν ἡ Κλωθὼ· δηλοῖ δὲ καὶ τὴν συμπλοκὴν ἅμα τῶν ἐκεῖθεν διδομένων· καὶ γὰρ τὰ κλωθόμενα περιστρέφεταί πως ἑαυτοῖς, ἠλάκατα στρωφῶσα, φησὶν ἡ ποίησις· οὔκουν μόνον ἀπὸ τῶν ζῳδίων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν παρανατελλόντων, ἔρχεται εἰς ἡμᾶς παμπόλλη τις δόσις· ἀφ' ὧν καὶ εἰώθασι Χαλδαῖοι τὲ καὶ Αἰγύπτιοι πολλὰ περὶ τῶν βίων ἡμῶν προγιγνώσκειν, ὡς μεγάλην μοῖραν καὶ τούτων ἐχόντων καὶ δραστήριον περὶ τὰς γενέσεις· τὴν οὖν ἀπὸ πάντων τούτων εἱρμένην ποίησιν καὶ συμπλεκομένην, στρύψει καὶ περιστροφῇ μετὰ τῆς ἄνωθεν εἰς τὸ κάτω τοῦ νήματος τάσεως ἀπείκασαν οἱ παλαιοὶ, καὶ ἀπεικάσαντες Κλωθὼ διὰ ταῦτα τὴν μοῖραν ἐκάλεσαν· μετὰ ταύτην τοίνυν, ἐπὶ τὴν νῆσιν ἄγει τῆς Ἀτρόπου, πέρας ἐπιτιθεῖσαν τῇ κλώσει, καὶ δι' ὧν αὕτη νημάτων δίδωσιν ἀμετάστροφα τὰ κλωσθέντα ποιοῦσαν· παραδεξαμένη γὰρ αὕτη παρὰ τὰς Κλωθοῦς τὴν νῆσιν διὰ τῶν πλανωμένων κύκλων, ἄλλα ἐπ' ἄλλοις ἡμῖν ἐκεῖθεν ἐκ τῶν κινήσεων αὐτῶν προξενεῖ· καὶ ὅσῳ δὴ πλέον τὰ δεύτερα ἐπὶ τοῖς πρὸ αὐτῶν εἰς ἡμᾶς ὁρᾷ, τόσῳ μᾶλλον ἄρυκτα πάντα γίνεται τὰ μοιραῖα· βαθύνουσα γὰρ ἡ ψυχὴ, πλείοσιν ὑποκατακλίνεται περιόδοις· ἀφ' ὧν οὐκ ἔστι δυνατὸν ἀναφυγεῖν, μὴ τέλος ἐπιθεῖσαν τοῖς αἱρεθεῖσιν.

45. Οὐκ ἄρα δεῖ μόνον οἴεσθαι τὰς γίνει συμπληροῦσθαι τῶν ἀνθρώπων ἢ τῶν ἄλλων ζῴων, ἀπὸ τῶν ἀπλανῶν ἢ ἀπὸ τῶν πλανωμένων μόνων, ἀλλ' ἀπὸ πάντων εἱρμὸν ἕνα γίνεσθαι, καὶ τάξιν ἡμῖν ἐφήκουσαν, καὶ διὰ τῶν πλανωμένων ἡμῖν τὰ ἀπὸ τῶν ἀπλανῶν δίδοσθαι· τῶν τε κύκλων τῶν ἐκεῖ, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς μοιρῶν, καὶ τῶν ἀστέρων, καὶ τῶν ὅλων ζῳδίων, καὶ τῶν ἄλλων συστάσεων οἵαι ποτ' ἂν ὦσιν, ἃς ἄνθρωποι κατιδόντες ἐπεφήμισαν ἄλλας ἄλλοις ὀνόμασιν· τὰ μὲν γὰρ ἀπὸ τούτων ἔργα, εἶναι

πάντα τῆς μεγίστης Κλωθοῦς· τὰ δὲ ἀπὸ τῶν πλανωμένων, τῆς Ἀτρόπου δευτέραν τάξιν λαχούσης, καὶ διαπορθμευούσης εἰς τὰ τηδε τὰς ἐκείνης δόσεις, ἀπὸ τῶν ὑψηλοτέρων ὡρμημένας· ἃ δὴ πάντα κατιδὼν ὁ Ἠλάτων, ἄγει τὴν ψυχὴν ὑπὸ τὴν Κλωθὼ προτέραν· εἶθ' ὑπὸ τὴν Ἄτροπον, εἶθ' οὕτως ὑπὸ τὸν τῆς ἀνάγκης θρόνον, ὑφ' ὃν καὶ θεῶν εἰσι καὶ δαιμόνων ἄρα τάξεις συντελοῦσαι πρὸς τὰς γενέσεις, τῷ τήνδε κατὰ τὰς ἀνάγκης διὰ τὴν βούλησιν· καὶ τοῦτο μὲν εἰς αὖθις.

46. Εἰ δὲ ἐφάπτεσθαι λέγει τὸν δαίμονα τῆς χειρὸς τῆς Κλωθοῦς, καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν Ἄτροπον ἄγειν τὴν ψυχὴν, δῆλον δήπουθεν ὅτι τὴν ἑαυτοῦ πρόνοιαν ἐξάψας τῆς Κλωθοῦς, καὶ ἀμέσως αὐτῇ συνὼν, καὶ τῇ Ἀτρόπῳ παραπλησίως, οὕτως ποδηγεῖ τὴν εἱλομένην αὐτὸν ψυχὴν· καὶ εἰ μὴ μόνον ἡ Ἄτροπος, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἀμετάστροφα ποιοῦσι τὰ κλωσθέντα, τῶν μοιρῶν ἔστιν ὄντως ὑπουργός, συντελῶν ταῖς εἰς ἡμᾶς αὐτῶν δραστηρίοις δόσεσιν, κατὰ τὸν περὶ ἑαυτοῦ ῥηθέντα λόγων ἱερόν· " ᾧ βασίλειον ἡμετέρης γενέθλης μοῖραι δόσαν ,, ἐνταῦθεν δὲ ἤδη φησὶν μεταστρέφοντα τὴν ψυχὴν αὐτὸν ἄγειν ὑπὸ τὸν θρόνον τῆς ἀνάγκης· ὑπὸ μὲν γὰρ τὴν ἀνάγκην, καὶ πρότερον ἦν· ὑπὸ δὲ τὸν θρόνον αὐτῆς, τελέως ὑποταχθεῖσαν λέγεται γίνεσθαι τοῖς κοσμικοῖς κλώσμασιν, καὶ ταῖς περιόδοις πάσαις· ὥστε καὶ εἴ τις ἐστὶν ὑπὸ σελήνην δαιμόνων ἢ θεῶν γενεσιουργῶν τάξις, ἀφορίζουσα ταῖς κατιούσαις ὅσα αὐτῇ προσῆκεν, καὶ ὑπὸ ταύτην ἤδη τελεῖν· διὸ τῷ θρόνῳ τῆς ἀνάγκης πανταχῶς ὑπίστρωται.

47. Τὴν μὲν οὖν ἀνάγκην τίνα δεῖ νομίζειν, καὶ πρότερον εἴπομεν, καὶ μαρτυροῦσαν ἔχομεν τὴν ἱερατικὴν παραδοῦσαν καὶ αὐτοπτικὴν κλῆσιν τῆς μεγίστης θεοῦ ταύτης, καὶ διδάξασαν πῶς ὀρθείσης προσιέναι· δεῖ γὰρ ἄλλον τρόπον τὸ παραδοξότερον, ἢ τοῖς ἄλλοις θεοῖς, εἰ ὁ ταῦτα γράφων Πετόσιρις ἐστὶν ἀξιόχρεως ἀνὴρ, παντοίαις τάξεσιν θεῶν τε καὶ ἀγγέλων συναλισθείς· ἀλλὰ καὶ ὅτι τῇ Θέμιδι τὴν αὐτὴν εἶναι τὴν ἀνάγκην ταύτην οἰητέον, οὐ μόνον ἐκ τῶν ἑλληνικῶν θεογονιῶν πιστὸν, ἀλλὰ . . . τῆς Θέμιδος ἐπικλήσεις πρῶται, μέσαι, τελευταῖαι συνάπτουσιν,

καὶ τὴν ἀνάγκην λίγουσαι σαφῶς Θέμις καὶ ἀνάγκη, καὶ τοῦτο ἐπὶ πασῶν· τὸν δὲ δὴ θρόνον αὐτῆς, εἴτε τὴν ζωὴν τὴν ὑποδεξαμένην αὐτῆς τὴν μόνιμον καὶ ἄκλιτον ἕνωσιν, εἴτε καὶ ὅλον ἐκεῖνο τὸ θεῖον φῶς τὸ περιέχον τὴν τοῦ οὐρανοῦ περιφορὰν, συμβολικῶς οἰκεῖον δηλοῦν ἐν τῷ παρόντι πᾶσαν τὴν ἑστῶσαν ἀεὶ καὶ ἀκίνητον βασιλείαν τῆς ἀνάγκης, ὑφ' ἣν εἰς τὸ ἔσχατον προελθοῦσα τῶν περιόδων γίνεται ψυχὴ, πρόεισιν δὲ εἰς τὸ ἔσχατον, ταῖς ἀπὸ τῶν οὐρανίων περιληφθεῖσα ποιήσεσιν· ὥστε μὴ μόνον εἶναι τοῦ κόσμου μέρος, ἀλλὰ καὶ ἕν τι τῶν ἐσχάτων μερῶν, καὶ τῶν διοικουμένων ἀντὶ τῶν διοικούντων τὸ πᾶν· οἷον εἴ τις φιλόσοφος εἰς ναῦν ἐμβαίη, καὶ γένοιτο πλωτὴρ· ἀνάγκη γὰρ τοῦτον καὶ ὑπὸ τῶν ναυτῶν τὰ καὶ τὰ ἀκούειν, ἕπεσθαι τῷ κυβερνήτῃ, καὶ ἀνέμων ὑποκεῖσθαι ζάλαις, καὶ εἶναι τρόπον τινὰ διαφέροντα τῶν ἑτεροκινήτων οὐδέν· οὕτω γὰρ καὶ ψυχὴ πεσοῦσα πάντως εἰς γένεσιν, ἔκκειται δαίμοσιν ὑλικοῖς, ὑπέστρωται τῷ ἄγοντι δαίμονι, τῶν κοσμικῶν περιόδων τῆς ποιήσεως ἐξάρτηται, ποιουσῶν ἄλλων ἄλλα εἰς αὐτήν.

48. "Καὶ δι' ἐκείνου διεξελθόντα, ἐπειδὴ καὶ οἱ ἄλλοι διῆλθον, πορεύεσθαι καὶ ἅπαντας εἰς τὸ τῆς λήθης πεδίον, ἐως τοῦ καὶ ὅσα γῆ φύει· ,, δίεισι μὲν ὁ δαίμων, διὰ τοῦ θρόνου τῆς ἀνάγκης, οὐχ ὡς τόπον ἐκ τόπου μεθιστάμενος, οὐδὲ ὡς ἀμείβων τὴν τάξιν, ἀλλ' ὡς τὴν ἐνέργειαν δι' ἧς ἄγει τὴν ψυχὴν, εἰς τὸ τέλος τοῦ παντὸς . . . τῆς ὑποδεξαμένης ζωῆς . . τῆς ἀνάγκης ἔδραν ἄνωθεν, ἕως τῶν τελευταίων· οὔτε μὲν οὖν εἰ τὸ διεξελθεῖν ἐπὶ τοῦ δαίμονος ἀκούοις, τοῖς δ' ἑπομένοις ἀκολουθότερον, ἐπὶ τῆς ψυχῆς τοῦ Ἤρος τοῦτό τε καὶ τὰ ἀκόλουθα τούτῳ νοεῖν· ἐπάγει γὰρ ὅτι ἀφικνεῖται εἰς τὸ πεδίον τῆς λήθης, ὃ δὴ ἐπὶ τοῦ δαίμονος ἀκούειν ἄτοπον· ἀλλ' ἔοικεν ὁ τοιοῦτων ἄγγελος περὶ ἑαυτοῦ λέγειν, καὶ πρὸς τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀποδιδόναι καὶ τοῦτο· προείρηται γὰρ, ὅτι ἔφη ἰδεῖν τοιὰς καὶ τοιὰς αἱρέσεις· ἔφη οὖν διεξελθόντα ἑαυτὸν διὰ τοῦ θρόνου τῆς ἀνάγκης, ἐπειδὴ καὶ οἱ ἄλλοι διῆλθον, οὕτως ἀφικνεῖσθαι πάντας εἰς τὸ τῆς λήθης πεδίον, διὰ καύματος καὶ πνίγους· καὶ γὰρ εἶναι

φησὶν αὐτὸ δένδρων κενόν, καὶ ὅσα γῆ φύει πάντων· ὅτι μὲν οὖν ἀντίθετόν ἐστιν πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας πεδίον τῷ τῆς λήθης πεδίῳ, δῆλον· εἴπερ τοῦτο μὲν ἄκαρπον καὶ ἄγονον καὶ αὐχμηρόν, ἐκεῖνο δὲ ζωῆς πλῆρες, τροφὸν τῶν ψυχῶν, τῶν νοερῶν καρπῶν ἀποπληρωτικόν, ὡς ἐν Φαίδρῳ μεμαθήκαμεν· εἰ οὖν ἐκεῖνο τὸ πεδίον ἐν τοῖς ἀκροτάτοις, τοῦτο ἂν εἴη πάντως ἐν τοῖς ἐσχάτοις· δηλούτω τοίνυν ὡς ὁ λειμὼν ὁ τῇδε τὸν αἰθέριον, οὕτω τὸ πεδίον τὸν ἀέριον τόπον τὸν παχὺν, ἐν ᾧ καὶ ἐρημία δένδρων ἐστὶν σκιὰν ποιεῖν δυναμένων, καὶ αὐχμὸς διὰ τὰς διεπλώσεις τῶν ἀκτίνων· καὶ ἄλλως τοῦ αὐχμοῦ τὴν ἄγονον ὕλην σημαίνοντος, ἣν καὶ τὰ λόγια προσαγορεύειν εἴωθεν αὐχμηράν, ἢ τὴν καὶ τὸ πνίγος παρίστησιν ἐναργῶς· ὡς ἄρα ὅσῳ βαθύνουσιν εἰς τὸ κάλλω αἱ ψυχαί, τοσούτῳ μᾶλλον ἀποστενοῦται πᾶσα αὐτῶν ἡ ζωὴ, καὶ εἰς στενὸν κομιδῇ συνάγεται· καθάπερ εἰς τὸ ἄναντες χωρούσαις, ὑπάρχει πλατεῖα τῶν ἄνωθεν ἀγαθῶν ὑποδοχὴ· διὸ καὶ τὰ λόγια παρακελεύεται πλατύνειν ἡμῖν διὰ τῆς ἀπολύτου ζωῆς ἑαυτούς, ἀλλὰ μὴ ἀποστενοῦν, πνιγμὸν ἔρωτος ἀληθοῦς ἐφελκομένους, ἀντὶ τῆς εἰς τὰ ὅλα ἀνατάσεως· ἐπεὶ καὶ οἱ πνιγόμενοι τὰς εἰσόδους ἀποστενοῦσιν, δι' ὧν μετέχομεν τοῦ κοσμικοῦ πνεύματος· ὅσῳ δ' οὖν εἰς τὸν παχύτερον ἀέρα κάτιμεν, ἐκ τοῦ αἰθέρος εἰς τὴν ὑλικὴν ἀζωίαν κατιόντες, τὰς ἀσχίζους ἡμῶν καὶ εἰς τὸ ὅλον ἀνεπλωμένας ζωὰς κατακλείομεν· ἵνα γενώμεθα διὰ στενότητα τῆς ζωῆς, τῷ ἐσχάτῳ τούτῳ δεσμῷ σύζυγοι καὶ πρέποντες· οὐ γὰρ ἦν τὸ ὁλικῶς ζῶν θέμις τῷ μερικωτάτῳ συζῆν.

49. "Σκήνασθε οὖν σφὰς ἤδη ἑσπέρας γενομένης, παρὰ τὸν Ἀμέλητα ποταμὸν, ἕως τοῦ πάντων ἐπιλανθάνεσθαι ,, τὴν μὲν ἑσπέραν, συγγενῇ τῇ τελίᾳ πτώσει τῆς ψυχῆς ὁ μῦθος παρείληφεν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ· σκότος γὰρ ὄντως συμπίπτει περὶ αὐτὴν ἐκ τῆς πρὸς τὴν ὕλην ῥοπῆς, καὶ στέρησις τοῦ θείου φωτός· ὡς οὖν ἡ ποίησις λέγει ῥιφέντα τὸν Ἥφαιστον ἐκ τοῦ Ὀλύμπου πανημέριον φέρεσθαι, καὶ ἅμα ἡλίῳ καταδύντι πεσεῖν εἰς τὴν Λῆμνον, τὸν ἔσχατον οὖσαν βυθὸν τῆς ὕλης, καὶ ὄντως λημῶντα

τοῖς ὑλικοῖς πάθεσιν, οὕτω δὴ καὶ ὁ μῦθος οὗτος, ἄνωθεν ἀπὸ τῆς Λαχέσεως, τὴν εἰς τὸν πυθμένα τοῦ κόσμου τῶν ψυχῶν ῥύσιν ἐκφαίνων, ὡς ἀπὸ τῶν φωτεινοτάτων εἰς τἀναντίαν καταντῶσαν, ἐσπέρας ἤδη γενομένης αὐτὴν κατασκήνασθαι φησίν, ὡς εἰς τὸ σκῆνος ὄντως τὸ σῶμα τοῦτο στεύδουσαν ἐν σκότῳ τῆς ζωῆς· τίς οὖν ὁ Ἀμέλης ποταμός, οὗ τὸ ὕδωρ οὐδὲν ἀγγεῖον στέγειν φησίν; λεγέσθω μὲν οὖν καὶ ὁ ἔνικμος ἀὴρ οὗτος, ὁ περιῤῥέων τὴν γῆν ὃν ὁ Τίμαιος ὁμίχλην ἐκάλεσεν· καὶ γὰρ τοῦτον ἀέρα ὄντα στέγειν οὐδὲν ἀγγεῖον δύναται, καὶ ποταμῷ ἔοικεν ἀεὶ φερόμενος διὰ τὴν ἄστατον ῥοήν· λεγέσθω δὲ καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν γῆν ἐπίῤῥυτος καὶ ἀπόῤῥυτος γένεσις, ὅρον ἔχουσα οὐδένα· καὶ τοῦτο δηλούτω τὸ μηδὲν αὐτὴν ἀγγεῖον στέγειν, ὡς εἴδους οὐδενὸς ὄντος ἱκανοῦ στέγειν τὴν δεινὴν ἐκροὴν τῆς τοιαύτης γενέσεως· καὶ γὰρ ὡς ἀγγεῖον πᾶν τοῦ ἐνόντος ὑγροῦ μορφωτικόν ἐστι καὶ σχηματιστικόν, οὕτω καὶ τὸ εἶδος τῶν ἐν γενέσει φερομένων· δοκεῖ δέ μοι καὶ ὁ Τίμαιος τούτοις σύμφωνα λέγειν ἐν οἷς φησιν, ἐπιούσας τὰς ψυχὰς εἰς ποταμὸν ἐνδεῖσθαι πολύν· τὴν ἀστάθμητον φορὰν τῶν τῇδε γιγνομένων, ποταμῷ καὶ αὐτὸς εἰκάζων.

50. Τί δὴ οὖν αἰνίσσεται τοῦτο, ὅτι μέτρον ἀπὸ τοῦ Ἀμέλητος ἕκαστον πιεῖν ἀναγκαῖον; τὸν δὲ φρονήσει μὴ σωζόμενον, πλέονος ἐμφορεῖσθαι; πάντα δὲ τὸν πιόντα πλέον ἢ ἔλασσον, πάντων ἐπιλανθάνεσθαι τῶν προβεβιωμένων; ἢ τοῦτο δὴ ἐκεῖνο παρίστησιν τὸ τὴν ψυχὴν γενέσει κοινωνοῦσαν, καὶ ἀνεγείρουσαν ἐπὶ μᾶλλον τὰς ἐμπαθεῖς ζωὰς καὶ φιλογενέσεις, ἀποτυφλοῦν ἑαυτὴν, καὶ περισπωμένην ὑπὸ τῶν πληττόντων ἐν τῷ τότε παθῶν, ἐξίστασθαι τῆς μνήμης τῶν ἔμπροσθεν; πᾶσα γὰρ ἐνέργεια τῆς ψυχῆς . . . τῶν ἐφετῶν εἰ τῆς ὀρεκτικῆς παντελῶς ἀφίσταται· καὶ ἀποστᾶσα καὶ τοὺς ἐν τῇ ψυχῇ τύπους ἀφανίζειν ὀφείλει τῆς οἰκείας κινήσεως· ὅθεν δὴ καὶ ἄλλοτε ἄλλων ἡμῖν γίνεται λήθη, προχείρων μὲν ὄντων ἐκείνων, πρὸς οἷς ἂν ὄντες τυγχάνωμεν μᾶλλον· εἰς δὲ λήθην ἐκπιπτόντων, ὅσα ἂν μὴ πρόχειρα ποιώμεθα δι' ἀμελετησίαν καὶ ἀργίαν· δεῖ γὰρ τῆς μελέτης ἀνανευόν-

σης ἡμῖν ἀεὶ τὴν μνήμην ὧν ἔγνωμεν· εἰ δὲ δὴ καὶ τὸ πνευματικὸν ὄχημα τῶν ψυχῶν ὑγρότερον γιγνόμενον διὰ τὸν ἔνικμον ἀέρα, λήθην ποιοίη τῶν τύπων, οὐδὲν θαυμαστόν· καὶ τοῦτο αἰνίσσεσθαι τὴν πόσιν ἀναγκαίαν, τὴν εἰς τὸ πνεῦμα παραδοχὴν ἐξ ἀνάγκης γιγνομένην, καὶ οἷον ὄλισθον ποιοῦσαν τῶν ἐν αὐτῷ τύπων· ἣν ἐπιτείνειν εἰκότως τοὺς φρόνησιν μὴ σωζομένους, διὰ τὴν ἑαυτῶν συμπάθειαν, περὶ τὰ ἔνυλα βαρύτερον τὸ πνεῦμα ποιοῦνλας καὶ ἐπισπωμένους· καὶ ἄλλα πολλὰ τῆς λήθης αἴτια, καταγωγὰ τῶν ψυχῶν· λέγεται μὲν δὴ καὶ ταῦτα φυσικῶς.

51. Λέγει δὲ καὶ ὁ δαιμόνιος Ἀριστοτέλης αἰτίαν, δι' ἣν ἐκεῖθεν μὲν ἰοῦσα ἡ ψυχὴ θεῦρο, ἐπιλανθάνεται τῶν ἐκεῖ θεαμάτων· ἐντεῦθεν δὲ ἐξιοῦσα, μέμνηται ἐκεῖ τῶν ἐνταῦθα παθημάτων· καὶ ἀποδεκτέον τοῦ λόγου· φησὶ γὰρ οὖν καὶ αὐτὸς, ἐκ μὲν ὑγείας εἰς νόσον ὁδεύοντα, λήθην ἴσχειν τινὰς καὶ αὐτῶν τῶν γραμμάτων ὧν ἐμεμαθήκεισαν· ἐκ νόσου δὲ εἰς ὑγείαν ἰόντα μηδένα πώποτε τοῦτο πάσχειν· ἐοικέναι δὲ τὴν μὲν ἄνευ σώματος ζωὴν ταῖς ψυχαῖς κατὰ φύσιν οὖσαν . . . σημαίνει τὰς μὲν ἐκεῖθεν ἰούσας, ἐπιλανθάνεσθαι τῶν ἐκεῖ· τὰς δὲ ἐντεῦθεν ἐκεῖσε, τῶν ἐνταῦθα διαμνημονεύειν· δοκεῖ δέ μοι καὶ τοῦτο, κατὰ τὴν τῶν θεῶν συμπίπτειν πρόνοιαν· τίς γὰρ τῶν ἐκεῖ μεμνημένη ψυχὴ, σώματος ἐπιμελεῖσθαι καὶ γενέσεως ἠθέλησεν, πειρωμένη τοιαύτης τῆς ἐν σώματι ζωῆς, πόνων ἀνηνύτων οὔσης μεστῆς; ἀλλ' ἡ λήθη τοῦ ἐκεῖ βίου καὶ τῆς ἐκεῖ ῥαστώνης ἐξανίστησιν ἡμᾶς εἰς τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ὑπ' ὀφθαλμοῖς κειμένων· ἔνθεν καὶ τέχναι πρὸς τὸν βίον ὠφθησαν ἀναγκαῖαι, καὶ ἐπιστήμαι πάντα τὸν τῇδε τόπον νοῦ καὶ θεῶν ἐπλήρωσαν, ὡς καὶ τὴν γένεσιν ἄλογον λογῶσαι, καὶ τὸν τῶν κακῶν τόπον κατακοσμῆσαι, τῇ ποικιλίᾳ τῶν ἀγαθῶν· τάχα δ' ἂν καὶ Ἀμέλητα κεκλημένως εἴη τοῦτον τὸν ποταμὸν, ὡς δι' ἀμέλειαν ταῖς ψυχαῖς ἐμποιοῦντα τὴν πολλὴν ταύτην λήθην, ἣν ἠμέλησαν ἑαυτῶν καὶ ἐνέδυσαν τὸ τῆς γενέσεως σκότος, ὡς αἵ γε θειοπρεπέστεραι τῶν ἀφικνουμένων, ἐπιπόλαιον ἔχουσαι τὴν λήθην διὰ τὴν ἐποχὴν τῶν ἐνεργειῶν, ἀναμιμνήσκονται τῶν ἐκεῖ ῥᾳδίως· ἐπέχει δὲ τὰς ἐνεργείας

ἤτε φυσικὴ διὰ τῆς τροφῆς κίνησις, καὶ ἡ τῆς αἰσθήσεως ἀλήθεια τῶν προσπιπτόντων, ὡς ἐν Τιμαίῳ λέγεται· καὶ τό γε θαυμαστὸν, ὅτι μᾶλλον ἀνάμνησίς ἐστι τῶν καθ' ὅλου, ἢ τῶν μερικῶν· οἷον ὅτι πρὸ τῆς γενέσεως τοιόνδε βίον ἔξωμεν ἐν τοῖσδε τοῖς τόποις· αἴτιον δὲ ὅτι ἡ μὲν τῶν καθ' ὅλου ἀνάμνησις, τῆς λογικῆς μόνης δεῖται ψυχῆς εὐφυῶς ἐχούσης προβολὴν ὧν ἔχει λόγων, ἡ δὲ τῶν μερικῶν τῆς φανταστικῆς· ἐν ταύτῃ γὰρ οἱ τύποι τῶν αἰσθητῶν· αὕτη δὲ ἅτε τῷ σώματι προσεχὴς ὑπὸ τῆς ἐν αὐτῷ ὑγρότητος κατακλυζομένη, πρὸς λήθην εὔφορος γίνεται.

52. "Ἐπειδὴ δὲ κοιμηθῆναι καὶ μέσας νύκτας γενέσθαι, μέχρι τοῦ εἰς τὴν γένεσιν ἅττοντας ὥσπερ ἀστέρας ,," μετὰ τὴν ἑσπέραν καὶ τὴν τοῦ ληθαίου πόσιν ὕδατος, ὕπνος μὲν παραλαμβάνεται τῷ μύθῳ, σύνθημα τὴς τῶν ἐνεργειῶν τῶν γνωστικῶν ἀργίας καὶ παρέσεως· καὶ γὰρ ὁ ζωώδης ὕπνος ἐκλύειν τὰς αἰσθήσεις, αἱ δὴ 7ῶν γνώσεών εἰσιν τῶν νοερῶν ἀποτελευτήσεις· μέσαι δὲ νύκτες αὐτὸ τὸ τῆς ζωῆς ἀφεγγέστατον ἐνδεικνύμεναι· κατὰ γὰρ 7αύ7ας ἐστὶν ἡμῶν πορρωτάτω ὁ ἥλιος· ὃν τἀγαθῷ φαμὲν ἀνάλογον ἐν τοῖς ὁρατοῖς ὑπάρχειν· πλεῖστον οὖν ἡμᾶς ἔδη τοῦ ἀγαθοῦ διεστάναι φησὶν ἡ μυθολογία, καθάπερ καὶ τῷ κοιμηθῆναι, νοῦ καὶ τῆς ἀληθοῦς γνώσεως ἀποστῆναι πλεῖστον· καὶ ἔοικεν καὶ ἡ ἔνθεος ποίησις τὸν Ἑρμῆν ἡγεμόνα καθόδων ψυχικῶν ὑπολαβοῦσα καὶ ἀνόδων τινῶν, οὕτω δὴ φαίναι τῇ ῥάβδῳ χρυσῆν εἰποῦσα τὴν ῥάβδον, καὶ τὸν θεὸν χρυσόῤῥαπιν τῶν μὲν τὰ ὄμματα θέλγειν, ὡσανεὶ κοιμίζοντα, τοὺς δὲ τῶν ἀνδρῶν καὶ ὑπνώοντας ἐγείρειν· ὕπνον μὲν καλοῦσα καὶ αὕτη τῶν ψυχῶν τὴν εἰς γένεσιν ὁδὸν· ἐξέγερσιν δὲ ἀπὸ τοῦ κάρου τούτου, πάρεσιν ἡμῖν ἐμποιήσαντος τῶν νοερῶν ζωῶν· ὡς τῶν αἰσθητικῶν ὁ ζωώδης ὕπνος, τὴν ἀπὸ γενέσεως αὖθις ἄνοδον ἐπὶ τὴν νόησιν, κατὰ τὴν τῶν ὄντων ἀνάμνησιν· καὶ ἔτι καὶ ταῦτα τῷ τῆς ἀγγελικῆς τάξεως ἡγεμόνι πρέποντα· συνάπτει καὶ τὰ ἄνω τοῖς κάτω διὰ τῶν ψυχικῶν καθόδων, καὶ τὰ κάτω τοῖς ἄνω διὰ τῶν ἀνόδων· ταῦτα μὲν, ἵνα καὶ τὸν ὕπνον ἴδωμεν ἑπομένως τοῖς θεολόγοις ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος εἰς τὸν προκείμενον μῦθον εἰσαγμένον, ἀναγκαίως εἴρηται.

53. Μετὰ δὲ τὸν ὕπνον καὶ τὰς μέσας νύκτας, βροντὴν τινα γενέσθαι φησὶν καὶ συνθήματα, καὶ ταῦτα δήπουθεν, ἀλλὰ θείων τινῶν καὶ ποσειδωνίων ἐνεργειῶν· ἐπεὶ γὰρ κάθοδός ἐστιν ἄνωθεν ἀπὸ τῶν μετεώρων εἰς τὴν γῆν, ἀπὸ τοῦ Διὸς εἰς τὸν τοῦ Ποσειδῶνος τόπον, ἡ μὲν βροντὴ σύμβολον παρείληπται, ὡς ἄνωθεν γιγνομένη, τῆς θείου ποιήσεως· ὁ δὲ σεισμός, τῆς τοῦ Ποσειδῶνος δημιουργίας· ὡς ἂν ταῖς εἰς τὴν γένεσιν ἡμῶν καθόδοις συνεπισχυουσῶν ἀμφοτέρων δημιουργιῶν· εἰ δὲ καὶ πνεύματος κίνησις, ἐν νέφεσιν μὲν τὴν βροντὴν, ὑπὸ γῆς δὲ κινουμένου τὸν σεισμὸν ἀποτελεῖ, δῆλον δήπουθεν ὅτι σύμβολον καὶ τοῦτο τῆς τοῦ ψυχικοῦ πνεύματός ἐστι κινήσεως, ἄνω τε καὶ κάτω φερομένου, διὰ τὴν παντοίαν τροφήν· ἢ καὶ τοῦ διττὰ γένη ψυχῶν εἶναι, τὰ εἰς γένεσιν χωρήσαντα, τὰ μὲν οὐρανόθεν, τὰ δὲ ἀπὸ τῶν ὑπογείων τόπων· καὶ ἡ μὲν βροντὴ τῶν ἄνωθεν ἠκουσῶν, ὁ δὲ σεισμὸς τῶν κάτωθέν ἐστι σύμβολον· τίλος γ' οὖν ἐστιν τῆς τοιᾶσδε κινήσεως, τὸ εἰς τὴν γένεσιν ἅττειν ἑξαπίνης πάντας.

54. Καὶ προσέθηκεν, ὥσπερ ἀστέρας· ἔοικεν γὰρ τῇ κινήσει τῶν διαττόντων ἀστέρων περὶ γῆν ὄντως ἡ τοῦ ὀχήματος ἡμῶν κίνησις εἰς τὴν γένεσιν· ἄλλης δὲ ψυχῆς εἰς ἄλλο σῶμα καταττομένης, εἰκότως καὶ τὰς τῶν ὀχημάτων φορὰς τὰς μετὰ τῶν ψυχῶν, ἀστέρων διαττόντων ἀπείκασεν διαδρομαῖς· τὸ δὲ ἄνω πᾶσαν ἅττειν, αἰτίαν ἔχει τὸ μετὰ τὴν πτῶσιν εἰς ζωογονίαν αὐτὰς χωρεῖν, ὅπερ ἐστὶ κρεῖττον τοῦ πεπτωκέναι μόνον· συντελεῖ γὰρ ἐστὶ πρὸς τὴν δημιουργίαν, ἀλλ' οὐ πεπτωκέναι μόνον· ἴσως δὲ συντάττειν αὐτὸν δεῖ καὶ τῷ ὥσπερ ἀστέρας, ἵν' ᾖ τὸ ὅλον ἅττοντας εἰς τὴν γένεσιν οὕτως, ὡς ἄνω τῆς γενέσεως ἀστέρας ἅττοντας ὁρῶμεν ἐν τοῖς ἄκροις τοῦ ἀέρος· εἰ δὲ ἄλλην ἄλλῃ καὶ ἑξαπίνης ὁρμᾷν φησὶν, δῆλον δήπουθεν ὡς διασπείρονται μὲν εἰς τὴν πεπληθυσμένην καὶ διῃρημένην ἐν τῇ γενέσει ζωὴν, καὶ εἰς οἰκήσεις διαφερούσας καὶ μερίδας τῆς γῆς, ἀθρόως δὲ εἰσκρίνονται πᾶσαι, καὶ ἀχρόνως τὰ σώματα ἐμψυχοῦσιν, καὶ ἀνοικίζονται ἐν αὐτοῖς· ὡς τῆς ἔξω τῶν σωμάτων ζωῆς καὶ τῆς ἐν σώμασιν, τὸν διορισμὸν ἀνεπαίσθητον ὑπάρχειν· τοιαύτην γὰρ ἐν

Παρμενίδῃ τοῦ ἐξαίφνης αὐτὸς ἡμῖν ἑρμήνευσεν φύσιν, ἄτοπον δή τινα οὖσαν ὡς ἐκεῖ λέγει, καθ' ἣν αἱ ἀπὸ τῶν ἀντικειμένων εἰς τὰ ἀντικείμενα γίνονται μεταστάσεις, καὶ εἰς κρίσεις οὖν αἱ εἰς τὰ σώματα τῶν ψυχῶν, ἐν τούτῳ δὴ τῷ ἐξαπίνης ἐπιτελοῦνται, καὶ πᾶσα μεταβολὴν εἰς τε στάσιν ἐκ κινήσεως, καὶ εἰς κίνησιν ἀπὸ τῆς στάσεως.

55. " Λύτὸς δὲ τοῦ μὲν ὕδατος κωλυθῆναι πεῖν, ἕως τοῦ καὶ τὴν ψυχὴν οὐ μεανθησόμεθα· ,, τρεῖς μὲν οὗτοι καιροὶ μάλιστα τὴν διαφορὰν ἐπίδειξαν ἡμῖν τοῦ τῶν λόγων τούτων στενουμένου πατρὸς πρὸς τὰς ἄλλας ψυχάς· εἷς μὲν ὁ παρὰ τοῖς δικασταῖς· τῶν γὰρ ἄλλων ψυχῶν σημεῖα λαβουσῶν τῆς κρίσεως αὐτὸν μὴ λαβεῖν ὡς οὔπω συμπεπληρωκότα τὸν τῇδε βίον· ἕτερος δὲ ὁ τῆς διακληρώσεως· αὐτὸν γὰρ τῶν ἄλλων κληρουμένων κλήρου μὴ τυχεῖν, τούτῳ γὰρ οὔπω ἦν ἀρχὴ ἄλλης περιόδου· τρίτος δὲ ὁ τῆς πόσεως τῆς ἐκ τοῦ Ἀμέλητος· μὴ γὰρ συγχωρηθῆναι μόνον πεῖν, ἵνα μὴ λήθῃ τῶν ὀφθέντων σχεθείη, θέοντος αὐτὸν ἄγγελον γίνεσθαι τοῖς τῇδε ἀνθρώποις τῶν πρὸ τῆς γενέσεως θεαμάτων· δῆλον οὖν ὅτι πάντες οἱ τοιοίδε λόγοι ψυχῶν εἰσιν μνήμην ἐχουσῶν ἱκανὴν τῆς χωριστῆς ζωῆς· ὥστ' ἐν μύθου σχήματι δηλός ἐστιν ὁ Πλάτων ἀναθιδάσκων, τίνος ἔργον ψυχῆς τὰ τοιαῦτα φράζειν· καὶ ὡς ταύτης, ἣν μὴ κατέκλυσεν τὸ πόμα τοῦ ποταμοῦ τῆς λήθης· τὸ δὲ οὖν ἐφεξῆς πάντων τούτων, ὅτι πῶς μὲν ἐν τῷ σώματι γέγονεν, οὐκ οἶδεν· ἡ γὰρ ἐξαίφνης ὁδὸς, οὐκ ἔδωκεν ἐπιστάσει χώραν· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἐξαπίνης γινομένων ἐφίσταμεν, χρόνου παράτασιν τῆς ἐπιστάσεως ἀπαιτούσης, ἵνα παρακολουθήσῃ τῇ ἀρχῇ καὶ τῷ μέσῳ καὶ τῷ τέλει τοῦ συμβαίνοντος.

56. Ἀναβλέψας δὲ ἴωθεν, ἑαυτὸν εἶδεν ἐπὶ τῇ πλευρᾷ κείμενον δωδεκαταῖον, ὡς εἴρηται ἐν προοιμίοις· καὶ ὅπως οὐκ ἀπίθανος ἡ ἱστορία, δι' ἐκείνων τῶν ἐν ἀρχῇ λελεγμένων ἡμῖν ὑπεμνήσαμεν· προσκείσθω δὲ ἐκεῖνο, ὅτι καὶ ἡ δυωδεκὰς, περιόδου θείας ἐστὶν ἀριθμὸς, εἰς τὸ πέρας τῶν ὄντων ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καταντήσας, πέρατα καὶ μέσα τῶν ὅλων περιλαβών, ἅτε ἀπὸ τῶν

ἀρχῶν μάλιστα προειλθὼν τῶν ἐν τοῖς ἀριθμοῖς πρωτουργῶν· τούτοις δὲ ἑπομένως ὁ Σωκράτης τὸν μῦθον συμπερανάμενος, σεσῶσθαι φησὶν ἀλλ' οὐκ ἀπολωλέναι, καὶ ἡμᾶς σώσειν ἐὰν πεισόμεθα αὐτῷ· πεισθέντες γὰρ οὐ μιανθησόμεθα τὴν ψυχὴν, καὶ ἀνοσιουργίαις ἐπιτρίψαντες ἡμᾶς αὐτοὺς· διαβησόμεθα δὲ εὖ τοῦτον τὸν τῆς λήθης ποταμὸν, τὴν γένεσιν πᾶσαν αὖθις αἰνισσόμενος· ἀφ' ἧς ἡ δίνη πλήθει ταῖς ψυχαῖς τῶν τε θείων καὶ ἑαυτῶν· νῦν γὰρ ἐν τῷ τοιῷδε ποταμῷ ζῶμεν τῆς λήθης, ὃν δεῖ διαβῆναι τὴν σύμφυτον αὐτῷ λήθην ἀποσκευαζομένους, καὶ διὰ τῆς καθάρσεως τῆς ἐκ τῶν παθῶν, ἀνανεουμένους τὴν μνήμην τῶν ὄντων· μιασμὸς γὰρ ψυχῶν ἡ ἐμπαθὴς ζωὴ καὶ ἔνυλος, ἀφ' ἧς ἐπιγινόμενον τὸ τῆς λήθης πάθος· κάθαρσις δὲ ἡ ἀποβολὴ τῶν ληθείων τούτων καὶ τῇ γενέσει συμφύλων παθῶν.

57. Τοὺς μὲν οὖν πολλοὺς, προειθίναι τοῖς μύθοις ἔθος ἦν (1) ὅτι μῦθος ἀπώλετο, δεικνῦναι βουλομένους ὡς ἄρα οἱ μῦθοι λέγουσιν μὴ ὄντα, πλασματώδεις ὄντες· καὶ ἅμα τὶ ἐρρήθησαν καὶ οὐκ εἰσὶν· αὐτὸς δὲ πᾶν τοὐναντίον καὶ ἐνταῦθα καὶ ἀλλαχοῦ, σῴζεσθαί τε καὶ σώζειν φησὶν τοὺς μύθους τοὺς παρ' αὐτῷ, μάλα γε εἰκότως· τῶν γὰρ ὄντων εἰσὶν ἐξηγηταὶ, καὶ ὠφέλιμοι τῶν ἀκουόντων ὑπάρχουσιν· τοιοίδε ὄντες καὶ τοὺς πειθομένους αὐτοῖς, ἐπανάγουσιν αὐτοφυῶς ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων ἀλήθειαν· καὶ περ ἄνευ εἰκότων καὶ ἀποδείξεως διδάσκοντες, ὡς ἂν ταῖς ἀδιαστρόφοις ἡμῶν προλήψεσιν περὶ τῶν πραγμάτων συνᾴδοντες· τὰ μὲν δὴ τοῦ μύθου τέλος ἐχέτω· σμικρὰ δὲ προσθεὶς τούτοις σπέρματα πρὸς τὴν δόξαν τὴν Πλάτωνος τείνοντα περὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν, καὶ εἱμαρμένης, καὶ προνοίας περιγράψω καὶ αὐτὸν τὸν λόγον· ὅτι μὲν οὖν ἐστι τοῦτο δὴ τὸ ἐφ' ἡμῖν δεικνῦναι κατὰ Πλάτωνα περιττὸν, πανταχοῦ τὰς αἱρέσεις τῶν ψυχῶν, αἰτίας λέγοντος αὐταῖς εἶναι τῶν τότε ἀγαθῶν πάντων καὶ τῶν κακῶν, καὶ τὴν ἀρετὴν ἀδέσποτον καλοῦντος· πλὴν ὅτι κατ' αὐτὸν, οὐκ ἔστι τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν ταυτὸν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἑκούσιον

(1) In margine: *σημειωτέον, τὸ παντὶ μύθῳ ἐπιλεγόμενον.*

ἐν μόνοις ἐστὶν τοῖς ἀγαθοῖς· εἴπερ ἀκούσιος καὶ ἀβούλητος, ὁ τῶν κακῶν βίος· ἐφ' ἡμῖν δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἡμετέρων αἱρέσεων καὶ τὰ ἁμαρτήματα· καὶ γὰρ ταῦτα αἱρούμεθα, καὶ ἑλόμενοι πράττομεν, ἀλλὰ δι' ἄγνοιαν· εἰ οὖν τὰ ἁμαρτήματα ἀκούσια μέν, ἐν ταῖς αἱρέσεσιν δὲ ἡμῶν ἐστι καὶ ταῦτα, πάντα μὲν τὰ ἑκούσια καὶ αἱρετὰ δήπουθέν ἐστιν, οὐ πάντα δὲ τὰ αἱρετὰ ἑκούσια· τούτων δὲ τὸ μὲν ἀκούσια εἶναι ὅσα ἁμαρτάνομεν, ἐν τῷ ἑνάτῳ δέδεικται τῶν νόμων· τὸ δὲ καὶ τὰ ἁμαρτήματα ἀπὸ τῶν αἱρέσεων εἶναι τῶν ἡμετέρων, καὶ ἐν τοῖς τοῦδε τοῦ μύθου ῥήμασιν ἐκφύττετο σαφῶς· αἰτία, ἑλομένου θεός, ἀναίτιος· τῶν γὰρ κακῶν δήπου θεὸς ἀναίτιος, οὐχὶ τῶν ἀγαθῶν· πάντων γὰρ αἰτιᾶσθαι χρῆναι τῶν ἀγαθῶν τὸν θεόν, ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς πολιτείας ἠκούσαμεν· ταῦτα μὲν οὖν ὅπερ ἔφην ὑπομιμνήσκειν διὰ πλειόνων περίεργον.

58. Ὅτι δὲ τὴν εἱμαρμένην αἰτίαν εἶναι φησὶν αὐτὸς τῶν τοῦ κόσμου περιόδων, καὶ οὔτε τὴν περίοδον, οὔτε τὴν τάξιν τὴν ἐν αὐταῖς καὶ τὸν εἱρμόν, ὡς τισιν ἔδοξεν, δῆλοι τὰ ἐν τῷ πολιτικῷ ῥηθέντα περὶ αὐτῆς· "τὸν δὲ δὴ κόσμον ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη καὶ σύμφυτος ἐπιθυμία, τὴν ἐναντίαν τῇ προτέρᾳ περιάγουσα κυκλήσει·" δῆλον γὰρ ὅτι κινεῖν μὲν ἐν τούτοις οἴεται τὴν εἱμαρμένην, κινεῖσθαι δὲ ὑπ' αὐτῆς τὸν κόσμον σύμπαντα, κατὰ πάσας τὰς ἐν αὐτῷ κινήσεις· διὸ ἀρχόμενον μὲν ἀκριβέστερον ἀποτελεῖν, τελευτῶντα δὲ ἀμβλύτερον· ἔττων γὰρ ἡ τάξις ἐν τοῖς ἐσχάτοις τοῦ κόσμου, πλείων δὲ ἐν τοῖς πρωτίστοις· τοιαύτην δὲ τὴν εἱμαρμένην οὖσαν, κινητικὴν λέγω τῶν κοσμικῶν περιόδων αἰτίαν, ὅτι θεὸν οὐκ οἴεται εἶναι, λάβοις ἂν ἐναργῶς ἐκ τοῦ αὐτοῦ διαλόγου· φησὶ γὰρ δύο κινήσεις ἐναντίας, δύο θεοὺς ἐναντία φρονοῦντας μὴ κινεῖν· τὴν δὲ ἀνακύκλησιν, ἐναντίαν εἶναι τῇ προτέρᾳ κυκλήσει τῇ θείᾳ· δῆλον ἄρα ὅτι τὴν τοιαύτην κινητικὴν οὐκ ἂν φαίη θεὸν εἶναι, θεὸν ἄρχειν ἐκείνης τῆς κυκλήσεως προσειπών· ἐπεὶ καὶ πάντων θεῶν ἀφέντων τὰ μέρη τοῦ κόσμου τῆς ἑαυτῶν ἐπιμελείας, οὕτως ἐπήγαγεν· ὅτε τὸν κόσμον ἐκείνων ἀφέντων, αὐτὸν ἀνέστρεφεν εἱμαρμένη λοιπόν· οἱ

ἄρα θεός ἐστιν, εἴπερ τὴν ἐναντίαν κινεῖ κίνησιν τῇ προτέρᾳ κυκλήσει τοῦ παντός, ἣν ἐκίνει θεός· θεὸν δὲ ἐναντίαν θεῶν κίνησιν ἀμήχανον κινεῖν· καὶ εἰ μετὰ τὴν ἀπόλειψιν πάντων θεῶν, οὕτω κινεῖ τὸν κόσμον, ὡς ἂν αὐτὴ μὴ οὖσα θεός.

59. Ὅτι δὲ οὐδὲ ἡ θεία ψυχὴ τοῦ παντός ἐστιν, μάθοιμεν ἂν ἐννοήσαντες, ὅπως ταύτην καὶ ἐν Τιμαίῳ θεὸν οἶδεν, εἴπερ ἕκαστον κόσμον εὐδαίμονα δι' αὐτὴν θεὸν, καὶ θείαν ἀρχὴν ἄρξασθαι φησὶν ἀπαύστου βίου καὶ ἔμφρονος· καὶ ἐν νόμοις νοῦν θεῖον προσλαβοῦσαν, εἶναι βούλεται θεόν· ὅπου καὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἄστρων ὁρῶν στοιχείων· εἰ οὖν ἡ μὲν εἱμαρμένη κατ' αὐτὸν οὐ θεὸς, ἡ δὲ ψυχὴ τοῦ κόσμου θεὸς, οὐκ ἂν εἴη εἱμαρμένη ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ, οὔθ' ἡ ἐν Τιμαίῳ οὔθ' ἡ ἐν νόμοις· ὅτι δὲ ὅπερ ὑπόλοιπον ἀληθὲς, καὶ ὡς ἡ φύσις ἐστὶν τοῦ παντὸς, ἐκ τούτων συνάγειν δυνατόν· εἰ γὰρ μήτε ἡ ψυχὴ ἐστιν ἡ προσλαβοῦσα νοῦν, μήτε τὸ σωματοειδὲς, τοῦτο μὲν γὰρ κινεῖ, θεὸς δὲ οὐκ ἔστιν, ὥσπερ ἐκείνη, λείπεται μέσην αὐτὴν οὖσαν ἀμφοτέρων· τῆς μὲν ὡς θεοῦ μὴ θεὸν χείρονα, τοῦ δὲ ὡς κινουμένου κινοῦσαν, κρείσσονα τὴν φύσιν εἶναι τοῦ παντός· καὶ γὰρ ἐν Τιμαίῳ ταῖς ψυχαῖς τοὺς εἱμαρμένους νόμους εἰπεῖν ἐθέλων, πρότερον τὴν φύσιν δείκνυσιν τοῦ παντός· οὕτω γ' οὖν φησὶν καὶ ἐμβιβάσαι ὡς εἰς ὄχημα τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ἔδειξεν, νόμους τε τοὺς εἱμαρμένους εἶπεν αὐταῖς· καὶ ἐν νόμοις πρὸς τοὺς σωματικαῖς ἀρχαῖς χρωμένους ἀγωνίζεσθαι μέλλων, καλῶς φησὶν αὐτοὺς τὰ φύσει, φύσιν ἀποκαλεῖν ὡς ἄλλης δηλαδὴ παρὰ φύσει, τῆς φύσεως οὔσης· εἰ οὖν τὰ σώματα πάντα φύσει, δῆλον ὡς φύσις ἄλλη τίς παρὰ τὰ σώματα, καὶ αἰτία τῶν φύσει καὶ κατ' αὐτόν· δέδεικται τοίνυν, ὅτι φύσις ἐστὶν τοῦ παντὸς εἱμαρμένη, καὶ κατὰ τὰς Πλάτωνος ἀρχάς.

60. Ὅτι δὲ ταῦτα συντέτακται ἀλλήλοις, τό τε ἐφ' ἡμῖν λέγω καὶ εἱμαρμένη, καὶ συνεμφαίνεται παρὰ τῆς προνοίας, λάβοις ἂν ἐκ τῶν ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν νόμων ῥηθέντων· λέγει γὰρ ὅτι μὲν οὐ βιάζεται τὸ ἐφ' ἡμῖν ἡ εἱμαρμένη ἡ πρόνοια· ταυτὶ γράψω δὲ συντεμὼν τὰς ῥήσεις· " ἐπειδὴ κατίδεν ἡμῶν τὰς πράξεις ὁ

βασιλεὺς ἐμψύχους οὔσας, καὶ πολλὴν μὲν ἀρετὴν ἐν αὐταῖς οὖσαν, πολλὴν δὲ κακίαν, ὅπερ ἦν τοῦ ἐφ' ἡμῖν ἴδιον, ἐμηχανήσατο ποῦ κείμενον ἕκαστον τῶν μερῶν, ἀρετὴν μὲν νικῶσαν, ἡττωμένην δὲ κακίαν, ἐν τῷ παντὶ παρίχοι· τοῦτο δὲ ἦν προνοίας ἴδιον, πᾶσιν χρῆσθαι κατὰ τὸ δυνατὸν εἰς τὸ ἀγαθόν· μεμηχάνηται δὴ πρὸς τοῦτο, ποῖον γιγνόμενον ἀεί, ποίαν ἕδραν δεῖ μεταλαμβάνειν· τῆς δὲ γενέσεως τοῦ ποίου τινός, ἀφῆκεν ἐν ταῖς βουλήσεσιν ἑκάστων ἡμῶν τὰς αἰτίας· ὅπη γὰρ ἂν ἐπιθυμῇ καὶ ὁποῖός τις ὢν τὴν ψυχὴν, ταύτῃ σχεδὸν ἕκαστος καὶ τοιοῦτος γίνεται ἅπας ἡμῶν ,,· δι' ὧν τὸ αὐτεξούσιον μάλιστα σώζει τῆς ψυχῆς καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν· τὸ γὰρ ποιὸν τῆς ζωῆς, τῆς ἡμετέρας ἠρτῆσθαι βουλήσεως, τὴν προαιρετικὴν δύναμιν ἀποκαλέσας ἐν τούτοις βούλησιν· τοιοῦτον δὲ ὄν, πῶς συντάττεται πρὸς τὴν εἱμαρμένην, ἐπάκουσον· " μεταβάλλει μὲν τοίνυν πάθος μέτοχα ψυχῆς, ἐν ἑαυτοῖς κεκτημένα τὴν τῆς μεταβολῆς αἰτίαν· καὶ τοῦτο πάλιν διὰ τὸ ἐφ' ἡμῖν εἰπών· μεταβάλλον δὲ φησὶν, φέρεται κατὰ τὴν τῆς εἱμαρμένης τάξιν καὶ νόμον· καὶ πῶς φέρεται· καὶ ὅτι ταττόμενον εἰς τὴν ὀφειλομένην αὐτῶν χώραν, σμικρότερα μὲν τῶν ἠθῶν μεταβάλλοντα, ἐλάττονα κατὰ τὸ τῆς χώρας ἐπίπεδον, πλείω δὲ μεταπεσόντα εἰς βάθος, τά τε κάτω λεγόμενα ὅσα ᾄδην καὶ τὰ τούτων ἐχόμενα ἐπονομάζοντες σφόδρα φοβοῦνται· ,, τοῦτον μὲν οὖν τὸν τρόπον οὐκ ἐκβαίνομεν τῆς εἱμαρμένης, ἀλλὰ κατὰ τοὺς ἐν αὐτῇ νόμους φερόμεθα, μεταβάλλοντες κατὰ τὰς ζωὰς, κύριοι τῆς μεταβολῆς ὄντες, εἰς ἄλλον καὶ ἄλλον τόπον ἀγιώτερον ἢ τιμωρητικώτερον ἢ καὶ μέσον ἀμφοτέρων· εἴρηται δὲ καὶ τὸ πάντα συντάττον, καὶ ὅτι πρόνοια, καὶ ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς βασιλεύς· εἰς ὃν καὶ ἡμεῖς ἀναβραμόντες, ἐνταῦθα περιγράψομεν τὸν περὶ τοῦ μύθου σύμπαντα λόγον.

Πρόκλου λυκίου πλατωνικοῦ διαδόχου
εἰς τὸν ἐν πολιτείᾳ τοῦ Πλάτωνος μῦθον
ὑπόμνημα.

DE SERMONIBUS ALIQUOT

SANCTI AUGUSTINI

MONITUM EDITORIS.

Diu multumque est, ex quo ineditos priscorum ecclesiae patrum sermones, latinos et graecos, linguis etiam syriaca et arabica scriptos, sed de graeco fonte saepe manantes, colligere coepi. Igitur et in mea Scriptorum veterum collectione, et in Auctoribus classicis, et in hoc etiam Spicilegio (*), *nonnullos pro re nata et quasi gustûs gratia vulgavi; veluti etiam nunc in huius voluminis calce quatuor mihi collocare placet magni Augustini sermones, quos e pervetustis membranis, neque ex uno quandoque sed ex pluribus repetitis exemplaribus, ante quinquennium delibavi; quosque adhuc anecdotos reor, post nobiles Maurinorum labores, et post vindobonensia, florentina, casinensia Romae et Parisiis edita, additamenta, quae probe novi et inspexi.*

Primus de Petro iussu Domini super mare ambulante, testimonium habet a Possidio illo, qui ferme quadraginta annis cum divo Augustino vixit, eiusque vitam et scriptorum indiculum concinnavit. Is quippe inter divi sermones memorat hunc cum huiusmodi titulo: de evangelica lectione, ubi Domino iubente Petrus super mare ambulavit. *His ego Possidii verbis, tum etiam antiquissimi codicis auctoritate fretus, hunc genuinum esse Augustini sermonem prorsus non dubito.*

De utilitate ieiunii concionatum fuisse Augustinum testatur Possidius; quod multoties ab illo factum fuisse, certum est, recurrentibus annis. Ex his sermonibus unus extat in editione maurina T. VI. p. 613. *Alter hic noster credendus est, quem*

(*) Quae T. III. p. 308. scripsi de docto viro confundente sermonem anonymum cum augustiniano, nunc, dicta nolim; etenim postea cognovi, nihil ibi animadvertendum fuisse.

secundo loco ponimus in sex priscis codicibus compertum, cuius est titulus quantum valeat ieiunium.

Tertius de nuptiis *in Chana Galilaeae, servatus est in antiquissimo codice, cuius primam paginam iamdiu attritam et evanescentem, chemicis adiumentis quantum licuit instauravi, multoque labore ac patientia legi; non ita tamen ut sine aliquot lacunis sit, quas expleri aliquando posse vix puto. Comparavi quidem hunc sermonem cum Augustini tractatibus octavo et nono in Iohannem, ubi idem argumentum evolvitur; re tamen vera noster hic totus diversus est. Item Beda in commentario ad Pauli epistolam priorem ad Timoth. cap. 4, quem ex Augustini, ut scimus, operibus consarcinavit, haud sermonem nostrum, sed illos in Ioh. prae oculis habuit. Nihilo tamen minus, quisquis beati Augustini stilum, praesertim in sermonibus, parumper callet, hunc quem in manibus habemus tractatum, sine dubio inter sinceros reponet. Praeter quam quod illa quae statim sub initio adversus Manichaeos dicuntur, quis non ab ore Augustini procedere agnoscit?*

Quartus denique sermo, cui titulus de missa cotidiana, *nomen item Augustini gerit in pervetusto exemplari; dictumque apparet, dum adhuc ethnici iudaeique inter christianos versarentur. Neque res igitur, neque aetas, neque ipse, ni fallor, stilus obstant, quominus auctoris, quem sermo prae se fert in titulo, foetum esse credamus. Nam nec cunctos Augustini tractatus indiculo suo comprehendisse Possidium, exploratum est. Ceterum hiatus aliquot, obscurasque aut dubias lectiones in hoc praesertim ac superiore sermone, nemo quaeso miretur: codicis enim originalis, dum editionem moliebar, praesentem facultatem non habui; cui deinceps incommodo, ut spero, medebor.*

Haec tantum in praesenti; latius postea rem hanc et alias expositurus, et gratias etiam illis acturus siqui me in his laboribus ac vestigationibus favore suo adiuverunt, vel adiuturi sunt.

SANCTI AUGUSTINI
EPISCOPI HIPPONENSIS
SERMONES QUATUOR.

I. De ubi beatus Petrus in mari tempestatem sustinuit in navi. Matth. XIV. 22. seqq.

Nutritos hirundo pullos suos cum volandi arti disponit, paululum quidem in aëre dimittit, quibus tamen ipsa vicina est, ne forte decidant trepidando, adhuc infirmi volando. Ita et salvator noster Iesus Christus discipulos suos quasi teneros pullos de nidulis quietis emisit marinis fluctibus adprobandos. At ubi coepit pinnas devotionis eorum marina procella turbare, et ventosa tempestas dissipare, ipse potens est sequi navigio qui imperat vento. Fecit sibi potentissimam monopedam (1), singularem quadrigam, mirandam suis vestigiis plateam componens, non marmoribus ornatam sed fluctibus pictam, non saxis sed plantis. Non longe recedit, qui pie praemisit. Ambulabant soli et non soli, temptandi, probandi, visitandi. Invenit occasionem quasi subtilis fur effractor, qui excitat tempestatem, qui non amat tranquillitatem; et quasi absente magistro discipulos temptat, ventos inflat, excitat mare, et sequentem non videt gubernatorem. Fit servis absente domino argutatum (2) sine causa naufragium, sed tenetur pietate navigium. Illi interea manus extendunt, lacrimas fundunt, vela deponunt, strident funes et restes, ut Petrus solvatur et diabolus alligetur. Ubi exclamant, inquit, Domine salvator noster? Praemisisti nos, et dimisisti nos. Ecce naufragator, ubi es tu potentissime gubernator? Ecce tempestas, ubi es pietas? Ecce mare latrat, ubi es tu agnus Dei qui tulisti peccata mundi?

(1) Adnotent vocabulum lexicographi. Sic autem dicitur ob velocitatem. Confer Cangium voc. *monopedae*.

(2) Ita videbatur in cod. Intellige autem *subsiliens*; nisi mavis *agitatum*, aut quidlibet aliud

Continuo advenit Dominus, cum pietate subridens ad teneros pullos. Ventis turbantibus dissipatis, venit potenter, appellat clementer, suos quoque reficit sapienter. Vident et turbantur, qui non videndo turbabantur. O inenarrabilia, fratres mei! Ubique metus, aut de periculo, aut de miraculo. Sed tulit (1) illis timorem qui mitigavit tempestatem. Nolite, inquit, timere; ego sum. Magna fit eis consolatio, Domini personae interpretatio. Domine, clamant: securi sumus, si tu es: non timemus, si tu es. Et Petrus ait: possum facere quod facis, si tu es; sed proba mihi vere si tu es; et iube me venire super aquas, si tu es. Domine, ad te dixi: sine te non praesumsi; si iubes, dixi; sed si iuvaveris, quod dixi. Si non iuvas, noli iubere; sed si iuvas, dignare iubere, et iube me ad te venire super aquas. Et Dominus e contra: veni ad me, si praesumis de me. Laetus Dominus vultuque iucundo favens, expectans piscatorem suum, confessorem suum, praesumtorem suum, ducem suum, magnum comitem suum, et primum carbunculum, lapidem pretiosum, non longe expectans sed prope propter pietatem.

Petro itaque mare subripit trepidanti. Sensit mare in Petro fidem deficere, et coepit maiore undarum lingua latrare. Solvitur quod erat firmatum, quia fidei solutum est firmamentum. Velut cera sole calente soluta, sic coepit unda laxari mollita. Sensit petram pelagi Petrus vacillare (2) iam debilem fluescentem: et depressis vestigiis atque palpitantibus membris, extensis palmis, exclamat et dicit: adiuva me, Domine, et miserere mei. Semper mihi timor est sine te, et in navicula et super unda praesumsi venire ad te. Quare tollar a te? Adiuva me, ad navem revoca, ascende mecum, veniam tecum. Ille ille Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Petrum allevavit, firmavit, ambulare intrepidum fecit, trepidantes discipulos refecit, conpescuit procellam, gubernavit naviculam. Ipsam suam sponsam, nostram matrem, tranquillet ecclesiam; et inter istam tempestatem ipsum habeamus semper gubernatorem, quem Petrus habuit defensorem! Amen.

(1) Nempe *abstulit*. (2) Cod. *volitare*.

II. Quantum valeat ieiunium.

Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus in eremo ieiunavit, ut legem Domini mereretur accipere. Impetraverunt ieiunia quod venter saturus desperabat. Denique videte, fratres karissimi, quid sit inter ieiunium et saturitatem, inter ventrem vacuum et pulmonem epulis aestuantem. Moyses, quia ieiunavit, Dominum vidit; et populus quia comedit et bibit, idola fabricatus est. Quid de Moyse loquor, et de israhelitica multitudine? Ipse princeps generis nostri Adam quamdiu non comedit, in paradiso fuit: statim ut comedit, de paradiso eiectus est. Qui in paradiso Dei, virgo fuerat, eiectus de paradiso cognovit uxorem suam: semper enim saturitati iuncta lascivia est: vicina sibi sunt saginae membra atque luxuriae; pro membrorum ordine, ordo vitiorum eligitur.

Helias sanctus, cui elementa famulata sunt, qui caelum tribus annis et sex mensibus clauserat, ad cuius vocem supernum descendit incendium, cum eum Iezabal vellet occidere, et fessus sub umbrosa arbore iaceret in solitudine, angelus ad eum mittitur, et praecepit ut sumeret paululum panis et aquae; quadraginta enim dierum ieiunio per desertum ad Sina montem profecturus erat. Numquid enim Dominus omnipotens, qui caelum et terram fecerat, cuius universa creatura est, non poterat mulsa per angelum aut vina transmittere, aut conditos cibos, aut marinas delicias, aut volucrum suavitates? Sed sciebat prophetam suum non aliter posse temptationes diaboli vincere, nisi ieiuniis erudiretur.

Eiecit nos, fratres karissimi, de paradiso cibus, reducat esuries. Daniel ille futurorum conscius, et adventus Domini et eversionis Hierusalem manifestissimus praedicator, ideo vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiae non bibit; magis enim Christum quam epulas desiderabat. Iohannes praecursor Domini locustis in eremo nutritus est, non animalium carnibus et volucrum suavitatibus. Poterat utique iuxta Iordanis fluenta piscium si-

bi exhibere delicias; sed paenitentiam praedicaturus, doctrinam rigoris et ieiunii exemplo suo magis debuit docere quam voce. Cum in evangelio quidam daemonio plenus, Domino fuisset oblatus, quem purgare apostoli nequiverunt, interrogantes audiunt: istiusmodi genus non eiicitur nisi orationibus atque ieiuniis.

Videte, fratres, quanta sit virtus ieiuniorum, ut id valeant ieiunia facere, quod apostoli nequiverunt. Dimittantur vetera; unusquisque se ipsum consideret et perpendat quanta sit orandi differentia inter vacuum ventrem et refectum, inter rubentem faciem et ora pallentia, inter salivam virginem et labia crapulis dissoluta, inter oppressum epulis sensum et inediae tenuitate vigilantem. Non dico duplicata et multiplicata ieiunia, non dico hebdomadas, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. Cessent lavacra, vina, vel deliciae; non quod creaturam Dei iudicemus esse damnandam; sed qui toto anno nobis viximus, saltem paucis diebus Deo vivere valeamus, adiuvante nos ipso qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

III. De evangelio ubi Dominus de aqua vinum fecit.

Iohan. cap. II.

Nuptiae, in quibus Christus et munerator et conviva discubuit; munerator scilicet in origine, conviva factus in genere, ut qui in primordio copulae novellae concesserat nasci ex homine hominem, ipse quoque nasci dignaretur ex virgine .. Aures nostrae pulsatae nunc e sancto evangelio sonuerunt: die, inquit, tertio nuptiae factae sunt in Chanan galilaea, et erat mater Iesu ibi; invitatus est autem Iesus cum discipulis ad nuptias. Si Manichaeorum latebrosa voluptuosae turpitudinis foeditas de nuptiis percontetur, Deus eas, inquit, non fecit. Si ergo Deus nuptias non fecit, quomodo in eis Christus cum discipulis suis invitatus adcubuit? Sed iam opaci huius mysterii nubilum ventilemus. Die, inquit, tertio nuptiae factae sunt in Chanan galilaea. Splendescente igitur super obscurum, delictis offuscantibus, mundum Trinitatis die, Christus

venit ad nuptias. Tunc autem anima quae de limi fuerat iam affricta consortio, per fornicationem oblectantis pomi adulterum demutata maritum, pollutae societatis nuptias celebrat. Audi Paulum huius malae coniugationis iterum vincla formidantem: timeo, inquit, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, ita corrumpantur mentes vestrae a simplicitate et castitate quae est in Christo Iesu domino nostro. Dum itaque in unius discubitionis instrumento (1) iactati diabolus et anima lasciviret, invitato Iesu . . dum vino luxuriae defecerunt. Genetrix autem Christi illa, quae facinerosi (2) concubitus pactum exhorruit, quae non solum corpore verum etiam mente virgo permansit, intererat invitata, condicione generis non participatione criminis, universitate nascendi non societate peccandi, quae . . . Christo, non quae mundo consentiret iucundo.

Haec igitur mater Christi longum mundi miserata laborem, quae se noverat de palmite fidei magnum duxisse . . . botrum, a proprio germine coepit exposcere vinum. Quando autem angelo credidit, tunc pro mundo suggessit: tunc inchoavit agere saeculi *causam*, quando non trepidavit ad nuntium. Ecce enim ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Mox ex semine sancti Spiritus propagata in saltu virginali primitiva vitis effloruit, quae umbraculis opacata caelestibus subfrondet . . . nis occultum botrum procreavit. Pependit salus in fidei apice, et turguit botrus . . . Ecce postmodum ex matricis utero racemus divinae prolis animatus . . . natus est. Christus verus botrus continebat equidem intra se vitae vinum . . . crucis accesserat prelum. Dicit mater eius: vinum non habent. O virgo sapientissima! modo meruisti germinatam sobolem (3) procreare, et iam botrum . . ris exprimere? Equidem non potest nisi germen germini obviare, et (palmiti suo) resistere. Sed qui de ligno carpsit supplicium, in ligno debet expectare remedium; et qui in arbore inlicitam demessuit frugem, expectare (4) debet ad crucem, ut ubi . . hauserat siccita-

(1) Num pro *stramento*?

(2) Ita cod. *facinus facineris*, ut *pignus pigneris*.

(3) Cod. *subulem*.

(4) *Expectare* pro *spectare*, in aliis quoque vidi interdum codicibus. Nisi forte praestat scribere *expectare a cruce*.

tem, ibi salutis accipiat potionem. Vinum, inquit, non habent. *Attende* virgo, paulisper; praeparet iudaeus lignum, descendat clavus in botrum, et . . . poterit vinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum necdum inpresserit Iudas protervum super uva calcaneum? Ipse est enim ille Iudas destruc*tor* sacratae vindemiae, qui ·XXX· pactus argenteis botrum divinae prolis iudaeis . . . inpiis venundavit (1). De quo in psalmis iam fuerat decantatum: nam et homo pacis meae, in quem speravi, qui edebat panem meum, ampliavit super me calcaneum. Aderit, virgo, certa dies qua prematur fructus tuus, et tuam ipsius animam pertranseat gladius, ut constiterit de botruo (2) pendente quem profuderas ex radice.

Vinum, inquit, non habent. Et *Iesus*: quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea . . Utique non fati (3) sed voti hora, non necessitatis inpositae sed voluntatis inpensae . . . non quo cogeretur mori, sed quo pro mundo dignaretur *mori*. Quid mihi et tibi, mulier? An oblitus es matrem? . . An discernis potentiam tuam? . . . neret. Nulla est tibi cum matre communitas? An . . . oculi tui debu . . . maiestas? Creatorem te designas? An cred . . nunc loqui . . ctorem propellere istinc . . periere nefandissim . . opus dum cum . . . asti praestigium. Extulit hic Christus super matrem divinitatem suam. Non negavit matrem suam, neque se natum negavit e carne, sed maiestati suae suam subdidit genetricem. Et ideo ait: quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea. In miraculo enim deitas matre altior praedicatur; in hora autem, mortis communitas intimatur. Interim Christus insipidos haustus merificat (4): fatuus latex fundebatur in hydrias, et hauriebantur inebriata flumina. Quae est ista tam repentina conversio? In aqua vinum nascitur, in unda sapor latenter exoritur: germinat suavitas in vinis, et nusquam fructificat vitis; nulla exprimitur uva, et fervescunt sine palmite vina.

(1) Ita cod.

(2) Ita cod. *botruo*. Et quidem aliquoties, sed non constanter, *botruus* et *botruum* in hoc sermone, nec non alibi apud Augustinum.

(3) Contra fati doctrinam saepe scripsit Augustinus.

(4) Animadverte pulchrum vocabulum.

O magni pulchritudo miraculi! Inseruntur divini praecepti vires, et in aqua nascitur fructus. Hoc fecit Christus in latice, quod certo tempore facit in vite. Quis enim alius radicem ex imbre maritat? Quis alius per occultas venarum fibras stellatos palmites laqueat? Quis turgentes botros ac velut in apices gemmatos inpinguat, nisi is qui universa provocat et multiplicat? ut quod adstringitur in semine diffundatur in germine, et quod latet in grano silvescat in folio. Interea ecclesia, quae in mensa saeculi cum alieno viro polluta cubitabat, repentinis a Christo haustibus muneratur. Transeunt ad Christum nuptiae. Qui enim vitavit, ipse dotavit. Arripuit Christus convivium, et ecclesia mutavit sponsum. Pavit Christus, et exclusus est inimicus. Miscuit sui sanguinis potionem, et duxit uxorem. Aptavi inquit vos apostolus uni viro virginem castam exhibere Christo. Ecce illa quondam fecunda nunc formosa, ante adultera nunc matrona, stat a dextris Dei in vestitu deaurato, circumamicta varietate, per aquam mundata, per sanguinem purpurata, per resurrectionem Domini candidata, pretiosis gemmis gratiae varietata (1): et sicut dixit scriptura, fulvi sunt oculi eius a vino, et dentes eius candidiores sunt lacte. Potemus ergo et nos vinum eius cum lacte eius, si volumus et in fide pulchrescere, et in virtute candescere, et in ornatu sanctae ecclesiae radiare.

Accipite grande aliut a parvo mysterium. Aliquando et Iudaea vinum in convivio suo non habuit, quia munus sacrati sanguinis non accepit; et dum legi nuberet, non invenit omnino quod biberet. Venit Christus, mutavit legem in gratiam, illam inflatricem, istam adiutricem. Fudit in legem sanguinis poculum, et fecit moriendo convivium. Gustavit architriclinus, id est mundi dominus, aquam vinum factam, et dicit: omnis homo primum vinum bonum ponit, et cum inebriati fuerint homines, id quod deterius est; tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Et lex enim sancta, ut mandatum sanctum et iustum et bonum; sed lex et prophetae usque ad Iohannem prophetaverunt; et ideo adveniente Domino vina mosetica defecerunt, et vina sanguinis profluxerunt. Illa ac-

(1) Nota rursus vocabulum, nisi est pro *variegata*.

ceperunt terminum, ista sumserunt initium. Denique hoc est initium signorum quae fecit Iesus, quando pavit gentes occisus, et de vino sui sanguinis fecit convivium vulneratus.

Hunc botrum in terra promissionis seu in cespite virginitatis exortum, aliquando iudaeus in palanga (1) tamquam in praesagio futurae crucis infixerat, sub quo curvaretur, non ex quo reficeretur. Iam enim de eis psalmus fuerat praelocutus: obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Portabant igitur botrum duo, unus anterior, et alter posterior; in medio palmitis germinis propago pendebat. Primus indicabat populum iudaeorum, secundus designabat populum gentium. Iudaeus quidem anteibat, sed contra botrum dorsa ponebat. Gentilis posterior ambulabat, sed botrum fidei oculis adtendebat; quia in pendente credebat. Posuerunt, inquit Dominus de iudaeis, ad me dorsa et non facies suas. Primus aversabatur, secundus pascebatur; ille hanelabat sub delicti onere, iste bibebat ex aethere. Iudaeo ergo botrus posterior, gentili erat anterior: illis in fine, nobis in principio; illos sequebatur ad supplicium, nos invitabat ad cibum. Itaque illi desiccati sunt et aruerunt, nos vero comedimus et bibimus et refecti sumus, per ipsum Iesum Christum qui vivit cum Patre et cum Spiritu sancto in saecula saeculorum Amen.

IV. De missa cotidiana.

Congregatio beatitudinis vestrae, fratres karissimi, facit nos nimio gaudio esse repletos. Sed quia pavet pectus catenis corporis obligatum, non possum dicere quantum splendor animi vestri delectat audire. Tamen adgredior, ut arrha a Deo data clariore, et pignore splendidissimi luminis refulgente, palpitat sensus mei dicentis (2). Peto ut vestris auribus inseratis, fratres mei, officia sacerdotis, quibus per viscera misericordiae incommodum (3)

(1) Num. XIII. 24. Et quidem *palanga*, vel *phalanga*, dicebant praesertim Afri pro fuste, teste Plinio apud Forcell.

(2) Sic videbatur in codice, cuius mihi nunc revisendi copia non est.

(3) Id est molestiam per suum zelum creare.

non desinet parturire, dicente apostolo Paulo : filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed illis ait apostolus, qui novellae fidei, et rudis adhuc credulitatis primitiae, detinebantur in corde plantaria. Verum, propitio Deo, quia ita aput (1) vos fidei praerogativa veterescit, ut et nova sit, ideo novitatem tenet, ut vetus sit : quia sic scriptum est : vinum bonum veterescit, et cum suavitate bibetur. Tamen celare non potui et diutius suppurgatum (2). Nolui videre quod lugeam, nolui videre quod doleam. Clamo quia pastor sum non mercenarius, qui viso lupo fugit, et oves ut pereant derelinquit. Clamo quia timeo, clamo quia doleo : clamando enim et me excuso, et vos non perdo. Nam si tacuero, et me non excuso, et vos perdo. Ait enim Deus per Esaiam prophetam : exclama, inquit, in fortitudine tua, et noli parcere : sicut tuba exalta vocem tuam, annuntia plebi meae peccata eorum, et domui Iacob facinora eorum. Ita enim devotio vestra refriguit, fratres mei, ut et illut sentiam, et metuam. Quod Dominus ait : eo quod facinus abundet, refrigescit caritas multorum, puto in vestra devotione compleri. Dum enim vos in domibus vestris sedere sectamini, desertam facitis domum Dei.

Et audi quid per prophetam divina istiusmodi indignatio omnium mentes obiurgat. Audi, christiane, quod timeas ; audi, timorate, quod caveas. Pro eo quod domus sua deserta sit, ideoque caelum abstinebit pluvias, et terra non dabit fructum suum, et inducam gladium super opera manuum hominum, quia Deus in ecclesiis non auditur. Quis ad hoc, fratres mei, intentus non visceribus contremescat ? Quis non tantis conminationibus percussus arescat, quando sic audiat Dominum indignantem, eo quod domum suam desertam faciatis, (*et domus. or*)ationis a conventu religioso sit vacua ? Plena est populis platea, et silet ecclesia. Utique, prudens homo, non tibi dicitur ut ad domum Dei omni hora convenias. Si in matutinis vix una hora est, si in diebus festis vix duae horae sunt, ecce parum est quod a te exigit auctor tuus. Et non vis esse

(1) Prisca orthographia est, ut infra *illut*, *aliut*.

(2) Sic videbatur in codice.

beatus ? Vis tibi caelum et terram, mare, et omnia elementa omnibus temporibus deservire, et non vis una hora vel duabus horis dominicae devotioni vacare ? Castigetur ergo pigritia vestra, ut procreationes suas non perdat terra. In*ducetur gladius* super opera manuum illorum, quia Deus in ecclesiis non auditur.

Condemnat nos pigritia nostra, fratres mei. Currit matutinus ad synagogam iudaeus, festinat et vigilat ad templum paganus, et non vigilat aut festinat ad ecclesiam christianus. Magna confusio est christianis, qui provocantur venire ad domum Dei exemplo et contemplatione peiori ; ut plus sit iudaeus in sua observatione sacrilegus, quam christianus in sua religione devotus. Vigilat gentilis ad idola profanus, et non vigilat aut festinat christianus ad ecclesiam pro quo crucifixus est Christus. Propterea castigat Deus terram, ut homo accipiat disciplinam : ut homo corripiatur, terra dar . . . dicere. Vos facitis domum meam desertam, et ego desertam faciam terram vestram. Vos in veniendo ad me non datis mihi honorem, et ego vestrum intercidam laborem : quia qui honorificat me, inquit, et ego honorificabo eum.

Sed dicturus es mihi forsitan : dives sum, et facultatibus cunctis abundo, nihil indigeo, quid petere possum ? Ergo ex te dives es ? aut cum divitiis natus es ? qui magis quantum dives es, tantum ad cum, cuius sunt divitiae, manicare debes : quia meum est, inquit, aurum et argentum, et cui voluero dabo illud. Habes quod non accepisti ? Si ergo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Certe si accepisti, nihil habuisti, quia nudus ex utero matris tuae in hoc saeculum devenisti, pannis obsitus, extrema egestate confectus, et iam sicut natus moriturus. Habes testem beatum Iob dicentem: nudus exivi de ventre matris meae, nudum me oportet ire in terram. Curris ad domum faeneratoris, adulatoria verba conponis, et non curris ad domum Dei gratuito largitoris ? Quae est in vobis tanta pigritia, fratres mei, ut ad domum Dei minime vigiletis ? Tibi dico, quisquis es, rustice piger : pigritaris ad domum Dei venire, et non pigritaris terram tuam excolere ? Et nisi desuper tibi dederit pluviam, non poteris rum-

pere terram. Nihil tibi de suo praestare poterit, nisi desuper acceperit. Scriptum est enim: desursum descendit a patre luminum, aput quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Sicut et in evangelio scriptum est: verum quaerite regnum Dei primo et iustitiam, et haec omnia adponentur vobis. Ergo, fratres mei, ad ecclesiam Dei vigilare debetis. Hoc expectat Deus, ut illi tantummodo fatearis, et non sunt morae ut saneris, nisi confessionem tuam solummodo quaesiturus. Explicit.

ANIMADVERSIONES ALIQUOT.

Pag. XXIII. Propter dicta de Bernardo cluniacensi, conferendus est Dacherius Spicil. ed. nov. T. I. p. 642; quamquam quae is affert ex Udalrico a nostris differunt. Num sunt Petri abbatis? Vide Dacher. ibidem.

P. XXIX. v. 19. *ma to*, corr. *ma o me*.

P. 90. v. 22. Archiepiscopus bracarensis, intelligitur Bartholomaeus de Martyribus ex ord. praed.

P. 405. v. 5. a fin. corr. *familiarissime*.

P. 517. Commode fiet adnotatio haec. *Litteras Philippi ad Alexandrum reprehendentis eius prodigum animum, recital Cicero de officiis II.* 15.

P. 542. in nota corr. *tactantiae*.

P. 545. v. 13. a fin. corr. *macti*.

P. 611. v. 8. Puto *Salazario*.

P. 655. Enumeratis a Panvinio romanae urbis descriptoribus addatur iam ille anonymus ex codice syriaco sumptus, sed de graeca vel latina origine derivatus, quem nos edidimus in praefatione ad tomum decimum Scriptorum veterum p. XII-XIV.

MAG 2000276

IMPRIMATUR

Fr. D. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. M.

Ioseph Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google